UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

urn:nbn:de:hbz:466:1-48834

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2829 8.

I. VII
11.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Biblioth
Theodoriana
Paderborn

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



R^mus Perillustris, & Ampl.^mus S.R.I. Prælatus Dominus D: DIONYSIVS. Ex Liberis Baronibus de Rehlingen & Haltenberg, Dei gratiâ Abbas ad B.V. in Wettenhausen ord: Can. Reg. S: Aug. Dominus Dynastiæ in Knöringen. Sac: Cæs: Maiestatis Consiliarius & Sacellanus perpetuus, SS. Theologiæ & SS. Canonum Doctor ac Professor.

Waldenmair pinx. *E. Hainzelmann Sc.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INSTRUCTIO PRACTICA OCTAVA

INSTITUTIONES

THEOLOGIÆ MYSTICÆ,

SEU

Facilem & practicum modum Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi; item triduanam recollectionem fructuosè instituendi complectens,

ET SACERDOTIBUS PRÆCIpuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo deliberantibus accommodata,

Una cum Appendice Octiduanam Recollectionem Religiosis, aliisq; perfectionis Studiosis applicante.

AUTHORE

R. P. TOBIA LOHNER,

SOC. JESU PRESBYTERO.

Cum Gratia, & Privilegio Sacræ Cæs. Majestatis, Et Facultate Superiorum.

Biblioth Theodoriana Soc.ti Jesu Padb.


DILINGÆ

Typis & Sumptibus Joann. Caspari Bencard, Bibliopolæ Academici.

Per Fridericum Severinum Groeh.

Anno M. DC. LXXX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



REVERENDISSIMO,
PERILLVSTRI, ET
AMPLISSIMO
S. R. I. PRÆLATO
Domino, Domino
DIONYSIO
Libero Baroni de Rehlingen
& Haltenberg &c.
Ex immediatis Sacri Romani Imperij Statibus
Antiquissimi, & Nobilissimi Collegij Canonicorum Regularium Ordinis S. AUGUSTINI, ad Beatissimam
VIRGINEM in Wettenhausen DEI gratiâ
ABBATI DIGNISSIMO,
Domino Dynastiæ in Knöringen.
Sac. Cæs. Maj. Consiliario & Sacellano perpetuo,
SS. Theol. & SS. Can. Doctori.
NEC NON
Ejusdem SS. Canonico-Apostolici Ordinis per
Diœcesin Augustanam in Suevia & Bojaria
VISITATORI VIGILANTISSIMO,
DOMINO MEO GRATIOSO.

NObile momentum huic Libello adjecit Reverendissima & Perill. Amplitudo Tua, dum mihi ut Illustre Nomen, & Venerandissimum Vultum Tuum eidem præfigerem, gratiosè concessit; sic enim non tantùm

tutamen, sed etiam lumen pagellis affudit. Optabam ad augendam Opusculi perspicuitatem Chalceuticâ manu fronti insculpere tale symbolum, quod totius argumenti, nempe Ignatianæ Asceseos, Synopsin perfectissimam unum sub aspectum daret. Non reperi compendiosius, & sensu copiosius, quam Religiosissimi Oris Tui iconismum. Quidquid enim in Lojoleis meditamentis scriptum lego

Id Tua spectanti pergit Imago loqui:

Finem Hominis Oculus Tuus nictat in sola æterna intentus: solicitam *peccatorum* censuram, & eorum quæ nobis *novissima* accidunt meditationem cilia exercitata ostentant. *Regulas* animi sensa prudenter *discernendi* docet Frons Catoniana: moderata macies sapit placita *victûs temperandi*. De *eleëmosynis* ritè *distribuendis* documenta liberalissima exporrecti vultûs benignitas præscribit: ac denique Vitam & Mores DEI Hominis tum nascentis & peregrinantis, tum morientis, & gloriosè triumphantis divina quædam totius faciei, compositissimáque dignitas demonstrat Verbo: Effigies es, vel potiùs sacrum quoddam hieroglyphicum omnium hîc intus latentium præceptionum. Nisi velimus, & quidem verò propinquius dicere, Te, & Libellum esse geminam imagi-

imaginem ejusdem prototypi Magnorum Maximi Augustini. Cujus sedulâ inspectione Tu animum, Ignatius Libellum depinxerit: cùm Imaginis proprium sit, fluxisse ab Exemplari.

Hanc originis communionem causam esse conjector, illius eximij studij, quo maxima quæque Lumina Tui Apostolici Ordinis in Sacra Ignatij exercitia ferebantur, & feruntur. Testor inter multos alios Alanum Solminiacum, ac Petrum Forerium de Mataincour, Illum Abbatem B. V. Cancellatæ, & Episcopum Codurcensem: Istum Congregationis Salvatoris Restauratorem, & Generalem, nec non Virginum Religiosarum *Dominæ Nostræ* Institutorem: Viros Magno parente Affricano dignissimos, ac vitæ asperitate, mirorum patratorum famâ, ac rerum præclarè gestarum gloriâ, in typum missâ, præcellentes. Tametsi uterque domi haberet Augustiniani *Cordis* Æthnam, ad incendendos animos: Loiolæ tamen Igniculos non aspernabantur. Quin gaudebant Gaudierio, aut alio Sociorum JESU sufflaminatore, ad Foculum in hoc *meo Camino* exardentem, non tantùm incalescere ipsi: sed etiam in alios flammas spargere, & partem felicissimi successûs ejusmodi suis Directoribus modestissimè adscribere.

Vestigia prænotata Tu, Reverendissime, Perillustris, & Amplissime Præsul ad

amussim sequeris, non inolito quodã impetu, ut aquila aquilas solet, sed meditato consiliò: cum sæpius ex Gratioso ore Tuo illud audiatur: Ignatianas Vias ideo maximè Tibi probari, quod deprehendas, quemque Tuorum Contribulium tantò studiosiùs eas calcasse, quantò animosiùs ad Summa grassabantur. Nec minus faciebas, quàm dixeras; Nam Hipponensis Magistri Sacram Stoam vix dum ingressus, Hanc Lojoleiam animi *Culturam* adeò complexus es, ut fama sit Te religiosæ vitæ adhuc propè tironem, anno abhinc semisæculari, in unica ab Ignatio isthic descripta meditatione, horas septẽ continuas posuisse. Sic nimirũ avidè helluabaris in bolo, cum Augustinianis ad *solum DEUM allocutionibus*, tam similis saporis, & saginæ. Hoc facto non tantum symbolum, sed etiam Lemma foliorum meorum evasisti. Quia es *Exemplum practicum Exercitiorum.* Respondit par fructus; sicut enim Alani commentatio ejusmodi, Cancellatæ Virginis Abbatiam, & deinde Diœcesim Cadurcensem in florem reduxit; ita hæc Tua exercitatio Wettenhusanæ Matris Collegium ex ruderibus in hodiernũ splendorem excitavit, cum maximo plausu spectantium, eorum præcipuè, qui utrumque viderunt & jacentis Cœnobij cineré, & redivivum Phœnicem, meminerúntque Tuo unius ære, ingenio,

nio, & labore surrexisse. Ac propterea in suspicionem iverunt ipsi, ac alios traxêre, Te nescio quem veteris auri thesaurum reperisse. Neque enim persuaderi queunt, potuisse vicennali tempore (quo huic loco compulsus præes) eóque non satis æquo, tantum æs alienum, quantum reperisti, dissolvi: tam augusta ædificia sacra & profana excitari: hortis & mandris tam latè patentibus cingi: sacrum templi instrumentum, tam in vasis, quàm vestibus multorum millium ære augeri: toparchiam veterem ex viculo in oppidum elegans, ac jure gladij per Te decoratum, exurgere: ac nobilissimæ Sedis accessione dilatari; nihil imminutâ, summis infimísque collaudata hospitalitate. Hæc, inquam, fieri non potuisse autumant, nisi in latentis auri ingentem cumulum incidisses.

Agantur illi suspicionibus, ego indubitatus pronuncio, reperisse Te, Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime Prælate, reperisse thesaurum: sed in agris Augustino-Ignatianis altè defossum, Pietatem scilicet ad omnia utilem, & animum sibi nihil, at omnia DEO confidentem. Hanc divitis metalli venam ante dimidium sæculum (ut antè dicebam) tibi primò detectam, deinceps quotannis bis scrutari solitus es, repetito octiduanæ commentationis sarculo. Quid aliud potuisti, quàm Potos-

tossianas gazas centenâ jam fossione eruere? Et quia ante omnia *Christi* in Te, Tuísque *regnantis Labarum* & coronam quæsivisti, & invenisti, debuerunt ex divina promissione adjici cætera. Sunt verò ad miraculum usque adjecta. Primum quidem *Opes* ad Magnificentissimæ Basilicæ, & Collegij splendidissimi structuram, aliáque priùs recensita suffecturæ, fonte alio unde tot profluerent, Tibi ipsi, ut sæpe fateris, ignorato. Deinde *Scientiæ* præsertim Sacræ, quibus Tironum rudes mentes Apostolico D. Augustini Spiritu, & Religiosorum subjectorum animos Thomæâ Sapientiâ, & Gratiani prudentiâ tot annis subtiliter imbuisti, ut meritò *Doctoris* tam *Theologici* quàm *Pontificij Juris* lauream sis consecutus. Accessêre tertiò *Honores* inter domesticos *Maximi* (*omnes* debebam dicere) cùm omnia officia in ordine conferri solita administrâris. Ad quos bis aliò postulatus, & extortus es, semel ad Berchtoldgadensis Ducalis Ecclesiæ Subdecanatum cum authoritate Decani; deinde, post ipsius Decani officium, in Tuo Nativo ad S. Crucem Augustæ celeberrimo Collegio, integerrimè gestum, tandem supremum Wettenhusij Magistratum (necessarius ab interitu vindex) ascendisti, S. R. I. Prælatus infulatus, ac Tui sacerrimi ac florentissimi Ordinis per Diœcesiu Augustanam Vigilantissimus *Visitator*. Denique

que *Favores* & *Gratiæ* Summorum Capitum in Te profusi, inprimis Summi Pontificis, & Cardinalium Flavij Chisij & Imperialis Casparis de Carpineo: recentissimè autem ipsius Augustissimi Leopoldi Imperatoris, qui Reverendissimam & Perill. Amplitudinem Tuam, in *Consiliarium* suum & Capellanum perpetuum admodum nuper delegit. Ut taceam Sereniſſimos Reginam Poloniæ, & Ducem Lotharingiæ, aliósque Principes & Magnates hospites Tuos Gratiosissimos, & prolixos laudatores.

Ne autem ulla dubitandi facultas resideret, unde hæc cœlestis studij auctaria promanarent, ea Reverendissimæ Amplitudini Tuæ prænunciavit primus Exercitiorum Dilinganus Director, quando illo Tuo superiùs laudato fervore entheatus in idem Vaticinium prorupit, quod ob parem causam, in Speculum Vitæ Tuæ Codurcensem Alanũ olim protulit P. Hieronymus Bayolus S. Ignatij Alumnus: nimirum DEUM Tua Perillustri Amplitudine *usurum cen quodam instrumento pro bono Ecclesiæ suæ, & Sacri Ordinis Vestri incremento.* Oraculo fidem adstruis, non tantùm capitalibus meritis in tria insignia Canonicæ Familiæ Collegia: sed longè maximè Alanianæ, & Forerianæ Vitæ perfectissimo exemplo. Quo Septuagenario major,

in pijs laboribus antecedis omnes, in quiete ſequeris: ſemper primus in Odæo, ultimus, aut ferè nullus in triclinio: propior nunquam veſcenti; quàm perpetuò jejunanti: Niſi quod Divinis cum Cœlo delicijs, cum libris ſympoſiis, & cum hominibus, calentibus circa Cœleſtia ſermocinationibus aſſiduè epularis, tam ſaginato Spiritu, quàm corpore extenuato.

Præmiſi hæc omnia, non quod Reverendiſſimæ Amplitudini Tuæ expetita putarem (neque enim indiget, aut delectatur præconio meo) ſed quia Libello meo honorifica duxi, & mihi neceſſaria ad excuſandam audaciam, qua tam exilem Codiculum Tuo Ampliſſimo honori inſcribere præſumpſi. Author, materia, & Tempus me invitarunt. Ille quidem, quia ejuſdem *Inſtructionem ſecundam* Tuo Illuſtri patrocinio commendatam (me teſte, offerente, & humanitatis participe) gratioſiſſimè acceptaſti. Materies ideò animos fecit, quia Te *agrum iſtum*, in quo cœleſtem theſaurum latere, frequenter prædicas, confidebam, non quidem empto, ut Evangelicus ſapiens, verùm tenui dono meo, humaniſſimè admiſſurum. Tempus denique ipſum me admonebat, annus nempe à primò Tibi guſtatâ hujus *Cæleſtis ſtudij diſciplinâ* (ut initio monebam) ſemicenteſimus,

tesimus, ut Jubilarem ætatem in Altissimæ Mentis Tuæ exercitatoriâ culturâ peractam obsequiosissimè gratularer, atque servitium meum paratissimè offerrem (quod hisce facio) ad instruendam hoc Libello, plurimísque aliis pretiosioribus, meo ministerio conquirendis, locupletissimam, quam moliris, bibliothecam, loci amplitudine, & elegantiâ, nec non Codicum multitudine, selectúque cum qualibet, certaturam.

Id nimirum agis, Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime Antistes, ut Wettenhusanæ Virginis Augustiniani Clientes, post virtutem (cujus præcipua est solicitudo) magis re litterariâ, quam familiari præcellant. Hinc studiosiùs satagis, ut Doctissimi Collegæ sua capita supra vulgus, quam ut turres, & fastigia ædificiorum suos apices supra nubes attollant. Quod, Sapientissime Præsul, duplice assequeris viâ: unâ librorum copioso subsidio, alterâ graduum Academicorum illicio, cum jam unum Theologico, duos Philosophico doctoratu, in Celebri Universitate jusseris inaugurari. Quarum hæc magno est, ut cæteri sequi velint, incitamento; illa, ut possint, proficuo adjumento.

Porrige

Porrige itaque Reverendissime, Perillustris & Amplissime Domine gratiosam manum his pagellis à meo typo venientibus recipiendis apertam ; meo autem osculo admittendo humanissimè paratam. Méque inter servos Tuos retine, qui DEVM pro longissimâ Tua incolumitate deprecari nunquam desisto. Dilingæ septimo Octobris. Anno M. DC. LXXX.

R.^mæ & Perill. Amplitudinis
Tuæ

Humillimus Servus

Joannes Casparus Bencard,
Bibliopola Acad.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

NE ipso statim in limine odiosum & ingratum tibi Theologiæ Mysticæ nomen accidat, amice Lector, scire te velim, non presè me Theologiam Mysticam hoc loco sumere pro illo Habitu, qui in sublimi & Ecstatica contemplatione rerum cœlestium occupatur, & à Maximiliano Sandæo & alijs Notitia Contemplativa Sapida DEI & Divinorum definitur, nec non varios post se effectus admirandos, pauciſſimisque communicatos, puta secessum, intuitionem, silentium, suspensionem, quietem, ebrietatem, ructum, unionem, mortem, liquefactionem, fervorem, languorem, osculum, illapsum, tactum, amplexum, locutionem, auditionem, Ecstasin, raptum, apparitionem mysticam, trahit; hæc enim uti non nisi ijs ordinariè communicatur, qui in sublimi perfectionis gradu constituti, per intimam cum DEO familiaritatem se ad ejusmodi donum & favorem extraordinarium percipiendum disposuerunt, ita divino potiùs, quàm humano Magisterio addiscitur. Latiùs ergo nomen Theologiæ Mysticæ hic accipitur, pro illa Theologiæ parte, quæ in Mysteriorum divinorum affectuosa Meditatione occupatur, ita ut ex consideratione Mysteriorum non spirituales duntaxat sensus, & doctrinas ad Intellectum illustrandum pertinentes eruat, sed variis etiam motivis ad easdem doctrinas in praxin redigendas voluntatem impellat. Quâ in acceptione secutus sum præcipuè Philippum Alegambem, qui in Bibliotheca Scriptorum Societatis IESV inter alios Titulos in Indice Materiarum positos, etiam hunc Titulum: Theologia Mystica sive Meditationes & Preces: ponit; ubi, ut patet, utique Theologia Mysticæ vocabulum latiùs accipit pro ea duntaxat Theologiæ parte, quæ in Meditationibus & Precibus ritè perficiendis dirigit.

Quia verò ad ejusmodi Meditationes fructuosè instituendas nusquam melior, quàm in secessu spirituali, seu Exercitijs spiritualibus à S. Patre nostro ex singulari divini Spiritûs instinctu excogitatis offertur occasio; hæc autem Sacerdotibus ad animarum curam incumbentibus, vel

vel maximè suadenda sunt (quâ de causa variis in locis etiam Congregationes Sacerdotum erecta sunt, in quibus omnes inscripti Sacerdotes singulis annis per octo dies Exercitiis Spiritualibus vacare jubentur) ideo ut ejusmodi Sacerdotes, uti & alij sponte ea facere volentes, nec semper Directorem ad manum habentes, hoc suum saluberrimum propositum tantò facilius, fructuosiusque exequantur, visum est opera pretium futurum, si, uti in aliis ad eorum functiones pertinentibus materiis breves Instructiones subministravi, & adhuc, si Superiores annuerint, subministrare cogito (quarum omnium materiam in dedicatione septima Instructionis breviter indicavi) ita pro hac quoque saluberrima exercitatione succinctam, sed accuratam tamen, & dilucidam Instructionem componerem, in qua non generalia duntaxat principia Exercitiorum Spiritualium, sed ipsa quoque earundem praxis practicâ digestione materia traderentur.

Non ignoro equidem quam plurimos à variis Authoribus tractatus de hac materia fuisse compositos, sed qui plerumque jam supponant rudem saltem eorum, quæ ad Exercitia Spiritualia pertinent, cognitionem; nec facilè etiam Meditationes ad certos Hominum Status & species accommodant. Quare ut etiam quoad utrumque hoc caput nonnullum subsidium afferam Sacerdotibus, junioribus maximè, & in hac Theologia Mystica parùm exercitatis, duas in partes totum hunc Tractatum dividam; in quarum priore generalia principia ad cognoscendam Exercitiorum Spiritualium Formam, dignámq; de ijs æstimationem concipiendam pertinentia paullò fusiùs explicabo; in posteriore verò, quomodo illa ipsa principia in particulari ad varios Hominum Status applicari possint, dilucidè ostendam, ut, quemadmodum in aliis, ita etiam in hac materia varietas Sacerdotes delectet, & excitet. Faxit DEVS, ut, quem fructum Exercitia Spiritualia ab aliis composita in aliis multis pepererunt, eundem etiam simplex ista & brevis Instructio ad DEI majorem gloriam, Sacerdotum solatium, ac animarum salutem directa reportet.

INDEX

INDEX TITULORUM.

PARS I.

De Exercitiis Spiritualibus in genere.

CAPUT I.

De Natura Exercitiorum Spiritualium. Fol. 1.
§. 1. De causa finali Exercitiorum. 2
§. 2. De causa Materiali seu subjecto Exercitiorum. 6
§. 3. De causa formali Exercitiorum. 8
Membrum I. De Ordine in Exercitiis observando. ibid.
Membrum II. De Meditatione. 10
Membrum III. De Consideratione. 17
Membrum IV. De vocali Oratione. 20
Membrum V. De Lectione Spirituali. 21
Membrum VI. De Examine generali. 23
Membrum VII. De particulari examine. 26
Membrum VIII. De Confessione generali. 29
Membrum IX. De collatione Spirituali. 31
Membrum X. De Electione. 33
§. 4. De Causa efficiente Exercitiorum. 37
Membrum I. De Directore. 38
Membrum II. De Ministro. 40
Membrum III. De Collocutoribus. 41
Membrum IV. De Loco. ibid.

)( )(CAP. II.

CAPUT II.

De præstantia Exercitiorum Spiritualium.

TITULUS I.

De præstantia Exercitiorum ex intrinsecis prædicatis. 42

§. 1. De necessitate Exercitiorum. ibid.
§. 2. De utilitate Exercitiorum. 46

Fructus I. Temporis fructuosa collocatio. ibid.
Fructus II. Peccatorum conversio. 47
Fructus III. Confessionis integritas. 48
Fructus IV. Pœnæ temporalis remissio. 49
Fructus V. Virtutum studium & augmentum. 50
Fructus VI. Meritorum incrementum. 51
Fructus VII. Præparatio ad officia ritè obeunda. 53
Fructus VIII. Zelus animarum. 54
Fructus IX. Perfectionis assecutio. 57
Fructus X. Dispositio optima ad mortem piè & felicit obeundam. 58

Fructus XI. Ecclesiæ & Familiarum Religiosarum incrementum. 60

Fructus XII. Majus divinæ gloriæ incrementum. 61

§. 3. De jucunditate Exercitiorum. ibid.

TITU-

TITULUS II.

De præstantia Exercitiorum ex extrinsecis testimoniis. 65
§. 1. Quanti DEUS faciat Exercita. 66
§. 2. Quantopere Christus Exercitia æstimârit & commendârit. 67,
§. 3. Quam æstimationem B. Virgo de Exercitiis habuerit. 68
§. 4. Quid SS. Patres de Exercitiis senserint. 70
§. 5. Quid summi Pontifices de Exercitiis senserint. 72
§. 6. Quid Cardinales de Exercitiis senserint. 74
§. 7. Quid Episcopi de Exercitiis senserint. 75
§. 8. Quid Doctores Theologiæ de Exercitiis senserint. 76
§. 9. Quid S. Ignatius & alii Religiosi Societatis IESV de Exercitiis senserint. 77
§. 10. Quid alii Religiosi de Exercitiis senserint. 79
§. 11. Quid Sæculares Catholici de Exercitiis senserint. 80
§. 12. Quid Hæretici & Ethnici de Exercitiis senserint. 81

CAPVT III.

De Mediis quibusdam ad Exercitia fructuosè facienda conducentibus.

§. 1. Quæ media positiva adhibenda sint ad Exercitia fructuosè peragenda. 83

§. 2. Quæ media negativa adhibenda sint ad Exercitia fructuosè obeunda. 88
§. 3. Qualis Ordo Diurnus in Exercitiis sit observandus. 91
Membrum I. Monita generalia pro Ordine Diurno conficiendo, & observando. ibid.
Membrum II. Monita specialia de Ordine Diurno in Exercitiis observando. 94
§. 4. Modus facillimus meditandi paulò fusiùs proponitur. 100

PARS II.

Practica Exempla Meditationum pro secessu à Sacerdotibus instituendo complectens.

CAPUT I.

Practica Exempla pro octiduano secessu. 111

DIVISIO I.

Pro octiduano secessu juxta normam à S. Ignatio assignatam facta. 111

Meditatio proœmialis pridie Exercitiorum peragenda.

De Fine & Scopo horum Exercitiorum. 112
Materia Lectionis. 114
Annotationes. 116
Additiones. 121
Alia tria puncta Sacerdoti specialiter observanda ad felicem Exercitiorum successum consequendum. 125

EXER-

EXERCITIA
PRIMÆ HEBDOMADÆ.
PRIMA DIES.

Medit. I. de fine hominis. 128
Medit. II. De peccatis alienis. 131
Consideratio de inspectione status. 136
Medit. III. De peccatis propriis. 138
Materia Lectionis. 141
Regulæ De discretione Spirituum. 142

SECUNDA DIES.

Medit. I. De morte Sacerdotis. 147
Medit. II. De extremo judicio. 150
Consideratio de Linguæ custodia. 153
Medit. III. De inferno. 156
Materia Lectionis. 160
Materia scriptionis. 161

EXERCITIA.
SECUNDÆ HEBDOMADÆ.

Proœmium. 164

TERTIA DIES.

Medit. I. De regno Christi. 166
Medit II. De Nativitate Christi. 171
Consideratio de Cura sui ipsius. 175
Medit. III. De Vita privata Christi. 178
Materia Lectionis. 182
Materia scriptionis. 183

DIES QUARTA.

Medit. I. De duobus vexillis. 184
Medit. II. De tribus Classibus. 190
Consideratio de cura animarum. 194
Medit. III. De vita publica Christi. 195
Materia Lectionis. 198
Tres gradus humilitatis. ibid.
Materia scriptionis. 199

EXERCITIA.

TERTIÆ HEBDOMDÆ.

Monita circa illam. 201

DIES QUINTA.

Med. I. De Lotione pedum, summáque humilitate per eam à Christo exercita. 205
Medit. II. De SS. Eucharistiæ institutione. 209
Medit. III. De Agonia Christi, & oratione in horto. 211
Consideratio de charitate erga alios homines curæ Pastorali non subjectos. 214
Materia Lectionis. 216
Regulæ posteriores de discretione Spirituum. ibid.
Materia scriptionis. 217

DIES SEXTA.

Medit. I. De primo Christi comite seu indigentia summa. 219
Medit. II. De secundo Christi comite seu dolore summo. 223
Medit. III. De tertio Comite Christi, seu contemptu summo. 226

Con-

Consideratio de Mortificatione interna & externa. 228
Materia Lectionis. 230
Materia Scriptionis. 231

EXERCITIA
QVARTÆ HEBDOMADÆ.
DIES SEPTIMA.

Medit. I. De gloriosa resurrectione Christi. 234
Medit. II. De Ascensione gloriosa Christi. 238
Medit. III. De Spiritus Sancti missione. 240
Consideratio de actionibus quotidianis ritè obeundis. 244
Materia Lectionis. 247
Materia scriptions. 248

DIES OCTAVA.

Medit. I. De gloria & cultu Beatorum. 251
Med. II. De gloria & cultu B. Virginis. 253
Medit. III. De amore DEI. 257
Consideratio de propositorum executione. 262
Materia Lectionis. 264.
Regulæ de scrupulis cognoscēdis & deponēdis. ibid
Materia scriptionis. 265

NONA DIES.

Medit. unica de gratiis pro felici Exercitiorum successu referendis. 267
Materia Lectionis. 269
Tres modi orandi. ibid.

DIVISIO SECVNDA.
PRO OCTIDVANO SECESSV.

Meditatio Proœmialis pridie Exercitiorum peragenda. 272

PRIMÆ HEBDOMADÆ.

Dies Prima.

Medit. I. De fine Hominis. 275
Medit. II. De fine Sacerdotis. 279
Consideratio de peccatis in specie, quæ à Sacerdotibus committi possunt. 282
Medit. III. De indifferentia in usu rerum creatarum summè Sacerdoti necessaria, 286

SECUNDA DIES.

Medit. I De peccati mortalis à Sacerdote commissi gravitate. 289
Medit. II. De peccati venialis à Sacerdote commissi gravitate. 292
Consideratio de actionibus quotidianis in genere rectè obeundis. 295
Medit. III. De vera pœnitentia & conversione Sacerdotis, 298

TERTIA DIES.

Medit. I. De morte Sacerdotis. 302
Medit. II. De Judicio extremo. 304
Consid. de actionibus ad Deum pertinentibus. 307
Medit. III. De purgatorio & inferno. 310

QVARTA DIES.

Medit. I. De duobus vexillis, 314
Medit. II. De Incarnatione, Nativitate, & Circumcisione Christi. 316
Consideratio de actionibus ad B. Virginis, & aliorum Sanctorum cultum pertinentibus. 319
Medit. III. De reliqua Christi vita occulta. 322

QVINTA DIES.

Medit. I. De Christi Baptismo, Jejunio, & tentationibus. 325
Medit. II. De Vocatione Apostolorum. 328

Con-

Consideratio de actionibus ad proximum spectantibus. 331
Medit. III. De triennio ultimo Christi ante Passionem exacto. 336

SEXTA DIES.

Medit. I. De lotione pedum. 339
Medit. II. De SS. Eucharistiæ Institutione. 342
Consideratio de actionibus ad Officium Pastorale spectantibus. 344
Med. III. De agonia & oratione Christi in horto. 348

SEPTIMA DIES.

Medit. I. De Passione Christi. 351
Medit. II. De crucifixione & morte Christi. 354
Consideratio de actionibus ad ipsum Sacerdotem Spectantibus. 356
Medit. III. De Christi sepultura & descensu ad Inferos. 360

QVARTA HEBDOMAS.

OCTAVA DIES.

Medit. I. De gloriosa Christi resurrectione. 363
Medit. II. De Ascensione Christi. 366
Consideratio de Negotiatione spirituali Sacerdotis. 369
Medit. III. De Missione Spiritus Sancti. 372

NONA DIES.

Med. unica. de gratitudine pro acceptis in secessu Beneficiis exercenda. 374

DIVISIO TERTIA.

Octiduanæ Recollectionis per Parabolarum considerationem faciendæ. 378
Medit. Proœmialis. 379

PRIMA DIES.

Medit. I. De fine hominis & Sacerdotis. 382

Med. II. De peccatis. 384
Consideratio de radice peccatorum seu Concupiscentia. 388
Med. III. De Morte Justorum & Peccatorum. 390

SECUNDA DIES.

Med. I. De Extremo judicio. 393
Med. II. De Purgatorio. 396
Consideratio de Custodia sensuum. 398
Med. III. De inferno. 400

TETIA DIES.

Med. I. De regno Christi. 403
Med. II. De abnegatione omnis amoris inordinati erga res creatas. 405
Consideratio de linguæ custodia. 407
Med. III. De fervore in perfectionis studio. 410

QUARTA DIES.

Med. I. De Paupertate Spirituali. 413
Med. II. De Castitate. 415
Consideratio de regularum & constitutionum Ecclesiasticarum accurata custodia 417
Med. III. De obedientia. 419

QVINTA DIES.

Med. I. De oratione. 421
Med. II. De humilitate. 424
Consideratio de frequenti recollectione sui. 427
Med. III. De pura intentione. 430

SEXTA DIES.

Med. I. de Zelo animarum. 432
Med. II. de indifferentia Religiosi vel Sacerdotis. 435
Consideratio de sedula administratione officii. 437
Med. III. de Cautela Operarii. 439

SEP-

SEPTIMA DIES.

Med. I. de Beneficio Redemptionis. 441
Med. II. de fructibus ex passionis Dominicæ consideratione referendis. 444
Consideratio de tribulationum utilitate, iisque ritè ferendis. 446
Med. III. de constantia inter adversa. 449

OCTAVA DIES.

Med. I. de cœlesti gloria. 451
Medit. II. de cultu SS. Patronorum. 453
Consideratio de ordine diurno ordinando. 456
Med. III. de amore Dei. 458

NONA DIES.

Med. finalis de gratiarum actione pro felici successu Exercitiorum. 460

CAPVT II.

DE TRIDUANA RECOLLECTIONE A SACERDOTIBUS ET CLERICIS INSTITUENDA.

Primum Exemplar.

Recollectionis triduanæ instituendæ. 464

PRIMA DIES.

Medit. I. de fine hominis. 465
Med. II. de vocatione cœlesti inquirenda. 468
Examen per reliquum hujus dici tempus instituendum. 471
Materia lectionis 475

SECUNDA DIES.

Med. I. de dotibus ad Sacerdotem necessariis. 476
Med. II. de fructibus & commodis status sacerdotalis. 479
Examen per reliquum diem instituendum. 481

TERTIA DIES.

Med. I. de incommodis & periculis status Sacerdotalis. 489

Med.

Med II. de executione vocationis. 493

EXAMEN.

Reliquo hujus diei tempore instituendum.

Observanda ante electionem. 497
Observanda in electione. 498
Observanda post electionem. 499

Secundum Exemplar.

TRIDUANÆ RECOLLECTIONIS.

DIES PRIMA.

Med. I. de officio & dignitate Sacerdotis. 505
Med. II. de primo Sacerdotis Officio seu missæ Sacrificio offerendo. 508
Occupationes per reliquum tempus. 512

DIES SECUNDA.

Med. I. de secundo Sacerdotis Officio, seu horarum Canonicarum devota recitatione. 514
Med. II. de tertio Sacerdotis Officio videlicet administratione Sacramentorum & verbi divini. 517
Occupationes per reliquum hujus diei tempus. 521

DIES TERTA.

Med. I. de triplici Zelo Sacerdotis. 523
Med. II. de Mediis ad Sacerdotis Officium ritè obeundum necessariis. 528
Occupationes reliquæ diei. 531

Tertium Exemplar.

TRIDUANÆ RECOLLECTIONIS.

Pro iis, qui post animarum curam aliquamdiu exercitam recolligere se desiderant. 534

DIES PRIMA.

Med. I. de corde novo procurando. 536
Med. II. de Corde Mundo procurando. 540
Occupationes reliquæ hujus diei. 543

DIES

DIES SECVNDA.

Med. I. de corde recto procurando. 544
Med II. de corde ardente procurando. 548
Occupationes reliquæ diei. 551

DIES TERTIA.

Med. I. de corde carneo procurando. 553
Med. II. de corde alto procurando. 555
Occupationes reliquæ diei. 558

Quartum Exemplar.

TRIDVANÆ RECOLLECTIONIS.

Pro Sacerdote Seriam pœnitentiam facere volente. 559

DIES PRIMA.

Med. I. de Petro delinquente. 560
Med. II. de Petro pœnitente. 561

DIES SECUNDA.

De Petro respecto à Christo, seu de adjumentis ad veram pœnitentiam agendam. 563
Med. II. de Petro vincente, seu de impedimentis pœnitentiæ removendis. 565

DIES TERTIA.

Med. I. de Petro fervente. 567
Med. II de Petro constante, id est, perseverantia pœnitentiæ procuranda. 569
Occupationes reliquæ pro hoc triduo, 571

APPENDIX.

Divisionem Octiduanæ Recollectionis Religiosis præcipuè Sacerdotibus perfectionis studiosis, & solidam virtutum exercendarum praxin addiscere volentibus accommodatam continens. 573

Com-

Compendium. CHRISTIANÆ PERFECTIONIS

§. 1. In quo consistat Christiana perfectio. 575
§. 2. Quibus motivis animus excitandus sit ad perfectionis prædictæ studium. 577
§. 3. Quibus mediis ad dictam perfectionem connitendum sit. ibid.

Meditatio Proœmialis.

De fine horum Exercititiorum. 579

DIES PRIMA.

Med. I. de Fine hominis & Religiosi, vel Sacerdotis. 581
Med. II. de peccatis. 583
Consideratio de sensuum custodia. 586
Med. III. de morte Religiosi vel Sacerdotis. 588

DIES SECUNDA.

Med. I. de judicio particulari. 590
Med. II. de purgatorio. 592
Consideratio de linguæ custodia. 595
Med. III. de æternitate. 597

DIES TERTIA.

Med. I. de Virtute in genere. 599
Med. II. de Fide Religiosi vel Sacerdotis. 602
Consideratio de pace animi procuranda. 604
Med. III. de spe Religiosi vel Sacerdotis. 607

DIES QUARTA.

Med. I. de primo actu caritatis erga Deum, sive de contemptu omnium rerum terrenarum. 609
Med. II. de secundo actu caritatis divinæ, nempe de pura intentione. 612
Consideratio de victoria sui. 615

Med.

Med. III. de tertio actu caritatis divinæ, nempe de conformitate voluntatis humanæ cum divina. 617

DIES QUINTA.

Med. I. de caritate erga domesticos. 619
Med. II. de caritate erga externos. 622
Consideratio de regularum sive constitutionum Ecclesiasticarum observatione 625
Med. III. de charitate erga defunctos. 627

DIES SEXTA.

Med. I. de Religione erga Deum. 629
Med. II. de Religione & cultu B. Virginis. 631
Consideratio de spiritualibus exercitiis. 634
Med. III. de Religione & cultu Sanctorum. 636

DIES SEPTIMA.

Med. I. de voto paupertatis. 639
Med. II. de voto castitatis. 641
Consideratio, de negotiatione Spirituali. 643
Med. III. de voto obedientiæ. 645

OCTAVA DIES.

Med. I. de Humilitate Religiosi vel Sacerdotis 647
Med. II. de Patientia Religiosi vel Sacerdotis. 650
Consideratio. de renovatione Spiritus. 652
Medit. III. de Perseverantia Religiosi vel Sacerdotis. 654

ALIÆ CONSIDERATIONES.

Quæ pro libitu horâ considerationi præfixa usurpari, aut aliis considerationibus substitui possunt. 657
Consideratio de amore inordinato mundi. 658
Consideratio de amore creaturarum. ibid.
Consid. de amore proprio. 659
Consid. de voluptatum amore. 660
Consi. de indifferentia. ibid.
Consi. de minimorum æstimatione. 662
Consid. de fervore excitando. 663
Consid. de tepore in perfectionis studio. 664
Consid. de tribulationum bonitate. 665
Consid. de mortificatione, & continua sui victoria. 667
Consid. de humilitate. 667
Consid. de Laudis humanæ contemptu. 668
Consid. de patientia in genere. 669
Consid. de patientia in specie. 670
Consid. de voluntate DEI. 672
Consid. de voluntate propria. 673
Consid. de votis religionis. 674
Consid. de regularum observatione. 675
Consid. de amore DEI. 676
Consid. de amori proximi. 677

PARS I.

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS IN GENERE.

TRIA præcipuè capita de Exercitijs Spiritualibus in genere tractanda sunt, videlicet Natura & Præstantia eorundem, ac media, quorum auxilio optatus Exercitiorum successus faciliùs obtinetur. De singulis paulò fusiùs in hac parte agetur.

CAPUT I.

DE NATURA EXERCITIORUM SPIRITUALIUM.

QUID nomine Exercitiorum Spiritualium intelligatur, ipse eorum Author S. Ignatius ann. 1. sat clarè indicavit, dum dixit, intelligi per ea modum quemlibet examinandi propriam Conscientiam; item meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentem & vocem; ac postremò alias quascunque Spirituales operationes. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere exercitia sunt corporalia; ita quoque præparare, & disponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & ijs sublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem DEI, circa vitæ suæ institutionem & salutem animæ, Exercitia Spiritualia vocantur. Unde colligitur, dicta Exercitia paulò fusiùs sic describi posse, quòd scilicet sint *Exercitationes piæ in secessu Spirituali ad finem ultimum atque perfectionem certiùs, facilius, & abundantiùs consequendam assumptæ*; id, quod ipse Christus sua Incarnatione & adventu potissimùm intendit, dum ideo venit in Mundum, ut vitam homines habeant, & abundantiùs habeant.

beant. Quæ tota descriptio clariùs patebit; si omnia, quæ de his Exercitiis dici possunt, ad quatuor suas causas revocentur, ut in sequentibus paragraphis præstabitur.

§. I.

De Causa finali Exercitiorum Spiritualium.

I. Ut faciliùs, clariúsque finis horũ Exercitiorũ cognoscatur, supponendũ est primò ex S. Thoma 2.2.q.81.a.8. perfectionẽ in duobus potissimùm capitibus consistere, in puritate scilicet, & immobili unione cum DEO; per hanc enim DEO velut summo bono, & fini ultimo Homo conjungitur, atque adeò veram felicitatem, qualis in hac vita mortali haberi potest, assequitur. Quia verò Homo cum DEO uniri non potest, nisi ab omnibus inferioribus objectis seu creaturis penitus sit separatus, ideo puritas requiritur, cujus proprium est officium, mentem ab omni inordinato erga res creatas amore abstrahere, atque ad solum DEVM amandum atque fruendum convertere.

II. Secundò supponendum est, duplicem esse charitatem seu unionem cum DEO, *affectivam* scilicet, & *effectivam*, quarum prior in solis actibus internis complacentiæ, congratulationis, & laudis ob summam ejus bonitatem consistit; posterior verò etiam ad opera DEO placentia, gloriámque eius manifestandam atque augendam impellit, ad quam proinde S. Joannes 1. Jo. 3. hortatus est dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* De eadem etiam locutus est S. Ignatius, dum in Contemplatione de amore dixit, amorem magis in operibus, quàm verbis consistere.

III. Atque hinc videlicet totus virtutum tam Theologicarum, quàm Moralium apparatus originem suam trahit; cùm enim nihil amari possit, nisi præcognitum, nec voluntas ad prosecutionem alicujus objecti media, viréque applicet, nisi possibilem illius consecutionem esse sciat, hinc Fidei & Spei supernaturalis necessitas oritur, quarum illa DEVM saltem in ænigmate cum suis perfectionibus ostendit; ista verò possessionem illius per media convenientia obtineri

tineri posse demonstrat. Quia autem, ut rectè D. Augustinus in epist. ad Maced. advertit, *ad Deum, qui ubique præsens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod diligit, dijudicari solent*; hinc ante omnia prima virtus moralis, nempe Prudentia est necessaria, quæ media ad finem propositum convenientia eligere doceat. Post hanc verò Justitia requiritur, quæ ad Jus suum cuique tribuendum inclinet. A quo exercitio, cùm duo potissimùm impedimenta, teste S. Augustino in Ps. 38. impediant, nempe malè ardens cupiditas, & malè jacens timiditas (quam ob causam jam olim antiqui Philosophi totam suam Philosophiam in geminis vocibus *abstine*, & *sustine* constituerunt) hinc reliquarum duarum moralium virtutum, videlicet *Temperantiæ* & *Fortitudinis* necessitas oritur, quarum prior cupiditatem inordinatam refrenat; posterior verò nimiam inter pericula & difficultates timiditatem mitigat. Atque ex his modò non difficile erit, finem & scopum, imò totum Sistema Exercitiorum Spiritualium per sequentia Corollaria cognoscere. Itaque

IV. Colligitur primò. Rectè ab Ascetis & Patribus Spiritualibus vitam hominis peregrinationi seu itineri comparari, ut enim is, qui iter facit, tria sibi proposita habere, & præstare debet, nempe Terminum, seu locum, à quo recedendum est: Terminum seu viam, per quam incedendum est: & Terminum denique seu locum, ad quem accedendum est, ac in eo quiescendum; ita simili quoque modo eadem tria is, qui hanc vitam ingressus est, atque ad ultimum suum finem tendit, sibi proponere debet. Et Terminus quidem, ad quem assequendum tendere oportet, non alius est, quàm ipsa Charitas, seu unio cum DEO, quæ est perfectio hominis, & ultimus finis, in quo finaliter quiescendum est. Quia verò ab hoc Termino per solum inordinatum amorem suiipsius & aliarum creaturarum, atque adeò per peccatum receditur, ideo Terminus, à quo discedendum est, rectè prædictus amor inordinatus & Peccatum statuitur. Cùm verò ad peccatum vitandum oppositarum virtutum exercitium requiratur, ideo rectè quoque pro via, per quam ad DEVM accedendum est, virtutes, quas DEVS à quovis homine secundùm Statum situm requirit, assignantur; quàm totam doctrinam ipse Spiritus

tus Sanctus per Prophetam Davidem Psal. 33. indicâsse videtur, dum dixit: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem* (seu perfectionem & finem ultimum, in cujus adeptione pax vera animi consistit) *& persequere eam.*

V. Colligitur secundò. Rectè ab ijsdem Ascetis in studio perfectionis tres vias triplici, de quo modò diximus, Termino correspondentes assignari; quarum primam *Purgativam* vocant, eò quòd proprium illius officium sit, animam purgare, id est, ab omni amore inordinato rei terrenæ atque peccato abstrahere, in quo vera animæ puritas consistit. Alteram *illuminativam* vocant, eò quòd anima à tenebris peccati liberata fiat habilis & apta ad divinas illustrationes, & illapsum interni luminis recipiendum (juxta illud Christi: *Beati mundo corde, quoniam DEVM videbunt.* Matth. 5. imò in ipsa luce & die virtutum & operum bonorum ambulare incipiat, sícque adimpleat consilium Apostoli dicentis Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus.* Alij non incongruè hanc viam ideo illuminativam dici existimant, quòd homo in hac via constitutus pro fine exercitium virtutum sibi propositum habeat, atque ut hunc finem faciliùs, perfectiúsque assequatur, Christum, qui est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum, & absolutissima omnis virtutis ac sanctitatis Idea, in tali exercitio imitandum assumat, atque adeò ab illo illuminetur ad dictas virtutes perfectissimo modo exercendas. Tertiam denique viam *Vnitivam* appellant, eò quòd per illam homo ipsam Charitatis divinæ perfectionem, atque adeò etiam unionem cum DEO assequatur, sícque Terminum sui itineris seu tendentiæ ad ultimum finem adeptus, suaviter in eodem requiescat.

VI. Colligitur tertiò. Potissimum Exercitiorum scopum esse, ut hominem salutis suæ studiosum per triplicem hanc viam ad ultimum suum finem deducant. Etsi enim S. Ignatius totam Exercitiorum materiam in quatuor hebdomadas diviserit, rectè tamen eædem, ut fusiùs Directorium Exercitiorum ostendit, triplici huic viæ respondere dicuntur, cùm prima hebdomas tota in peccatis extirpandis occupetur,

petur, atque adeò viæ Purgativæ respondeat; Secunda verò & tertia totæ in virtutibus Christi imitandis laborent, quarum aliquæ, quia in *agendo* præcipuè consistunt (ut virtutes ad Prudentiam & Justitiam pertinentes) aliæ in homine ab illicitis objectis abstrahendo, atque adeò in *abstinendo* occupentur; aliæ denique in eodem homine adversus varias difficultates in virtutum exercitio occurrentes roborando, atque adeò in *sustinendo* versentur, & hæ utpote longè alijs difficiliores majorem quoque perfectionem, qualem Christus in sua passione maximè ostendit, involvant, meritò ijsdem S. Ignatius peculiarem hebdomadam assignavit, adeóque viam hanc illuminativam, sicut olim S. Thomas secundam Theologiæ partem, in duas alias partes partitus est. Quarta denique, quæ in homine per divinum amorem inflammando potissimùm desudat, viæ unitivæ respondet. Circa quas tamen hebdomadas & vias rectè notat citatum Directorium, non ita, quæ de ijs dicta sunt, accipienda esse, ut intelligatur aliquis, peractâ primâ hebdomadâ, perfectè & plenè purgatus; peractâ autem secundâ & tertiâ hebdomadâ perfectè illuminatus; & quartâ denique absolutâ, pervenisse ad plenam unionem cum DEO (hæc enim omnia indigent diuturno tempore, studio, & exercitatione in extirpandis vitijs, in passionibus edomandis, & virtutibus acquirendis) sed quòd quatuor hæ hebdomadæ respondeant his tribus vijs primò propter materias, quæ in earum qualibet tractantur, pertinentes ad has vias; & quia in eis jaciuntur initia singularum, quæ deinde oportet prosequi cum tempore, & cum studio, si velimus ad aliquam earum perfectionem pervenire. Deinde etiam, quia discitur modus & methodus, quam deinceps servare debemus in unaquaque harum via prosequenda.

VII. Colligitur quartò. Rectè ab aliquibus pro Scopo horum Exercitiorum Spiritualium *Reformationem hominis interioris* assignari; quæ quidem nihil aliud est, quàm morum, vitæque in meliorem formam commutatio, & triplex ab Antonio Gaudier p. 6. Introd. c. 25. statuitur. Prima est omnino necessaria ad salutem, cùm quis in Statu suo damnabiliter vivit. Secunda est extremè contraria, nimirum Perfectorum, qui nec gravia habent peccata, nec imperfe-

ctiones magnas, quas tollant in sua reformatione, unde præcipuè intendunt, majorem duntaxat perfectionem addere, magísque ac magis Christo sẽ conformare. Tertia reformatio est media inter priores duas, quando scilicet vita nec omnino damnabilis, nec omnino perfecta est, sed multis ac periculosis imperfectionibus est plena, adeò ut periculosè vivatur, & interdum peccata, de quibus dubium est, an non sint mortalia, committantur; quæ proinde frequentior esse solet, atque adeò crebriùs etiam per Exercitia intenditur.

§. II.

De Causa Materiali, seu Subjecto Exercitiorum.

I. Per hanc is, qui Exercitia facturus est, intelligitur, de quo quidem id potissimùm hoc loco considerandum est, quomodo dispositus esse debeat, ut optatum ex talibus Exercitijs fructum referat, quæ dispositio juxta ea, quæ in Directorio cap. 2. dicuntur, ad tria ferè capita revocari potest, nempe ut aliqua erga DEVM; alia erga eum, qui tradit Exercitia; alia denique erga seipsum observet.

II. Primò itaque erga DEVM sequentia tria observare debet juxta citatum Directorium. 1. Ut habeat magnam spem in bonitate & liberalitate DEI, qui, cùm etiam errantes requirat, & fugientes sequatur, multò magis eos, qui ad se ultro bono animo accedunt, recipiet & complectetur 2. Ut libenter & avidè Exercitia hæc aggrediatur, non tam ut spirituali dulcedine fruatur, quàm ut DEI voluntatem de se intelligat, suúmque affectum à terrenis omnibus avellat, & eum in suo Creatore collocet. 3. Ut sit bene resignatus in beneplacito DEI in ijs, in quibus adhuc liber est, itáq; animo paratus sit, ut, quidquid cognoverit à DEO faciendum esse, omnino exequi decernat; minimè autem D E O ponere modum velit aut terminum, ultra quem illuminari aut juvari non petat; hoc enim modo, præterquam quòd valdè indecens sit, ut Creatura cum suo Creatore sic agat, valde sibi ipsi nocet, tum quia privat se majoribus donis; tum quia meretur tali restrictione, ut ne ea etiam, quæ vellet, accipiat. Quare debet potiùs animi sinum dilatare, ut, quàm maximè possit

possit sese cum DEO conjungere, & quàm maximè ab eo ditari, & thesauris istis cælestibus repleri desideret; à qua quidem dispositione si non totum, certè præcipuum Exercitiorum fructum dependere rectè affirmant Ascetæ de hac materia scribentes.

III. Secundò erga eum, qui in tradendis Exercitijs Directoris munere functurus est, sequentia observare debet. 1. Ut eum tanquam Instructorem, & DEI instrumentum ad hoc missum, ut ipsum dirigat, & ducat per eam viam, quæ ad vitam ducit, intueatur, atque adeò cum omni reverentia, alacritate, & confidentia excipiat, quæ ei proponet. 2. Ut sincerè totum cor suum eidem patefaciat, & candidè referat, quo modo meditationes successerint, quæque in eis vel extra eas reliquo tempore lumina, vel bona desideria, aut consolationes, desolationésve senserit.

IV. Tertiò denique erga seipsum pariter tria observare debet. 1. Ut magna cum alacritate hæc Exercitia aggrediatur; ad quod conducet, si intelligat, quanta sit res, quam aggreditur, nempe quæ non solùm ad animam pertineat, sed ita pertineat, ut, si modò diligenter præstet ea, quæ debet, jacturus sit fundamenta spiritualis profectûs, quæ deinceps per totam vitam usui futura sint. Ad eundem finem non parùm conducet, si consideretur, quid Viri doctriuâ & virtute, ac non solùm rerum humanarum experientiâ, sed etiam spiritualium peritiâ insignes de his Exercitijs senserint, ut qui ea re ipsâ experti ita probârunt, ut illorum usu majorem, quàm sperare ausi essent, suarum animarum fructum & solatium se consecutos esse, tum verbis, tum scriptis prædicârint, ut in secundo capite pluribus exemplis demonstrabitur. 2. Ut statuat secum viriliter agere, & omnia impedimenta divinæ gratiæ fortiter rejicere, omnésque animi vires intendere, ut huic gratiæ cooperetur, & se ad eam recipiendam, quàm optimè poterit, disponat. Atque adeò in hunc finem ab omnibus negotiis domesticis priùs se expediat, vel certè aliis interea illa committat, ac toto tempore omne sibi Amicorum ac Familiarium commercium interdicat; hæc enim mentem summoperè distrahunt, & conceptum fervorem restringunt. 3. Ut ad plenam quoad omnia indifferentiam se reducens, magno, liberalíque animo, totum studium &

arbitrium suo offerat Creatori, ut de se suísque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimùm servire possit juxta ejusdem beneplacitum, id quod summopere ad optatum ex his exercitiis fructum referendum conducere, in ipso mox annotationum suarum principio S. Ignatius testatur.

§. III.
De Causa Formali Exercitiorum.

Quæ sit causa formalis Exercitiorum, sat clarè Paulus III. in Bulla, quâ anno 1548. eadem Exercitia approbavit, indicâsse videtur, dum dixit, ea nihil aliud esse, quàm documenta quædam ex S. Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, & in ordinem ad piè movendos Fidelium animos aptissimum à S. Ignatio redacta; ex his enim verbis, & ex ipsa definitione Exercitiorum, quæ suprà ex ipsis S. Ignatij verbis relata est, facilè colligitur, duplicem esse causam formalem eorundem Exercitiorum, *partialem* scilicet, quæ in singulis actionibus spiritualibus, ex quibus velut partibus juxta definitionem S. Ignatij, Exercitia constituuntur, & octo plerumque numerantur, videlicet Meditatio, Consideratio, Oratio vocalis, Lectio, Confessio generalis, Collatio cum Patre Spirituali, & Electio Statûs, reperitur; & *universalem*, quæ omnibus memoratis partibus est communis, ut nempe certo quodam Ordine velut vinculo inter se connectantur, certáque intentione ad unum Scopum ac finem, videlicet reformationem hominis interiorem destinentur. Unde paucis verbis hæc causa formalis sic exprimi potest: Est legitima & ordinata peractio actionum Spiritualium ad interiorem hominis reformationem in secessu Spirituali suscipi solitarum. Quæ descriptio ut meliùs intelligatur, simúlque intelligatur, quâ ratione singulæ suprà enumeratæ actiones peragi debeant, de utraque causa formali indicata paulò fusiùs & clariùs discurrendum est.

MEMBRUM I.
De Ordine in Exercitiis observando.

I. Triplex plerumque Ordo statuitur, per quem actiones in Exercitiis Spiritualibus suscipi solitæ connectuntur. Primus

mus in *Temporis* distributione consistit, ut scilicet totus dies in varias occupationes ita distribuatur, ut certa cuilibet functioni Spirituali hora respondeat; sic enim & tædium levatur, & animus functionibus præscriptis semper occupatus, à multis distractionibus, quæ otiosæ menti facilè alioqui obrepere solent, liberatur. Quia tamen non omnes eadem dormiendi, surgendi, meditandi, aliáque similia officia peragendi tempora æqualiter observare queunt, ideo nec unus quidem modus hujus distributionis assignari potest, sed is considerată ejus, qui Exercitia facit, naturâ & corporis constitutione, aliísque circumstantiis, vel à Directore, vel cum hujus consilio ab ipso Exercitante faciendus, atque, ut faciliùs in memoria retineatur, scripto notandus est; cujus exemplar ad initium tertij capitis hujus Partis afferetur.

II. Secundus Ordo Materiarum, de quibus Meditationes & Considerationes instituendæ sunt, ordinatam distributionem complectitur; qui quidem vix alius esse debet, quàm is, quem S. Ignatius in libello Exercitiorum, servatâ quatuor hebdomodarum distributione, assignavit. Ubi tamen bene observandum est, quod idem Sanctus in annotatione decima notavit, quòd, licet pro integris Exercitiis quatuor hebdomadæ assignentur, id tamen non ita accipiendum sit, ut necessariò unaquæque hebdomas septem vel octo dies contineat, sed juxta subjectæ materiæ rationem, ejúsque, qui exercetur, dispositionem aut occupationem pro libitu quæliber hebdomas vel succidi, vel extendi possit. Imò nec ipsæ etiam, quas S. Ignatius pro singulis diebus præscripsit, materiæ tam rigido ordine assumendæ sunt, quin interdum aliæ, licet in libello Exercitiorum minimè contineantur, interseri possint, ut ipse iterum Libelli Author post quintum diei primæ Exercitium monet.

III. Tertius tandem Ordo circa ipsarum, quæ in Exercitiis assumendæ sunt, functionum distributionem versatur, ut scilicet sciat, qui exercetur, quot horas Meditationi aut lectioni spirituali impendere: quando generalem Confessionem instituere, aut Electionem Statûs facere: quando cum Instructore aut aliis colloqui: de qua materia Examen particulare instituere: quæ opera pœnitentiæ assumere debeat, & similia.

MEMBRUM II.

De Meditatione.

Ut tam hæc, quàm secuturæ actiones spirituales cum debito fructu & solatio obeantur, ante omnia bene notandum est, triplicem plerumque causam esse, ob quam ex ejusmodi actionibus optatus fructus non referatur, nempe vel quia Natura earum, & Scopus, ad quem tendere debent, sufficienter non cognoscitur; vel quia conveniens Modus ejusdem practicè & utiliter peragendi ignoratur; vel quia digna de illarum præstantia & utilitate æstimatio non habetur, unde fit, ut exigua in ijsdem perficiendis diligentia adhibeatur, atque adeò DEVS etiam auxilium & gratiam ad eas ritè obeundas necessariam parciùs largiatur, cùm, ut sapienter Cæsarius hom. 3. ad Monachos advertit; *Tantùm DEVS addat ad Adjutorium, quantùm nos addiderimus ad studium.* Quare ut hoc triplex impedimentum efficaciter removeatur, in singulis hisce actionibus hęc tria breviter ostendam, nempe quæ sit Natura & Scopus illius, quæ praxis, & quæ æstimatio de illa concipienda sit.

Natura & Scopus.

I. Meditationis nomine hoc loco non intelligitur quæcunque investigatio naturalis alicujus aut etiam supernaturalis veritatis (hæc enim solius luminis naturalis aut Theologiæ studio haberi potest) sed actio religiosa, per quam ex discussione alicujus historiæ vel veritatis supernaturalis voluntas ad pios affectus, vitæque reformandæ serium propositum excitatur, gratiaque ad illud exequendum à DEO postulatur. Quam proinde Meditationem S. Ignatius in libello Exercitiorum *Exercitium trium Potentiarum* vocat, eò quòd ordinariè per tres Potentias peragatur, scilicet per memoriam, intellectum, & voluntatem, ita tamen, ut, quemadmodum bene advertunt P. Zacharias Trinckelius c. 7. proleg. & alij, hæ potentiæ hoc loco non secundùm rigorem & proprietatem Philosophicam sumantur, sed memoriæ nomine tam apprehensio, quàm judicium de veritate supernaturali intelligatur, atque ut sic ad eam pertineat, non tantùm repræ-

repræsentare intellectui mysterium aut veritatem, sed etiam Personas, Cogitationes, Verba, desideria, facta expendere. Per Intellectum verò sola ratiocinatio sive discursus, per quē ex veritate aliqua proposita conclusiones practicæ ad morum & virtutis perfectionem accommodatæ deducantur, significetur; per voluntatem denique variæ voluntatis operationes atque affectus pij, qui primarius ferè Meditationis Scopus sunt, indicentur. Etsi verò S. Ignatius in libello Exercitiorum primam duntaxat primæ diei MeditationemExercitium trium Potentiarum vocaverit, hoc tamen non ideo fecit, ut indicaret in alijs Meditationibus non opus fore triplicis hujus potentiæ concursu, sed ut in hoc quasi aditu & principio viam monstraret, quæ in reliquis deinceps Meditationibus tenenda foret, ut rectè Directorium advertit.

II. Ex quo toto discursu facilè nunc colligitur primò, Quadruplicem Meditationi Scopum præfigi debere, quorum primus est *Cultus DEI & Sanctorum*, ad quorum honorem ejusmodi Meditatio instituitur, ut per illam gloria & virtutes ac perfectiones eorundem clariùs cognoscantur, & ad perfectam imitationem animus incitetur. Secundus est ipsius *Intellectûs illustratio*, ut, ubi ille solidam & genuinam cælestium rerum pariter, ac terrestrium cognitionem, æstimationémque hauserit, tantò faciliùs voluntatem ad cælestes quidem appetendas, & quærendas, terrestres verò vilipendendas, & fugiendas excitet. Tertius est *Excitatio & Motus voluntatis* ad ea, quæ Intellectus facienda proposuerit, executioni mandanda, in quo Scopo præcipuus Meditationis fructus consistit, cujus defectu frequenter locum habet nota illa lamentatio: *Video meliora, probóque, deteriora sequor.* Quartus est *Petitio gratiæ & auxilij divini cum congruis affectibus*; cùm enim DEVS ex una parte dixerit Jo. 15. *Sine me nihil potestis facere*; ex altera verò parte etiam Joan. 16. dixerit: *Petite, & accipietis*: meritò postquam is, qui meditatur, voluntatem suam ad vitium aliquod fugiendum, aut virtutem aliquam amplectendam, commotam senserit, ad auxilium à DEO petendum per orationem se accingit; ob quam causam præcipuè Meditatio, oratio mentalis vocari solet, ut indicaretur scilicet, utramque, id est, Meditationem & Orationem simul jungendam esse, eò quòd, ut S Bernardus

dus ser. 1. de S. Andrea loquitur, *Meditatio docet, quid desit; Oratio, quod deest, obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione agnoscimus imminentia nobis pericula, Oratione evadimus.*

III. Colligitur secundò. Meditationem ratione secundi & tertij Scopi priori numero indicatorum rectè Exhortationem sive concionem privatam hominis ad seipsum vocari; ut intelligatur, quemadmodum non illæ Concionet fructuosæ censentur, in quibus intellectus curiosis discursibus, & ingeniosis conceptibus pascitur & recreatur, sed in quibus voluntas ad vitij fugam & virtutis amorem movetur, atque adeò Auditores, ut dici solet, demissis in terram oculis, capitibúsque compuncti ex templo discedunt; ita id ipsum de fructu Meditationis sentiendum esse, ut scilicet in hac quoque doctrina & Motus præcipuè intendatur; delectatio verò non alia, quàm ea, quæ doctrinam & motum sequitur, quæratur.

Æstimatio.

Hæc non difficulter concipietur, si firmiter sibi Exercitans persuadeat, Meditationem esse scholam, in qua cœlestis Sapientia addiscitur, docens omnia suis momentis æstimare, & terrena quidem cum S. Paulo ut stercora arbitrari, & contemnere; DEVM verò & cœlestia super omnia æstimare & amare; nam, ut Thomas Kemp. l. 1. c. 1. ait, ista est summa sapientia, per contemptum Mundi tendere ad regna cœlestia. Unde noster P. Franciscus Suarez tanti æstimabat hoc Exercitium, ut dicere ausus sit, malle se omnem suam scientiam perdere, quàm unicam Meditationis horam negligere. Sanctus Pater Ignatius verò, quanti æstimârit Meditationem, tunc maximè prodidit, quando P. Jacobo Layni suadenti, ut longius tempus in Societate pro Meditatione præscriberet, respondit, nolle se id facere, eò quòd unicus etiam quadrans in Meditatione fructuosè obita consumptus sufficiens sit ad vitam perfectè instituendam.

Praxis.

I. Hæc in eo præcipuè consistit, ut materia & forma Meditationis sint optima: Et materia quidem optima erit, si solida & practica doctrina, id est, ad vitiorum fugam, vel virtu-

virtutis amorem & ſtudium ordinata aſſumatur, & in ſua puncta bene dividatur. Etſi autem aliqui hanc materiam ad duo capita revocari poſſe exiſtiment, ad rem geſtam ſcilicet, vel piam hiſtoriam, & ad veritatem aliquam à DEO revelatam, aut Sacræ Scripturæ Verbis comprehenſam; rectiùs tamen & clariùs alij ad ſeptem capita reducunt, nempe 1. ad Hiſtoriam. 2. Parabolam. 3. Sententiam. 4. Regulam vel Præceptum. 5. Virtutem. 6. Vitium. 7. Actionem aliquam indifferentem, v. g. ſiquis meditari vellet, quomodo actiones ſuas ordinarias & quotidianas ritè & fructuosè obire vellet; aut de ijſdem recollectionem aliquam & Examen per ipſam Meditationem inſtitueret. Ex his quippe ſeptem Fontibus omnis materia, quæ in Meditatione diſcutienda aſſumitur, oriri plerumque ſolet, ut conſideranti patebit.

II. Forma Meditationis in quatuor ferè capitibus conſiſtit, nempe in Præparatione, Diſcuſſione, Colloquijs, Examine; ut enim, qui alteri concionari cupit, priùs & ſe, & Auditores præparat; tum actu de propoſita materia diſcurrit, & concionatur; & tandem Concionem per ferventem Epilogum concludit; ac, ubi à Concione ſua diſceſſerit, ſuper ſucceſſu concionis ſe reflectit; ita idipſum cum proportione in Meditatione velut privata ſuiipſius exhortatione obſervandum eſt.

III. Et Præparationem quidem quod attinet, quantopere ea neceſſaria ſit, jam olim Siracides c. 18. indicavit, dum dixit: *Ante Orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat DEVM*, id eſt, exigens aut ſperans ipſius auxilium, cùm tamen te ad illud percipiendum per cooperationem diſponere nolis. Certè quod de Concionatoribus dici plerumque ſolet: *Qui aſcendit ſine labore, deſcendit ſine honore:* id de fructu orationis meliori jure uſurpari poteſt, ut ſcilicet talis vel conſolatio vel emendatio ex Meditatione percipiatur, qualis præparatio præceſſerit. Porro triplex plerumque Præparatio ab Aſcetis poſt S. Ignatium requiritur. 1. *Remota*, quæ in eo conſiſtit, ut & materia ſequenti die diſcutienda prælegatur, & diſponatur, & tum veſperi ante ſomnum, tum manè, ubi quis evigilaverit, menti per memoriam repræſentetur. 2. *Propinqua*, quæ requirit, ut à loco Meditationis uno, alteróve paſſu diſtans, animo

animo breviter erecto ad DEVM, eundem quasi præsentem, & quid acturus sit is, qui meditabitur, spectantem imaginetur, humilémque illi reverentiam exhibeat. 3. *Proxima*, ad quam S. Ignatius tria præludia exigit (saltem si pro materia Meditationis historia habetur) quorum primum est repræsentatio nuda historiæ seu Mysterij absque discussione facta, ut sciatur materia, de qua mox meditandum est, sicque animus paulatim ad illam considerandam excitetur; sicut cùm quis oculos in tabulam aliquam pictam, in qua magna rerum varietas reperitur, conijcit, priùs unico quasi intuitu omnia confusè cernit, discítque, quid in tabula tali contineatur; postea verò figit oculos in singulis particularibus rebus quæ ibi pictæ sunt, eásque accuratiùs perpendit.

Alterum præludium compositionem loci involvit, quæ nihil aliud est, quàm fictio seu visio imaginaria loci illius, in quo res, de qua meditamur, gesta est; aut certè, si res incorporea est, alterius cujuspiam rei, quæ præsenti materiæ convenit, imaginatio; hâc enim loci imaginatione valde juvatur animus ad attentionem retinendam, eò quòd Phantasma certæ rei affixa contineatur, ne tam facilè evagetur; aut certè, si quando divertat, habeat ad manum, quo se facilè colligat, & in antiquum locum revocet. Rectè tamen hoc loco monent Patres Spirituales, diligenter cavendum esse, ne in tali compositione fabricandâ Exercitans immoretur, aut vim capiti faciat, cùm neutiquam in ea fructus præcipuus Meditationis consistat, sed via duntaxat sit, & instrumentum ad fructum.

Tertium præludium est petitio gratiæ, quâ fructus propositæ Meditationis argumento correspondens obtineatur. Et hæc quidem ultima duo præludia in omni Meditatione usui panda sunt; uti in progressu practicis exemplis demonstrabitur.

IV. Discussio, quæ nihil aliud est, quàm accurata propositæ materiæ secundùm suas circumstantias aut varios sensus ponderatio ad pium aliquem affectum excitandum ordinata, variè à varijs peragitur; nam aliqui quidem familiarem illum Versiculum: Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando? adhibent, & secundùm has circumstantias materiam propositam discutiunt. Alij ex singulis pun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctis singulas doctrinas eruunt, & sibi applicant; alij unicâ duntaxat doctrinâ contenti, eam per totam Meditationem ruminant eo ferè modo, qui mox subijcietur. Et hic modus duplici ex capite reliquis præferendus videtur, quia scilicet & ipse intellectus plùs temporis habet ad doctrinam accuratiùs considerandam; & voluntas tantò vehementiùs impelli potest ad illam doctrinam amplectendam, quantò plura ab intellectu motiva, mediáque excogitantur, & repræsentantur ad illam persuadendam accommodata. Quem in finem proderit observâsse, quod ex primario quodam Concionatore audivisse me memini, qui dicere solebat, se facilem modum novis Concionatoribus ostensurum, quem si observent, certò sibi polliceri queant, concionem suam Auditoribus non utilem duntaxat, sed gratam etiam futuram. Rogatus ergo, ut modum hunc aperire dignaretur, respondit, eum in his quatuor aut quinque industriis sive præceptis consistere. Et 1. quidem ante omnia laborandum, ut doctrina valde practica, & in quotidianum ferè usum veniens pro Scopo & materia Concionis eligatur. 2. Dandam esse operam, ut doctrina illa bene explicetur, ut intellectus Auditorum bene illustretur, discátque, quid ab illis per talem doctrinam exigatur. 3. Unam vel alteram rationem afferendam esse, per quam voluntas excitetur ad talem doctrinam amplectendam, atque ut hæc excitatio faciliùs obtineatur, etiam pulchro aliquo & authentico exemplo vel historia allatas rationes confirmari posse. 4. Quia frequenter à tali doctrina practicanda Auditores vel per difficultatem Operis, vel certè per alias vanas persuasiones & excusationes absterreri se sinunt, ideo vanitatem harum persuasionum ostendendam, mediúmque unum vel alterum ad facilitandam doctrinæ propositæ praxin esse suggerendum. 5. denique totam concionem ferventi & zeloso Epilogo concludi debere, ut, ubi tam seriò rem agi à Concionatore advertit Auditor, ad assensum faciliùs persuaderi se permittat. Hæc, inquam, tota doctrina si in Meditatione (quam esse quasi privatam concionem suprà dixi) quoque observaretur, & in primo quidem puncto doctrinæ propositæ qualitas & praxis ab intellectu bene indagaretur; in secundo motiva ad eam amplectendam impellentia proponerentur; & in tertio tandem media ad faciliorem

ciliorem ejusdem doctrinæ praxin conducentia inquirerentur, dubitari sanè vix posset, quin magnus ex tali Meditatione fructus, nec minus solatium reportaretur. Alij denique modum per quatuor Quæstiones sese examinandi adhibent, ita ut post præmissa consueta Præludia 1. quærant ex se, quod est punctum Meditationis præsentis? & per exercitium memoriæ mox vel historiam, vel sententiam, aut aliam materiam, quam pro Meditatione elegerunt, recolant, & tum actum Fidei cum actu reverentiæ & humilitatis subjungant, 2. quærant, quid de hoc puncto considerandum? & mox per Exercitium Intellectûs, Personas, Verba, Actiones, Circumstantias loci, temporis, modi, causas, effectus &c. considerent. 3. quærant, quid mihi utilitatis spiritualis ex præcedentibus capiendum? & mox respondeant, inprimis varios affectus esse concitandos, puta Reverentiæ erga talem Personam, Adorationis, Fiduciæ, Amoris, Timoris, Admirationis, Laudis, Pudoris, Compassionis, Congaudij & Congratulationis &c. qui propterea statim reipsa elici possunt. Deinde etiam doctrina aliqua practica, v. g. virtutem aut vitij fugam, quam imitetur, eruendam, ejúsque vel necessitatem, vel utilitatem, dignitatémque considerandam, sibíque applicandam. Quod ut efficacius fiat, poterit doctrina talis ad alios primùm applicari, dicíque v. g. quid si alius hoc vel illud faceret, an non insigni laude, merito, præmio, aut è contrario reprehensione, pœnáve dignum existimares? postea ad se fiat conversio, perpendatúrque, quantò magis sibi ejusmodi doctrina conveniat, sive ex vi Statûs, sive ob propriam infirmitatem, sive ob peculiaria dona ac talenta, ac beneficia, favoréque acceptos. Denique media & occasiones inquirendas, firmúmque propositum executionis in casu particulari concipiendum. 4. quærant, quid super his cum DEO & Sanctis colloquendum? & respondeant, esse agendas DEO gratias, aliáque præstanda, quæ in sequenti numero de colloquijs dicentur. Et hunc modum velut simplicissimum ipsi plerumque suadent Patres Spirituales, qui rudioris sunt ingenij & intellectûs, atque in Meditationis Exercitio parùm adhuc exercitati; per illum quippe obtinebunt, ut aliquem saltem fructum ex singulis quæstionibus obtineant, sícque non facilè inutilem Meditationem faciant; qui tamen ipse

modus

modus, ut aliis etiàm servire possit, infra cap. 3. paulò fusiùs proponetur.

V. Colloquia vel singula singulis punctis submitti, vel in fine ultimi puncti unum aut plura formari possunt; atque vel ad Sanctos, vel ad B. Virginem, vel ad Christum, vel ad æternum Patrem, aut Spiritum Sanctum institui; tantóque meliora erunt, quantò pluribus, & ad materiam propositam accommodatis affectibus abundârint. Potissimi autem affectus, qui plerumque elici possunt, & solent in ejusmodi colloquiis, sunt Admiratio, Gratulatio, Gaudium, Gratiarum actio, Dolor, Erubescentia, Humilitas, Oblatio, Desiderium, Propositum, Fiducia, Amor, Invocatio, Obsecratio, Laus, quorum eliciendorum practicum exemplum in secunda parte afferetur.

VI. Examen denique requirit, ut reflexio super ingressu & progressu, & successu Meditationis instituatur; & si quidem bene successisse comperiatur, debitæ gratiæ agantur; sin minùs prosper successus obvenerit, dolor concipiatur, venia petatur, causa mali successûs inquiratur, & emendatio proponatur. Præterea verò alia quoque duo documenta circa hoc Examen communiter suggerunt Ascetæ, nempe ut & per diem identidem proposita in Meditatione concepta recolantur; & ubi peculiaris à DEO illustratio obtigerit, ea breviter, ne memoriam subterfugiat, in libello ad hoc deputato annotetur.

MEMBRUM III.

De Consideratione.

Natura & Scopus.

I. Per hanc nihil aliud intelligitur, quàm ponderatio cujusdam objecti, minori cum apparatu, quàm Meditatio fieri consuevit, facta. Unde differt à Meditatione triplici ex capite.

II. Primò ratione *Objecti*: nam in Meditatione plerumque aut Mysterium aliquod, aut veritas supernaturalis discutienda assumitur; in Consideratione autem plerumque actiones particulares, quarum reformatio intenditur: aut Regulæ, quarum observatio quæritur: aut, ut P. Paulus

Barry in solitudine Hagiophilæ præscribit, nervosæ quædam rationes ad certum quempiam affectum concitandum aptæ assumuntur.

III. Secundò differt ratione *Modi*: cùm enim in Meditatione accurata objecti propositi discussio, & laboriosa voluntatis ad varios affectus concitatio, nec non varia cum DEO aut Sanctis colloquia instituantur; nihil simile in consideratione, ut mox patebit, est necessarium; hinc neq; tantâ, quanta in Oratione adhiberi consuevit, attentione est opus.

IV. Tertiò Ratione *Dispositionis* corporis & animi: nam in Meditatione quidem animus tum per varia præludia, tum per convenientem situm corporis ad reverentiam disponendus est, ut eâ, quâ par est, reverentiâ atque decentiâ, colloquia cum DEO, Sanctísque misceantur; in Consideratione verò, cùm sola super actionem quandam ritè instituendam, aut Regulam observandam reflexio ac propositum emendationis intendatur, variíque affectus non ex composito, sed prout temerè occurrunt, eliciantur, nullo simili apparatu est opus, sed liber est situs corporis, modò finis per eam intentus obtineatur.

V. Atque ex his facilè nunc patet, quis præcipuè sit Scopus, ad quem in ejusmodi Consideratione collimandum est, videlicet inspectio & reformatio Statûs; etsi enim hic finis toti Secessui Spirituali sit propositus, ut suprà dictum est, per hanc tamen Considerationem specialius intenditur, & obtinetur, eò quòd hæc in particulari descendat ad actiones quotidianas & suo Statui convenientes reformandas, in qua ordinatione potissimùm reformatio hominis consistit.

Æstimatio.

Etsi fortè hæc Consideratio primâ fronte, eò quòd minori apparatu & præparatione, ac contentione fieri plerumque soleat, minorem quoque fructum polliceri videatur, aliter tamen de ea sentiunt Ascetæ, ex quibus citatus Barry in monitis suis ad solitudinem Hagiophilæ testatur, experientiâ sibi probatissimum esse, tantundem, imò nonnunquam plùs, has considerationes ad præfixum reformationis Scopum prodesse, quàm ipsas Meditationes. Et meritò, nam per illam acqui-

acquiritur vera sui cognitio, *sine qua*, teste S. Bernardo s. 37. sup. Cant. *nemo potest salvari; de qua nimirum Mater Salutis humilitas oritur; & timor Domini, qui & ipse, sicut initium Sapientiæ, ita & Salutis est.* Clariùs verò idem Sanctus fructus hujus considerationis in Ep. ad Eugenium Pontificem describit, dum ait: *Primùm ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, Consideratio purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, mores componit, vitam honestat, & ordinat; postremo divinarum pariter, & humanarum rerum scientiam confert.* Unde meritò in Persona DEI ad eandem hortatur idem Sanctus his verbis: *O homo, si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccásti: tibi, quia ardebis.*

Praxis.

I. Hæc in sequentibus ferè capitibus consistit. 1. Antè, quàm tempus pro Consideratione destinatum adveniat, breviter materia, de qua instituenda sit consideratio, eligetur. 2. Oratio brevis, quâ gratia ad eam cum fructu instituendam petatur, præmittenda est. 3. Ipsa Consideratio inchoabitur, &, si quidem pro materia actio quæpiam vel regula electa sit, primùm quid actio illa vel regula ad suam perfectionem, requirat, inquiratur. Subinde examinabitur, quomodo ea à nobis perfectio sit procurata. Quomodo itemChristus eam suo exemplo docuerit, & nos imitari ipsum debeamus, dispicietur; & si opus videatur, causa, radixque defectuum circa illam actionem vel regulam admissorum inquiretur, & opportuna ad eam tollendam remedia excogitabuntur. Quòd si verò rationes & motiva quædam, vel axiomata pro materia considerationis assumpta fuerint, ab initio motivi æquitas & efficacia ponderabitur: Mox virtutis, ad quam persuadendam tendunt tales rationes, exercendæ, aut vitij fugiendi propositum concipietur, dolórque & erubescentia de errore, si fortè quis ea in re admissus est, elicietur, veniáque à DEO, & gratia ad emendationem necessaria petentur. Quòd si verò magnus in ea virtute plantanda, aut vitio fugiendo profectus deprehenderetur, brevitèr

gratiæ DEO debitæ persolvi, & confirmatio in incepto humiliter peti potest.

MEMBRUM IV.

De Vocali Oratione.

Natura & Scopus.

I. Etiam hæc non est omittenda Exercitiorum tempore, quin imò tantò majori cum devotione peragenda est, quantò meliùs ad illam animus per internam & externam Collectionem est dispositus.

II. Triplex autem est Orationis vocalis Scopus, quorum primus est, laudare & benedicere DEVM & Sanctos ejus. Secundus, varias à DEO & Sanctis gratias petere. Tertius, varios virtutum actus, sed Gratulationis maximè & Amoris, Timoris & Doloris ob peccata admissa, Fiduciæ in varijs petitionibus proponendis, Desiderij respectu cœlestium bonorum, & Imitationis in variarum virtutum, præcipuè amoris & resignationis studio elicere. Unde oratio hæc vocalis breviter sic definiri potest: Est pia & affectuosa cum DEO collocutio; *quando enim legis, tibi loquitur DEVS: quando oras, tu cum DEO loqueris*; inquit S. Augustinus in Ps. 85.

Æstimatio.

Ad hanc concipiendam nihil æquè proderit, quam si bene ponderetur, orationem vocalem esse colloquium cum DEO & Sanctis, in quo homo orans suum erga DEVM & Sanctos, seipsum, & Proximos, tam viventes, quàm defunctos amorem præclarè ostendere, & eorum vicissim amorem, benevolentiam, & beneficentiam copiosè promereri possit: unde præclarè S. Chrysostomus l. 2. de orando DEO ait: *Quanta dignitatis sit, hominem cum DEO miscere sermonem, neminem latet. Cæterùm eam dignitatem ratione consequi, nemo prorsus valeat; quandoquidem hic honor etiam Angelorum superat Majestatem, quod ipsi probè intelligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultum DEO offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam tegentes, volatu verò, dum non valent quiesti manere, magnum tremorem declarantes.*

rantes. Sed & S. Climacus grad. 28. vocat Orationem Matrem, Reginam, Cibum & fontem virtutum, gratiarum miniſtram, & profectum inviſibilem. Unde & ipſe Chriſtus S. Catharinæ Senenſi Dial. c. 66. dixit: *Noveris, Filia chariſſima, quòd in Oratione humili, continuâ, fideli, cum vera perſeverantia lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem.*

Praxis.

I. Hæc in eo conſiſtit, ut, quemadmodum Sacerdotes ſuum Officium diurnum, ita ij, qui Sacerdotes non ſunt, Officium ſaltem B. Virginis, ſi fieri commodè poteſt, & quidem diſtinctis per intervalla horis, attentè, reverenter ac devotè recitent.

II. Deinde, ut etiam Roſarium ſeu Corona B. Virginis devotè quotidie percurratur; cùm enim B. Virgo, ut aliquando S. Tereſiæ revelatum eſt, Exercitiorum horum quodammodo Autrix & Fundatrix ſit, eáque S. Ignatium docuerit, atque adeò ſingulari ſtudio ad illorum fructuoſum uſum haud dubiè cooperatura ſit, æquum ſanè videtur, ut benevolentiam illius is, qui Exercitia hæc obit, ſpecialibus obſequijs, inter quæ Roſarij recitatio non poſtremum eſt, demereri ſtudeat.

III. Denique ut, ſi occaſio ferat, interdiu SS. Euchariſtiæ Sacramentum viſitare, & devoto Hymno vel alia ſimili oratione venerari & invocare non omittat; dici enim vix poteſt, quantùm ad tenerum devotionis internæ ſenſum excitandum hæc DEI incarnati corporalis præſentia fortiter menti impreſſa conducat; unde meritò Directores horum Exercitiorum magnopere ſemper commendant frequentiorem hoc tempore SS. Sacramenti viſitationem.

MEMBRUM V.

De Lectione Spirituali.

Natura & Scopus.

I. Cùm, ut ſuperiore membro vidimus, Lectio Spiritualis ſit quaſi auditio DEI loquentis, & quaſi exhortatio quæpiam privata ab eodem ad nos facta facilè colligitur, quis Scopus debeat eſſe præfixus huic Lectioni, ſcilicet, ut

cognoscamus voluntatem DEI atque ad eandem toto animi conatu exequendam excitemur.

Æstimatio.

Quanti facienda sit pia hæc Lectionis Spiritualis exercitatio, breviter & sapienter indicat S. Isidorus, dum l. 3. de summo bono dixit; *Qui vult cum DEO esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum DEO loquimur: cùm verò legimus, DEVS nobiscum loquitur. Omnis profectus ex Lectione & Meditatione procedit.* Certè experientiâ constat, primarias aliquas conversiones & reformationes per hanc lectionem fuisse procuratas, uti ex S. Augustini, S. Ignatij, aliorúmque exemplis videre est. Neque hoc mirum adeò cuipiam videri debet; si enim tot, támque celebres conversiones per publicas Conciones effectæ sunt, quidni similis efficacia ipsi etiam Spirituali Lectioni attribuatur, quæ, ut dictum est, quasi privata Concio dici potest, habétque plura privilegia, quibus publicas Conciones superat; nam 1. Concionator talis haberi potest, quando placet. 2. Haberi quoque potest talis concio, quamdiu placet. 3. Materia pro libitu eligi potest. 4. Si quid sub hac concione placeat, semel, iterúmque relegendo repeti potest. 5. Veritas sine pudore & verecundia liberè dicitur, & auditur in tali concione.

Praxis.

1. Consistit hæc praxis in tribus præcipuè industriis. 1. Ut Materia Lectionis sit studiosè selecta, aptáque ad ipsum finem, quem per Exercitia præcipuè quærimus, faciliùs consequendum. Unde Directorium c. 3. n. 2. monet, ut ipse Exercitans moneatur, doceatúrque, hanc lectionem ad Meditationem dirigere, non legendo cursim aviditate sciendi, & videndi nova, sed immorando & perpendendo accurate ea, quæ legit, & intrandi in eosdem affectus.

II. Secundò, ut Lectio hæc moderata sit, ne nimia Lectione vires exhauriantur, & tempus Meditationi, cui omnia servire debent, subtrahatur. Hinc ut occasio curiosæ aut nimiæ Lectionis præcidatur, suadet Directorium, ut præter Breviarium aut Officium B. Virginis, librum de Imitatione Chri-

Christi (ex quo quotidie unum saltem aut dimidium caput de industria selectum, & præter hoc interdum una, alteráve sententia fortuitò sortita legi deberet) & alium quempiam historias aut salutares doctrinas continentem vix alius liber in cubiculo relinquatur.

III. Tertiò ut pia quoque & fructuosa sit Lectio, eúmque in finem ab Oratione brevi inchoetur, & claudatur, imò & interrumpatur, ut S. Bernardus in Epist. ad Fratres de Monte monet, dum ait: *Hauriendus Lectionis seriæ affectus est, & formanda Oratio, quæ Lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuè animum ad intelligentiam Lectionis restituat.* De reliquo verò consilium pij Ascetæ l. 1. de imit. c. 5. observetur dicentis: *Omnis Scriptura Sacra eo Spiritu debet legi, quo facta est. Quærere potiùs debemus utilitatem in Scripturis, quàm eloquentiam sermonis. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter* applicando doctrinam, quàm legis, atque ad praxin dirigendo.

MEMBRUM VI.

De Examine Generali.

Natura & Scopus.

Ex quinque punctis, quæ communiter ad Examen requiruntur, videlicet Gratiarum actione pro acceptis beneficiis, petitione gratiæ & luminis ad peccata sua cognoscenda, operum suorum discussione, dolore efficaci de peccatis commissis, & serio emendationis proposito, facilè colligitur, triplicem huic Examini Scopum præfixum esse debere, videlicet 1. Gratam beneficiorum à DEO acceptorum memoriam, ut dum Homo fluminum more ad mare immensum divinæ liberalitatis per grati animi obsequium revertitur, iterum fluere, novâque beneficia accipere mereatur; nam *jugiter*, teste Cassiodoro super Psalm. *sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit; & invitat ad magna, qui gratanter accipit modica.* 2. Cognitionem sui intimam; *iste namque*, teste D. Gregorio l. 10. mor. c. 22. *Iustorum labor est in hac vita, ut semetipsos inveniant, & inventes flendo & corrigendo ad meliora perducant.* 3.

seriam vitæ præteritæ malè transactæ detestationem & reformationem; ut enim idem Sanctus loc. cit. ait, *Electi intra sinum cordis adversum se, quidquid impugnat, enumerant: ibi ante oculos suos omne, quod desleant, coacervant: ibi, quidquid per iram districti Iudicis discerni possit, intuentur: ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent.*

Æstimatio.

I. Triplici præcipuè ex fonte æstimatio hæc haurienda est. 1. Ex ipsa *necessitate* hujus Exercitij; sicut enim nec Discipuli in Scholis debitam diligentiam, nec Famuli requisitam Fidelitatem, nec Artifices necessariam curam adhibent, nisi diligenter ab ijs ratio suo tempore exigatur; ita nisi hoc examen in omnibus actionibus crebrò & accurate adhibeatur, nullus in profectu virtutis & perfectionis fructus sperandus erit, id quod sapienter S. Dorotheus ser. 7. advertit, dum dixit, illud potissimùm, ut turbemur, in causa esse, quòd sedulò nosmetipsos non accusamus, nec eâ, qua debemus, diligentiâ quæramus nos ipsos privatim arguere. *Hinc omnis nostra*, inquit, *molestia & afflictio promanat. Hinc est, quòd quietem nusquam, & nullibi alibi pacem nanciscimur. Neque id quidem mirum, quandoquidem ore omnium Sanctorum celebratum ac contestatum habemus, nullam præter hanc ad DEVM patere viam, nec unquam aliquem aut vidimus, aut audivimus, qui aliâ, quàm hâc ad DEVM accesserit, viâ, aut ad quietem pervenire voluerit.*

II. 2. Ex *utilitate* tum ad *vitiorum extirpationem*; nam, ut S. Chrysostomus s. quales duc. uxor. rectè dixit, licet satiùs esset, omnino à peccato abstinere, non parvum tamen ad salutem momentum est, agnitum peccatum damnare, & vestigare diligenter Conscientiam, utpote cùm hoc justificationis pars sit, & in posterum à peccato arceat; imò, ut Abbas Pimenius olim, teste Rosweido p. 519. dixit, hæc sola hominis justitia est, ut semper semetipsum reprehendat, & tunc justificabitur, cùm sua peccata condemnat: tum ad *virtutum acquisitionem*, hæc quippe discussio sui est Officina juxta Ascetas, in qua timor DEI, humilitas, compunctio, perseverantia, prudentia, & amor DEI cuditur, unde ab alijs Cornucopiæ vocatur charismatum cælestium, quæ in animam

mam infert: tum ad *cognitionem sui* obtinendam, quæ omnium scientiarum altissima & utilissima meritò dicitur. Certè per hoc Exercitium & Electionis Regulas S. Ignatium ad tantam, quam miramur, perfectionem ac sanctitatem perveniſſe, Orlandinus l. 16. hist. Soc. testatur, unde ad alios quoque perficiendos hoc potissimùm Examine velut præcipuo instrumento est usus; ut adeò meritò dixerit S. Laurentius Justin. *Quisquis virtutum amator est, diligens sui inquisitor sit.*

III. 3. Ex *jucunditate* quoque eadem æstimatio concipi potest, cùm enim hoc Exercitium ad Conscientiam præcipuè purificandam & pacificandam tendat, non potest non insigne solatium & lætitiam afferre illi, qui fructuosè illud peregerit; cùm, teste pio Asceta, si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possideat puri cordis homo. Hinc præclarè Seneca l. 3. de ira c. 36. *Qualis*, inquit, *ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus ac liber, cùm aut laudatus est animus, aut admonitus, & Speculator sui, Censorque secretus cognoscit de moribus suis.*

Praxis.

I. Hæc in sequentibus industriis præcipuè consistit. Primò, ut gratiarum actionem in primo puncto præscriptam quis magno cum sensu animi, serióque persolvat, non de generalibus duntaxat, sed particularibus etiam beneficiis gratum & memorem se exhibendo, id quod hoc vel simili modo præstari potest. *Gloria tibi sit, O Pater, quoniam creâsti, conservâsti, & ad vitam, ut spero, æternam prædestinâsti me: Gloria tibi sit, O Fili, quoniam redemisti SS. Corpore & Sanguine tuo refeciſti, & ad hunc vel illum Statum vocâsti me: Gloria tibi sit, O Spititus Sancte, quoniam justificâsti, illuminâsti, & roborâsti me. Gloria & gratiarum actio tibi sit, O SS. & individua Trinitas, à qua omnia bona accepi, quæ habui, aut etiamnum habeo in corpore & anima, cujus etiam protectione omnia mala evitavi, quibus alij afflicti fuerunt, aut etiamnum affligumur. Pro his itaque & omnibus beneficiis SS. Christi Humanitati, Sanctissimæ illius Matri, Omnibus Sanctis, omnibus defunctis & viventibus, & mihi indigno concessis, laudo & benedico pro viribus Ma-*

jestatem & beneficentiam tuam, unicéque opto ac peto, u ne tibi perpetuo gratum exhibere valeam.

II. Secundò eadem praxis requirit, ut ipsa discussio operum nostrorum magna cum prudentia peragatur, id est ut non anxiè nimis, longioríque, quàm par est, tempore eidem discussioni mens inhæreat; neque enim in hoc discussionis hujus fructus consistit, ut minimos etiam Conscientiæ pulviculos deprehendat, sed ut graviores saltem & potiores defectus, & causas ac radices eorundem etiam inquirat, tollátque, & sic efficiat, ut, si hactenus fuerunt multi, posthac sint pauci: si fuerunt majores, deinceps minores existant. Sed & illa S. Bernardi s. 58. in Cant. doctrina hoc loco bene notanda est: *Scrutemur vias nostras juxta Prophetam, & studia nostra, & in eo se quisque judicet profeciſſe, non cùm invenerit, quod reprehendat, sed, cùm, quod invenerit, reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus est scrutinio adverteris; & toties te non fefellit inquisitio, quoties iterandum putaveris.*

III. Tertiò ut dolori, propositóque, in quibus fructus examinis consistit, præcipuè insistatur; nam præterquam quòd hic dolor & propositum sint efficaciſſimum ad emendationem procurandam medium, ita ut pius Asceta l. 1. c. 19. dicere ausus sit, secundùm propositum nostrum cursum profectus nostri futurum; DEVS etiam sibi specialiter complacet in tali dolore & proposito; nam, ut Christus S. Gertrudi l. 4. insin. c. 60. revelavit, quotiescunque homo tali modo dolet, toties DEI Filius inæstimabili novæ exultationis suavitate affectus, eadem verba (scilicet *vidi sanctam Civitatem Ierusalem*) concinit DEO Patri; quod & S. Bernardus confirmavit, dum ser. 3. de adv. dixit: *Diligit DEVS animam, quæ in conspectu ejus & sine intermissione considerat, & sine simulatione dijudicat semetipsum.*

MEMBRUM VII.

De Particulari Examine.

Natura & Scopus.

Quemadmodum juxta commune proverbium pluribus intentus minor est ad singula sensus, ita juxta aliud adagium nemo

nemo magis timendus est, quàm qui uni rei se impendit. Ob quam causam hoc exercitium examinis particularis inventum est, quod proinde nihil aliud est, quàm singularis cura ac studium in certo aliquo vitio extirpando, vel certâ virtute plantanda, vel actione quâpiam reformanda, quæ tria objecta sunt Scopus & finis hujus Examinis.

Æstimatio.

Quàm magna de fructu hujus Examinis æstimatio sit concipienda, vel ex eo satis colligitur, quòd, sicut est conflictus particularis cum hoste maximo, ita non laus duntaxat & gloria singularis, sed pax etiam & meritum ingens ex fructuosa illius praxi speranda sit. Certè experientiâ quotidianâ constat, multos per constantem hujus Exercitij usum brevi tempore perfectam vitiorum quantumvis gravium extirpationem obtinuisse, sícque facto ipso probâsse, quod pius Asceta l. 1. de imit. c. 11. dixit: *Si omni anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur.*

Praxis.

I. Consistit hæc praxis in quatuor ferè industriis. Prima est *Electio Materiæ:* ubi, si quidem cum vitio aut defectu confligendum sit, Horatij Romani Militis contra tres Curiatios Fratres, & pariter milites pugnantis præ oculis habendum, & imitandum est, ut scilicet, sicut ille non contra omnes simul, sed primò contra robustiorem solum, dein contra minùs validum, & denique contra debilissimum pugnavit, & sic sine grandi difficultate vicit, ita idipsum circa sua vitia & defectus observet is, qui Examen particulare fructuosè facere cupit; fortior autem cæteris paribus hostis seu defectus censetur, qui aut universalior est, multósque alios defectus involvit, & secum trahit: aut alios magis scandalizat: aut erga quem vehementiùs nos affici, aut per consuetudinem impelli sentimus. Neque contemnendum est circa hanc industriam illorum consilium, qui etiam, dum vitium certum eradicare quis cupit, virtutem vitio tali contrariam pro materia examinis particularis assumendam censent, ut eâdem operâ & vitium evellatur, & virtus plantetur.

II. Altera industria est in ipsa actuali pugna observanda, ut sci-

ut scilicet manè, dum è lecto surgitur, firmum propositum vitandi aut exercendi propositum vitium aut virtutem eli ciatur: subinde, ubi tempus aut occasio pugnæ præsens fue rit, motivum priùs ad hunc finem excogitatum menti obji ciatur, & illius impulsu fortiter hosti resistatur, aut virtu exerceatur. Et si quidem superari contingat, manu pector admotâ de errore commisso mox dolor concipiatur; nam, u S. Gregorius l. 11. mor. c. 17. ait, *Electi culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum Iudicem placatum invenire.*

III. Tertia industria & propria huic exercitio (ob quod Examinis nomen accepit) est ipsa reflexio, quâ numerus lapsuum, vel certè actuum circa virtutem propositam exercitorum indagetur, & dies cum die, hebdomas cum hebdomada conferatur; quam industriam jam olim S. Chrysostomus ho. 11. in gen. suaserat dicens: *Ne ita simpliciter jejuniorum hebdomada prætereant, scrutemur suam quisq; consetentiam, & rationem examinemus, & consideremus, quidnam in hac hebdomade probè actum sit, quid in alia, & quale augmentum fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.* Cujus collationis fructum alibi ostendit, dum ait: *Discamus igitur, & vitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tanquam per gradus ascendentes per scalam Iacob ad cœlum perveniemus. Etenim scala illa mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam in terra ad cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento & correctione.*

IV. Quarta tandem industria est, ut per pœnitentiam sibi ipsi pro numero lapsuum injunctam salutaris timor concipiatur ad majorem deinceps in lapsu cavendo sollicitudinem adhibendam; id quod jam olim Seneca in epist. 28. ad Lucil. indicavit dicens: *Quantùm potes, teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primùm partibus fungere, deinde Iudicis, novissimè deprecatoris, aliquando te offende. Desinet ira* (idem de aliis vitiis sentiendum) *& moderatior existet, qua sciet sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum.*

MEM-

MEMBRUM VIII.

De Confessione generali.

Natura & Scopus.

I. Etsi hæc non pertineat necessariò ad Exercitia, communiter tamen suadetur à Patribus Spiritualibus, non quidem ut à tota semper vita instituatur (hoc enim semel accurtè fecisse sufficit) sed ut peccata ab anno, vel certè ab ultima confessione generali commissa explicentur; idque ob multiplicem utilitatem, quæ meritò inde sperari potest, ut paulò post ostendetur.

II. Porro duplex potissimùm Scopus huic confessioni generali statuitur. Prior est compensatio defectuum, qui fortè in particularibus confessionibus contigerunt; cùm enim in his ordinariè neque tanta præparatio, neque tantus etiam dolor adhibeatur, quantus requiritur ad confessionem non dico validè, sed fructuosè, id est, cum seria detestatione peccatorum, & efficaci proposito deinceps ea cavendi, instituendam, uterque hic defectus abunde per confessionem ejusmodi generalem in secessu spirituali factam, suppletur, utpote in qua & tempus, & occasio copiosior suppetit ad conscientiam meliùs examinandam; & præterea animus tum per varias Meditationes de peccatorum gravitate & multitudine institutas magis dispositus est ad sincerum dolorem de ijsdem peccatis eliciendum.

Æstimatio.

I. Concipi hæc non difficulter poterit, si triplex fructus, quem ejusmodi Confessio generalis afferre solet, bene perpendatur; quorum primus est, quòd singulare subsidium afferat ad veram vitæ reformationem instituendam, dum scilicet Homo ex aspectu plerorumque suorum peccatorum sub unum quasi cumulum conjectorum, detestandum, & miserum animæ suæ statum conspicit, atque adeò ad eundem immutandum vehementer excitatur, ut, ubi hactenus abundavit iniquitas, ibi deinceps exardescat caritas; Et, quantò plura remissa sunt peccata, tantò abundantiùs diligatur, qui eam misericorditer ea remisit.

II. Secun-

II. Secundus fructus est, quòd non parùm etiam ad meritum & satisfactionem pro peccatis præteritis condignè præstandam juvet talis confessio; tum quia plerumque contritio & dolor longè vehementior ex conspecto tot offensarum cumulo concipitur, ficque Pœnitens ad Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta digniùs & fructuosiùs percipienda magis disponitur; tum quia ob insignem, quam de se ipso reportat is, qui confitetur, victoriam, non modicum utique à DEO proemium promeretur.

III. Tertius fructus est, quòd vel maximè etiam ad tranquillandam conscientiam, atque adeò insigne animæ solatium conducat generalis confessio; ita, ut P. Paulus Barry in solit. Hagioph. dissert. matut. 2. diei dicere audeat, ne calamo, nec linguâ explicari posse tranquillitatem animi & voluptatem, quâ fruatur is, qui molestum hoc conscientiæ onus deposuit, addátque, se animas reperisse post talem confessionem factam adeò contentas, ut etiam ipsi lacrymas solatii testes elicerent. Rationem verò hujus solatii Directorium Exercitiorum hanc assignat, quòd experiamur, Homines plerumque aut sine sufficienti examine, aut sine debito dolore, nullo vel infirmo valde proposito ad confessionem ordinariam accedere, atque adeò ad pacem Conscientiæ consequendam, scrupulósque tollendos, qui, si non antè, in hora mortis certè excruciare, & in periculum salutis æternæ adducere solent, plurimùm prosit, exactam aliquando de omnibus peccatis rationem reddere.

Praxis.

I. Hæc in tribus præcipuè consistit industriis, quarum prima est, ut caveatur quidem ex una parte nimia in peccatis colligendis anxietas, ne semper deinceps scrupulorum reliquiæ maneant; ex altera tamen parte tam diligenter & accuratè instituatur hæc confessio, ut postea secura possit esse anima, se feciſse, quod in se erat; nam sine hoc, ut bene notat Directorium, nunquam frui poterit illa animi pace & conscientiæ tranquillitate, quam optat. Et ideo præter proprium studium & diligentiam ipsius, qui Exercitia facit, juvandus est aliquâ viâ & methodo ad bene confitendum, nisi ipse per se ad hoc sufficiens videatur.

II. Alte-

II. Altera industria est, ut confessio hæc eo maximè tempore instituatur, quando animus exercitantis per Exercitia primæ hebdomadæ, intimam peccatorum cognitionem, verámque contritionem nactus creditur.

III. Tertia est, ut, etsi ut plurimùm non expediat fieri Confessionem ei, qui tradit Exercitia, si tamen id ipse exigat pro sua devotione, omnino ejus petitioni satisfiat maximè si ad hunc ipsum finem priùs Directori statum animæ suæ, dubiáque circa illum occurrentia aperuisset.

MEMBRUM IX.

De Collatione Spirituali.

Natura & Scopus.

I. Per hanc Collationem ea maximè intelligitur, quæ cum ipso Directore instituitur, & non levem spondet utilitatem, si rectè instituatur.

II. Geminus autem eidem Scopus præfixus esse debet. Prior est, ut DEI voluntati, qui per homines hominem dirigere decrevit, voluntati obtemperetur. Hinc & S. Paulo Act. 9. clamanti: *Domine, quid me vis facere?* responsum est: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Posterior est, ut, dum non suæ duntaxat prudentiæ innititur, sed alienum etiam consilium requirit, tantò securiùs in periculoso salutis promovendæ itinere procedat, tutiórque sit à Dæmonis infesti insidiis. Nam, ut Sapienter S. Ignatius reg. 10. de discern. Spirit. advertit, Inimicus noster morem nequissimi cujusdam Amatoris imitatur, qui puellam honestorum Parentum Filiam, vel uxorem alicujus probi viri volens seducere, summopere procurat, ut verba & consilia sua occulta maneant, nihílque reformidat magis, quàm ne Puella Patri, vel Uxor Marito eadem consilia patefaciat, sciens hoc pacto de votis & conatibus suis actum esse. Ad eundem modum obnixè satagit Diabolus, ut animam, quam circumvenire cupit, ac perdere, fraudulentas suas suggestiones tenere secretas persuadeat: indignatur verò maximè, & gravissimè cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel Spirituali homini molimina sua detegantur, à quibus ita se funditus excidere intelligit.

Æstima-

Æstimatio.

Cùm juxta Salomonem Prov. 11. *Salus sit; ubi multa sunt consilia*, facilè appatet, quanti facienda sit ista cum Directore & Patre Spirituali frequenter suscepta Collatio. Si enim is, qui iter magni momenti susceperus, viam ignorat, meritò perbeatum se putat, si fidum, viæque perbene gnarum Ducem assequatur, eúmque proin intrepidè, ac magna cum fiducia sequitur, quantò magis in hac nostra ad Patriã cœlestem peregrinatione, tot tantísque erroribus & periculis expositа, & ex cujus felici successu æterna nostra felicitas dependet, sibi non fidere; Sed de perito Duce sibi prospicere, eíque ducendum & regendum penitus committere quisque debet.

Praxis.

I. Consistit hæc praxis in sequentibus præcipuè capitibus. Primum est, ut fideliter aperiat Meditationum, aliorúmque Spiritualium Exercitiorum successum, ut, si fortè opus sit, remedia præscribere queat Director ad reliquas Meditationes feliciùs peragendas, & contra fraudes occultas Dæmonis Solidiùs eum armare possit.

II. Secundum est, ut non minùs sincerè illi explicet praviora impedimenta; quæ ipsum à perfectione sui status cor sequenda hactenus impediverunt, ut viam & Modum ei Director præscribere possit ad illa fortiter removenda; cùm in hoc potissimus ferè reformationis fructus consistat juxta notum illud: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.*

III. Tertium est, ut pari candore & fiducia illi communicet omnia dubia, quæ sive circa electionem statûs, sive circa vitæ reformationem, sive circa quotidianas suas functiones ac ministeria, aut aliàs similes materias ad animæ salutem ac pacem pertinentes occurrunt, atque eorundem solutionem ab ipso non aliter, ac divino Oraculo exspectet atque accipiat, certò confidens, non permissurum fidelissimum DEUM, ut, qui cum tanta humilitate, fiduciáque Ducem sibi DEI loco assignatum consulit, & sequitur, ab eo ipse in errorem inducatur; aut certè si quid simile ex arcano suo consilio accidere sinat, ne damnum illi ex hoc errore proveniat, sapientissimâ suâ providentiâ cauturum.

MEM

MEMBRUM X.

De Electione.

Natura & Scopus.

I. Hanc meritò omnium actionum, quæ in Exercitijs ſuſcipi ſolent, difficillimam vocat Directorium cap. 22. eò quòd hoc tempore Exercitans præcipuè expoſitus ſit diverſis animi motibus, & non rarò etiam erroribus, cùm non ſolùm à malo, ſed etiam boni & recti imagine falli ſoleant Homines. Unde major in hac, quàm alijs actionibus dexteritas & diſcretio eſt neceſſaria; quæ quidem ut obtineatur, ante omnia Scopus Electionis ſemper ob oculos habendus eſt, qui quidem non eſt alius, quàm voluntatis divinæ cognitio circa Statum vitæ vel eligendum vel ordinandum; cùm enim DEVS omnes quidem homines ſalvos fieri cupiat, ſed per diverſas vias (ob quem finem diverſos in Eccleſia Status & ordines conſtituit) nulla profectò ſecurior cenſeri debet, quàm ea, quâ ipſe quemvis ducere decrevit, ut qui ſolus ſcit, quid unicuique maximè expediat ad ſalutem.

II. Atque ex hoc Scopo colligitur 1. Rectè à S. Ignatio in Exercitiorum libello triplex tempus pro Electione aſſignatum fuiſſe; quorum primum eſt, cùm adeò clarè conſtat de voluntate DEI, ut ne dubitari quidem prudenter de illa queat; quo modo voluntas DEI S. Paulo aliiſque Apoſtolis innotuit. Secundum eſt, cùm animus inſpirationibus & motionibus internis tam efficacibus agitur, ut ſine ullo diſcurſu intellectus, aut ferè nullo ad ſervitutem DEI & perfectionem inclinetur. Et tum certum eſt hanc vocationem à DEO eſſe, maximè ſi ſequentia indicia accedant, & ejuſmodi inſtinctus diu ſentiantur: ſi potiſſimùm inter orandum & agendum cum DEO advertantur: ſi nunquam niſi ad bonum moveant: ſi, dum animus ad talem Statum ſuſcipiendum ſe offert, ſerenus & quietus exiſtat; turbetur verò, ſi propoſitum remittat: Si vires ſibi & conſtantiam adverſus omnes difficultates, Dæmoniſque impugnationes ſaperandas promitti quis ſentiat. Tertium tempus eſt, cùm voluntas ab intellectu rationes pro utraque parte ponderante ad alterutram partem eligendam impellitur. De quibus tribus tempori-

bus hæc duo insuper ex Directorio notanda sunt. 1. Vo
ri hos modos electionis *Tempora*, eò quòd, cùm anima tal
motiones in se sentit, quales paulò antè indicatæ sunt, tu
opportunissimum tempus electioni esse censeatur. 2. Quò
cùm in secundo tempore voluntas immediatè à DEO m
veatur, non expediat ratiocinium intellectus desuper ad
beri, quia tunc à meliori principio, quàm sit humana rat
movetur. Secùs foret, si in simili impulsu non planè acqui
ceret, aut minùs certa sibi de divina voluntate videretu
tunc enim meritò ad tertium Electionis tempus procede
dum foret.

III. Colligitur 2. Ut hæc electio fructuosè peragat
magnam in eo, qui dirigit Eligentem, Indifferentiam, Pr
dentiam, & Vigilantiam requiri. Indifferentiam quidem
non conetur ad unam magis, quàm alteram partem trahe
sed solum DEVM cum sua Creatura agere sinat; cùm en
hæc electio sit summi momenti, securúmque reddere debe
eligentem de voluntate DEI, satis patet, quòd non huma
niti persuasione, sed in sola directione divina fundari d
beat; alioqui metuendum meritò foret, ne impleretur, qu
ChristusMatt. 15. prædixit: *Omnis plantatio, quã non plant
vit Pater meus cœlestis, eradicabitur.* Prudentia verò req
ritur, ut diligenter ad motiones varias eligentis attendat,
Spiritus maligni suggestiones à bonis & divinis inspirati
nibus prudenter discernat, quem in finem regulæ de disce
nendis Spiritibus à S. Ignatio conscriptæ non parum juv
bunt. Vigilantia denique exigitur, ut errores, affectio
atque inclinationes inordinatas, fraudésque ac paralog
mos Dæmonis diligenter provideat, detegátque, quoni
ex falsis principijs, quæ amor proprius, & malignus Spiri
suggerunt, non nisi falsæ conclusiones sequi possunt.

IV. Colligitur 3. Etiam in ipso eligente, cujus neg
tium agitur, meritò aliquas dispositiones prævias ad electi
nem ritè faciendam requiri, nempe 1. Ut capax sit electio
id est, neque Statum jam determinatum habeat, nec levi
inconstanti naturâ, passionibúsque indomitis, aut malis,
corrigibilibúsque habitibus sit præditus. 2. Ut ipse ad e
inclinari se sentiat à DEO, atque ideo ad illam ab Instru
re desideret, & petat admitti; absque hac enim dispositio
om

omnia suspicionibus & fraudibus obnoxia, nec solidus ex electione fructus sperandus est. 3. Ut ab omni ad alterutram electionis partem propensione liber, atque ad solum DEI beneplacitum paratus sit; imò, quantùm est in se, voluntatem potiùs ad id, quod perfectius est, inclinare conetur, si major DEI gloria id requirere videatur. 4. Ut totis viribus applicet se huic negotio, omnésque alias distractionum occasiones aut impedimenta, quæ bonam electionem impedire possent, fortiter removeat. 5. Ut sincerè agat cum DEO, neque ullas in deliberatione rationes, quæ carnem & sanguinem sapiant, admittat, sed solum DEI beneplacitum, gloriámque semper præ oculis habeat; sic enim meritò sperare poterit, quòd DEVS illum decipi non permissurus, sed suam voluntatem utpote tam sollicitè & ordinatè inquisitam certò sit revelaturus. Ne tamen circa hanc ultimam dispositionem cuiquam scrupulus occurrat, si fortè etiam consolationis propriæ, aut valetudinis, aut quietis spiritualis, aut alterius similis rei ex natura sua voluntati DEI non repugnantis motivo impelli se sentiat, rectè notat Directorium cap. 23. nihil obesse ea legitimæ electioni, modò præcipuum motivum sit amor & beneplacitum DEI, & alia non nisi ut secundaria, minúsque principalia admittantur.

Æstimatio.

Hanc non difficulter concipies, si memorabilem S. Gregorij Nazianz. orat. 23. sententiam revolveris dicentis: *Electionem vitæ fundamentum pono, ex quo bene aut malè nobiscum agatur.* Si ergo ædificium ruinæ exponit, qui illi fundando curam non adhibet, certè neque saluti suæ satis consulit, qui ejus fundamentum temerè collocat. Unde quidam ad electionem ritè instituendam sequentibus, & valde notandis verbis hortatur: *Æternitas à morte pendet, mors à vita, vita à momento, momentum ab electione; ergo elige bene; semel periisse æternum est.*

Praxis.

I. Hæc in triplicis potissimùm generis industriis consistit, quarum aliquæ antecedunt, aliæ comitantur, aliæ subsequuntur actualem electionem.

II. Et ante quidē electionē duo præcipuè præstanda sunt 1. Ut per prævias meditationes, maximè de duobus vexillis & tribus Hominū classibus disponatur paulatim animus eligētis, ut nō modò sit æquè paratus ad paupertatē, ignominiā & brevitatē vitæ quàm divitias, honores & longitudinē vitæ eligendam, sic major DEI gloria id requirat, sed insuper petat à DEO, ut potiùs ipsum inclinet in perfectiorem partem, imò & ipse hoc obtinere à se studeat, ut hac ratione, quemadmodum virga incurva, si flectatur in contrariam partem, faciliùs in medio consistit, rectâque efficitur, ita ipse quoque ad necessariam pro hoc electionis negotio indifferentiam faciliùs perveniat. 2. Ut pro præludio electionis ob oculos ponatur finis, propter quem homo creatus est, scilicet laus DEI & propria salus, atque ad hunc finem veluti cynosuram omnia, quæ in deliberationem veniunt, irrefragabili decreto dirigantur, & ordinentur.

III. In ipsa electione tria præcipuè præstanda sunt. 1. Ut in medium res, quæ pro deliberatione suscepta est, proferatur. 2. Ut imploretur DEI clementia, ut voluntatem suam manifestare, nostram verò ad id, quod suæ gloriæ, & nostræ saluti magis proficuum esse cognoverit, impellere dignetur. 3. Ut proposito consiliorum & mandatorum statu observetur, qui motus in anima sentiantur; & si quidem animus etiam sine discursu intellectus ad certum quempiam Status impelli se sentiat, consolationésque experiatur, nec ulli aut certè non nisi levis de voluntate DEI dubitatio suboriatur, concludatur electio absque ulteriori ratiocinio. Sin minùs ad tertium electionis tempus progressus fiat, & de propositis Statibus per sequentes aut similes quæstiones electio instituatur. Quis horum Statuum certiùs & commodiùs ad finem meum ultimum ducit? ubi rarior lapsuum, crebrior virtutum exercendarum occasio? quis naturæ propriæ convenientior, talentísque corporis & animi fructuosè impendendis aptior? quem imminente morte aut judicio elegisse mallem? quem alteri mihi simili, & summè dilecto suadirem? quis Christi, & Sanctorum vitæ conformior? ubi DEI me perfectiùs tot titulis debitum consecrabo? His discussis quæ pro alterutra parte motiva occurrerint, scripto annotentur, & pro qua plura motiva, efficacioráque occurrerint

rint, ea demum velut divinæ voluntati conformior eligatur.

IV. Post electionem denique duo præstanda sunt. 1. Oratio subjungenda, quâ DEO electio offeratur, &, si quidem juxta ipsius voluntatem fuerit, confirmanda commendetur. Quo tempore si vel novas illustrationes ad confirmationem desuper immissas, vel certè voluntatem in electionis proposito firmam eligens adverterit, non est electio in dubium revocanda, sed credendum voluisse DEVM, voluntatem suam per discursum rationis inveniri. 2. Pro majori securitate rationes pro electo Statu conscriptæ etiam Directori ostendendæ sunt, & ejus quoque super electione judicium requirendum. 3. Videndum, quo modo vocatio executioni mandari queat; uti diligenter, quæ executionem impedire aut remorari possent, inquirenda, mediáque, quibus ejusmodi impedimenta removeri queant, cum consilio Directoris excogitanda erunt.

V. Quòd si error in electione quispiam adverteretur, nec statim mutare liceret, saltem conandum foret, ut post facti pœnitentiam, damnum electionis probitate vitæ, & operum solertiâ compensetur; præcipuè verò Orationis remedium adhibeatur, si quis v. g. ad incontinentiam pronum se adverteret, & tamen Statum immutabilem ad continentiam servandam obligatũ elegisse se adverteret; neque enim ijs, qui alium Statum, quàm ipse volebat, elegerunt, omnia media adeò subtrahit, quin veniam dare paratus sit, perseverantiámque in gratia perinde ac alijs peccatoribus graviter lapsis, licet negari non possit, difficiliorem hoc modo fore Salvationem, eò quòd præviderit DEVS pericula Salutis amittendæ, atque ideo per vocationem ad certum Statum eosdem è talibus periculis eripere voluerit.

§. IV.

De Causa efficiente Exercitiorum.

Per Causam efficientem hoc loco intelliguntur præcipuè Causæ Instrumentales, quæ præter DEVM (de quo hîc nihil speciatim monendum occurrit) cooperantur Exercitanti, eúmque juvant in optato ex Exercitijs hisce Spiritualibus

fructu referendo, quales sunt Director, Minister, & Collocutores, à quibus, quid specialiter observandum sit, paulò distinctiùs in hoc paragrapho indicabitur.

MEMBRUM I.

De Directore.

I. Ad hunc quinque potissimùm dotes requiruntur. Quarum prima est, ut sit *humilis* & *subjectus DEO*, cujus ei instrumentum. Caveat proinde, ne, cùm aliquem bonum effectum viderit in ijs, qui se exercent, quidquam suæ industriæ aut peritiæ tribuat, cùm hi omnes effectus gratiæ sint solo DEO, & consilia extrinsecus adhibita tantùm operentur, quantùm ipse DEVS cooperatur. Hinc nec de suo quidquam apponat, sed, cùm, ejusmodi consilia debeant ex divina inspiratione suscipi, sinat DEVM cum sua creatura disponere, juxta placitum voluntatis suæ. Quod ut meliùs & facilius opere ipso præstet, conservet se in animo prorsus indifferentem, & in nihil aliud feratur, nisi ut sanctissimum DEI beneplacitum in anima illa plenè & perfectè compleatur, & ipse tantùm in eo laboret, ut, qui se exercet, id investigare sciat, & discat se à Dæmonis deceptionibus expedire, quibus homines retardare solet.

II. Altera dos est, ut magnâ *discretione* & *prudentiâ* sit præditus, quâ nôrit Spiritus & motiones ejus, quem exercet, dignoscere; sed & qualitates illius & Statum penetrare & cum quovis secundùm illius capacitatem agere.

III. Tertia dos est, ut magna etiam apud eum, qui exercetur, *authoritate*, polleat, tantáque cum libertate sive in docendo, sive monendo, sive corrigendo officium suum exequatur, ut ad exemplum Christi quasi potestatem habens loqui videatur. Ad quam quidem authoritatem non modicè juvabit, si parcus potiùs, & consideratus in sermone, quàm garrulus & profusus esse deprehendatur.

IV. Quarta dos est, ut *suavitatem* potiùs & *mansuetudinem*, quàm authoritatem semper præseferat, maximè cum ijs, qui tentationes vel desolationes, aut ariditates & tædia patiuntur, quos proinde consolari, animare & erigere opportunis consilijs, precibúsque tum suis, tum aliorum debet; si

ſle enim gratus fiet eis, qui faciunt Exercitia, iſtíque ſe magis ei confident & aperient.

V. Quinta denique dos eſt, ut magnam in Exercitijs tradendis *Peritiam* & *Dexteritatem* habeat, eúmque in finem tum ipſe antè, quàm ea tradat, aliquoties ea obierit; tum accuratè ea, quæ in libro Exercitiorum proponuntur, perlegerit; tum etiam aliquibus, in quibus ſit minor jactura, ſi erretur, tradiderit, ſuúmque modum procedendi, cum aliquo magis exercitato contulerit, ut, quid magis minúsve convenire deprehenderit, annotare queat.

VI. Porro tota hæc peritia & dexteritas in tribus ferè officijs conſiſtit, quorum primum eſt *Solida inſtructio* circa naturam Exercitiorum, & modum eadem cum fructu faciendi, variáſque induſtrias & doctrinas, quæ, ante, in, & poſt Exercitia obſerventur, ſuggerendas, quales tum in ipſo Libello Exercitiorum, tum paſſim in Authoribus, qui ſimili de materia ſcripſerunt, reperire eſt.

VII. Secundum officium Peritiæ eſt *Præſcriptio prudens materiæ* pro Meditationibus & Conſiderationibus, circa quam duo præcipuè ſunt obſervanda. 1. Ut in proponendis punctis Meditationum ea non valde exaggeret, aut ita enucleet, ut, qui meditatur, ipſe nihil novi per ſe invenire, aut certè non niſi ægrè queat; experientia quippe docet, magis omnes delectari, & moveri ijs, quæ per ſe inveniunt; & ideo ſatis erit, quaſi digito indicare venam, quam deinde quiſque ſibi inveniat. Si tamen eſſent aliqui parùm capaces, aut minùs in meditando exercitati, ijs poſſent paulò ampliùs declarari, & Scripto offerri, ne memoria Exercitantis nimiùm fatigetur, ſícque devotio impediatur. 2. Ut, quandoquidem variæ ſunt Perſonæ, quæ exercentur, noverit etiam varias illis pro ſingularum Scopo & qualitate materias præſcribere. Nam *Religioſis* quidem producenda eſt inprimis prima hebdomas, ſi priùs uſum Meditandi non habuerunt, aut vitam duxerunt liberiorem. Alioqui confirmentur in ſua vocatione: inducantur ad magnifaciendas & obſervandas Ordinis Regulas, præſertim in materia votorum: juventur, ut intelligant cauſas minoris profectus ſui: ingeneretur Zelus juvandi Proximos juxta ſuum Inſtitutum: applicentur illis bene Meditationes ex Libello, & mixtim aliæ

secundùm Institutum. *Ecclesiasticis Sæcularibus* producatur prima hebdomas in tertium & quartum diem: detur opera, ut bene cognoscant difficultatem sui Statûs, cùm teneantur se à Mundo avocare, utpote divino Ministerio deputati; discant bene proventus Ecclesiasticos dispensare, & Zelum animarum concipiant. *Laici nobiliores* erudiantur, ut Justitiam bene administrent: ut avaritiam & Superbiam fugiant: ut misericordes ac DEI timentes sint: ut Liberos bene educent: ut pacifici, & in participatione Sacramentorum frequentes sint; si in re quapiam gravi hæreant, regulæ electionum adhibeantur. *Rudioribus Laicis* sufficiet prima hebdomas: expositio mandatorum D E I atque Ecclesiæ, peccata mortalia, quinque sensus, & opera misericordiæ: ut Sacramenta frequentent; bene regant Familiam; facultatibus justè & sobriè fruantur. *Muleribus* fermè eadem tradenda quæ rudibus; nec facilè adeantur earum domus, sed ipsæ potiùs accedant Ecclesiam pro accipiendis Exercitijs.

VIII. Tertium officium est *Conversatio fructuosa* cum Exercitante, ad quam pertinet, ut cum quotidie semel saltem (nisi necessitas aliud exigat, aut utilitas suadeat) opportuno tempore visitet: ut rationem Meditationis & internarum motionum, puta Consolationum vel desolationum sollicitè exigat: in desolationibus & ariditatibus animet, & viam tum ad faciliorem in Meditatione discursum aperiat, tum media pro ariditate tollenda & devotione recuperanda prudenter ostendat: in consolationibus non diu ipsum detineat, sed breviter modum ex ijs proficiendi edoceat, & de reliquo Creatorem cum sua Creatura, & hanc vicissim cum illo pro libitu agere sinat: ut electionis, si ea facienda sit, aptum modum suggerat, & in dubijs opportuna consilia submini-stret: ut pro Curatione vitiorum efficacia media præscribat, ut salutaria ad vitam vocationi & Statui susceptо & suscipiendo conformem instituendam præcepta offerat.

MEMBRUM II.

De Ministro.

I. Ad hunc tria requirit Directorium c. 4. n. 3. & sequentibus. 1. Ut sit fidelis, discretus, taciturnus, quique sit mode-

modestiâ, & humilitatis ac devotionis exemplo ædificet. Nihil autem loquatur, nisi de ijs, quæ ministerium pertinent, ídque paucissimis verbis. Aliquando profuit huic Ministerio illum deputare, qui notus ac familiaris fuit Exercitanti; hoc enim juvat non solùm ad consolationem, sed etiam ad profectum Spiritualem, quoniam aliqui interdum confidentiùs se aperiunt Amicis hujusmodi, quàm ipsi Instructori, si eum nunquam antea nôrant.

II. Secundò requirit, ut sit Instrumentum Directoris, eúmque de omnibus, quæ circa Exercitantem aguntur, & ipsum Directorem nôsse debere prudenter judicaverit, certiorem faciat.

III. Tertiò requirit, ut ipsi Exercitanti inserviat, componendo lectum, cubiculum verrendo (quæ duo ferè tempore Missæ exequetur) victum, aliáque, quæ opus erit, munda & apta offerendo, magnámque semper charitatem, & diligentiam præseferendo; atque inter alia meminerit, etiam pro ipso quotidie orare.

MEMBRUM III.

De Collocutoribus.

Ad hos duo requirit citatum Directorium c. 6. n. 3. Primò, ut sint maturi & discreti, qui Exercitantem tam exemplo, quàm sermone ædificare, & honesto utilíque colloquio recreare in Domino queant. 2. Ut nullum cum Exercitante nisi utilem, & quidem de Spiritualibus rebus sermonem instituant, nullâ tamen significatione, quòd eum ad hunc vel illum Statum impellere velint. Nam præterquam quòd vocatio debeat esse libera, & à DEO venire, ipsi etiam, qui in hac deliberatione versantur, si id intelligant, vel suspicentur, eò magis retrahi solent, & contrà, ut experientia sæpe ostendit, eò magis incitari, cùm in Directore, Collocutoribúsque nullam cupiditatem talem animadvertunt.

MEMBRUM IV.

De Loco.

Etiam hic, cùm aliquo modo serviat ad Exercitia meliùs facienda, inter causas Instrumentales latiori in sensu numerari

rari potest, maximè si talis sit, qualem S. Ignatius requirit, secretus scilicet, & ab omni concursu & aspectu hominum Familiarium præcipuè, remotus, unde tamen ipsi liberum securúmque sit ad Sacrificium Missæ aut alia divina Officia audienda egredi. Ex tali enim secessione tres præcipuas utilitates hauriri, idem S. Pater annot. 20. affirmat. 1. Quòd exclusis Amicis & negotijs minùs rectè ordinatis ad DEI cultum, gratiam apud DEVM majorem mereatur. 2. Quòd mens magis collecta, & ad solam DEI obsequium, salutísque propriæ negotium expediendum multò magis expedita maneat. 3. Quòd, quantò magis se homo segregat à Mundo, tantò propiùs ad DEVM accedat, capaciórque fiat ad bonitatis divinæ dona suscipienda.

Caput II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM SPIRITVALIVM.

Duplici modo potest cognosci præstantia alicujus rei, & intrinsecis scilicet perfectionibus seu prædicatis; & ex extrinsecis testimonijs: ex utroque autem hoc titulo singulare mExercitijs Spiritualibus excellentiam convenire ex sequentibus patebit.

Titulus I.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX INTRINSECIS PRÆDICATIS.

INnumera quidem prædicata enumerari possent ad dignam de Exercitijs Spiritualibus æstimationem ingenerandam, sed pleraque meritò ad tria revocari possunt, ad necessitatem scilicet, utilitatem, & jucunditatem eorundem; hæc enim quantò majora in illis reperiri demonstrabitur, tantò major quoque de illis æstimatio concipietur.

§. I.

De Necessitate Exercitiorum Spiritualium.

Tria plerumque capita Homini cuique necessaria existimantur, ut finem, ad quem à DEO conditus est, felicitèr conse-

consequi queat. Primum est *Cognitio sui*, quæ in eo consistit, ut & finem, propter quem creatus est; & media, quæ ab eodem ad finem hunc consequendum oblata sunt, bene cognoscat, &, quæ passiones vel inclinationes ipsum à fine hoc consequendo abducere moliantur, aut per quæ peccata fortè omnino recesserit, clarè intelligat. Quæ quidem Cognitio sui quantopere necessaria sit cuivis Homini sapienter more suo ostendit S. Bernardus c. 3. de consid. dicens: *Noveris licet omnia mysteria, noveris sata terræ, alta cœli, profunda maris; si te nescias, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est; Sapiens sibi sapiens erit, & bibet de fonte putei sui primus ipse.* Unde meritò alibi Personam DEI introducens sic loquitur: *O Homo, si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres; sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, cùm nec mihi, nec tibi placebis; mihi, quia peccâsti: tibi, quia ardebis.* Causam verò hujus necessitatis pulchrè ostendit Hugo l. 3. de anim. c. 6. dum supponens felicitatem & perfectionem Hominis in cognitione & amore DEI consistere, asserit ad hanc DEI cognitionem sine cognitione sui neminem posse pervenire; *frustra enim*, inquit, *cordis Oculum erigit ad videndum DEVM, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Priùs enim est, ut cognoscas invisibilia Spiritûs tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia DEI. Et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea, quæ sunt supra te. Præcipuum & principale Speculum est ad videndum DEVM animus rationalis intuens seipsum.* Hinc meritò Ascetæ potissimam humanarum imperfectionum causam defectum considerationis esse contendunt, uti jam olim DEVS ipse per Prophetam Jeremiam c. 17. indicavit dicens: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Et iterum per Isaiam c. 5. *Propterea captivus ductus est Populus meus, quia non habuit scientiam, quia Opus Domini non respexit, opera manuum eius non consideravit. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino.* Nimirum Philisthæos imitatur Diabolus, qui Samsoni vincto ante omnia oculos eruerunt, ut

robur

robur suum ob cæcitatem exerere non posset. Jam verò hanc sui cognitionem obtinendam optimum esse medium Exercitiorum Spiritualium sedulum usum, vel ex ipsa rundem Natura, actionibúsque susceptis patet; ut enim aquis aut Speculo nemo imaginem suam videt, quando tu bata aut obfoscata sunt; Secùs verò si pura & limpida e stunt; ita animus quoque Hominis nunquam ad se cogno cendum magis idoneus est, quàm cùm per secessum à negoc & hominibus mentẽ liberam & tranquillã reddidit. Accedi quòd peripsam etiam frequentiorem conversationẽ cum D & Christo, qui est lux vera illuminans omnem Hominem, c piosum Lumen hauriatur ad perfectam sui cognitionem o tinendam, præ reliquis expertus est Rodericus Menesi qui, cùm Exercitiis Spiritualibus vacâsset, terribilia se i iisdem Spectra vidisse affirmabat; cúmque rumor hic ad ipsi Regis aures perveniisset, ideóque jussus esset Rodericus e cere, qualia fuissent spectra, quæ in sacra sua solitudi spectâsset, respondit is, seipsum se, suáque peccata, malég domitas passiones, quibus nulla magis horrenda spectra i veniri possent, clarissimè fuisse intuitum.

Alterum ad Finem ultimum consequendum medium e *Statûs*, ad quem quisque à Sapientissima DEI Providen vocatus est *Electio*; cùm enim Adolescentiæ maxima inf imbecillitas consilii, plerumque id sibi quisque genus ætat degendæ constituit, quod maximè adamavit, adeòque in plicatur certo aliquo genere, cursúque vivendi antè, quàm potuit, quid optimum sit, judicare; unde cùm S. Ignatius ex una parte perspiceret, quanti esset momenti certum ali quod vitæ genus maturo sibi consilio designare, ne infeliciter de eo deliberaretur, quod semel tantùm statuendum est & in quo summa maximi omnium discriminis vertitur; ex altera verò parte adverteret, ex vulgi judicio vitam pleróque instituere, atque adeò, dum posteriores quasi per caligi nem vestigia priorum premunt, à recto cursu aberrare, me ritò solertem adhibuit curam, ut quisque sic de vitæ summ constitueret, quemadmodum DEUM velle, sibíque summ expedire judicaverit; quem in finem hæc Exercitia maxim censebat idonea, utpote in quibus & animus à noxis, qua luminis divini illapsum impedire possent, purgatur: & ab

omn

omni inclinatione quæ in unam potiùs, quàm aliàm partem inclinet; exuitur: & idonea auxilia ad opus tanti momenti cum optato successu peragendum, per crebriorem orationem impetrantur, ut, quemadmodum os Domini interrogatum est antè, quàm certum vitæ genus electum est, ita responsum quoque ab eo salutare accipiat, & de salute sua spem bonam concipere queat, utpote qui eorum sit de numero, de quibus Christus Jo. 10. dixit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Tertium Medium ad finem ultimum consequendum est *Reformatio Status*; cùm enim Anima nostra ad imaginem DEI creata sit, facilè contingit, ut pulvere variarum Imperfectionum & Criminum fœdata, priorem pulchritudinem amittat, atque adeò renovatione indigeat; hinc Apostolus tam sollicitè monet Ephesios c. 4. ut secundum pristinam conversationem deponant veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, renovatur autem Spiritu mentis suæ, & induant novum Hominem, qui secundùm DEUM in justitia creatus est, & sanctitate veritatis. Ad hanc autem morum, vitæque reformationem aptissimum esse instrumentum Sacra, de quibus hic sermo est, Exercitia, testes sunt; inquit Author Imaginis Societatis, infiniti toto Orbe, qui ea non minori sua voluptate, quàm fructu sunt experti. Sed unus sit instar omnium Augustinus Carvaialius Augustiniani Ordinis Theologus, qui cùm Bononiam à Pontifice missus esset ad D. Jacobum Cœnobium in veterem disciplinã restituendam, non aliis id præsidiis facere aggressus est, quàm piis his Societatis cõmentationibus, quibus ipse cùm per mensem se exercuisset, candidè testatus est, se, quamdiu in Religione vixisset, rationem aliquam, quâ rectè incederet, semper optâsse, eámque nunc demum, cùm in hæc S. Ignatii exercitia incidisset, inveniisse. Quæ quidem ille avidissimè hausta, atque in intimum demissa pectus tanti fecit, ut in iis verè divinum aliquid inesse apertè diceret, eáque deinceps in alios tantò libentiùs derivârit, quantò diutius quæsivit, ipse, & seriùs invenit.

§. II. De

§. II.

De Utilitate Exercitiorum Spiritualium.

I. Utilitatem horum Exercitiorum si accuratiùs perpendam, equidem non immeritò comparari posse videtur lignum vitæ (de quo S. Joannes c. 22. Apoc. meminit) plantatum juxta fluvium aquæ vitæ (per quam Gratia divina rectè intelligitur) & fructus duodecim afferenti; totidem enim hæc ipsa primarios fructus afferunt, quorum quatuor ad viam Purgativam, totidem ad Illuminativam, & totidem denique ad unitivam spectant, uti ex eorum brevi enarratione patebit.

Primus Fructus.

Temporis fructuosa collocatio.

Primus ergo Fructus ad viam Purgativam pertinens est *Temporis*, quod his Exercitiis impendi solet, *fructuosa collocatio*: constat quippe quotidianâ experientiâ, eos qui Sacræ huic Ascesi vacant, si unquam aliàs, hoc tempore maximè à Peccatis & Imperfectionibus, quibus alioqui obnoxij esse consueverunt, sollicitè abstinere, omnésque actiones ad hunc finem præscribi solitas eo cum fervore, diligentia, atque perfectione peragere, ut sæpe vix materiam pro Confessione Sacramentali inveniant. Qui quidem Fructus quanti æstimandus sit, vel ex ipsius S. Ignatii testimonio patet; si enim iste, dum objicerent aliqui, frustaneos esse sumptus & laborem, qui ab ipso in ædificanda pro Meretricibus conversis domo sunt impensi, eò quòd ejusmodi Mulieres mox iterum ad vomitum revertantur; Sapienter respondit, si una ex ejusmodi Mulieribus vel unica nocte consueto fornicationis crimine abstineat, sat bene sibi totum, quem pro Domo hac exstruenda assumpserat, laborem collocatum videri; quantò magis censeri bene impensum debet totum Octiduum, aut longius interdum tempus, quod Ascesi Sacræ impenditur, & intra quod à tot peccatis & imperfectionibus abstinetur.

Secun-

Secundus Fructus.

Peccatorum conversio.

Secundus Fructus est *Peccatorum conversio* : qui fructus si ex ulla alia actione, ex hoc secessu meritò sperari potest, utpote in quo omnia media ad ejusmodi conversionem proficua adhibentur ; hîc enim Finis inprimis, ad quem Homo, cæteræque Creaturæ conditi sunt, ob oculos ponitur, & quàm turpe atque indignum sit, ab eodem aberrare, ostenditur ; hîc pessimi peccati fructus, ex Angelorum, Primorum Parentum, aliorúmque Hominum Sceleratorum pœna ob oculos ponuntur : hîc mortis, judicii, atque Inferni horror, acerbitásque perpendenda traditur : hîc radix commissorum peccatorum inquiritur, atque efficacia ad eandem exscindendam remedia offeruntur : hîc acerbissimi Christi servatoris Cruciatus, injuriæ, & probrosa mors menti objicitur, & ex amaritudine remedii morborum gravitas demonstratur ; ut adeò mirum non sit, tam admirandas nonnunquam Conversiones in his Exercitiis Spiritualibus contigisse. Sic enim in Imagine Societatis l. 3. refertur, Sacerdotem quemdam Scenicum, publicum Populi Offendiculum, cùm in Sacram hanc Solitudinem sese recepisset, ita repente mutatum esse, ut injecto cervicibus fune, in suggestum ascenderit, & à frequentissima multitudine veniam petierit levitatis suæ, idque tam ardenter, ut ipsi Populo lacrymas excusserit, cui priùs risus & cachinnos movere solitus erat : Sed & de Messanensi quodam Adolescente ibidem narratur, quòd cùm nec durissima quidem inter Mancipiorum fœces servitus eundem flectere potuisset, his Exercitiorum præsidiis adeò emollitus sit, ut depositâ ferociâ summè tractabilem se præbuerit, omnibúsque Domesticis admirationi fuerit. Præ cæteris tamen memorabile est, quod in parvo libello, *Sacra Tempe* vocato, c. 2. de Equitis cujusdam scelerati conversione memoratur ; qui, cùm alios commilitones per unius diei secessum ad conflictum, &, si opus fuerit, mortem piè obeundam præparare se advertisset, irridere primùm hanc pietatem, pòst tamen importunis Amicorum & Sociorum precibus persuasus, etiam ipse suscipere, sed curiositatis potiùs, quàm devotionis gratiâ est ausus ; verùm

verùm vix unam, alterámve Meditationem peregerat, ci adeò se immutatum, tantóque DEI timore, & vitæ eme dandæ desiderio correptum sensit, ut deinceps Speculum erit virtutis, qui offendiculum fuerat, multósque suo exe plo ad eundem solitudinem uno saltem die frequentandi incitârit.

Tertius Fructus.

Confessionis integritas.

Tertius fructus est *Confessionis* singulari cum dolore, latióque institutæ *integritas*: nam, ut rectè advertit P. Pet Manrique in citato libello Sacrorum Tempe exempl. 17. 3. Multùm differunt inter se Confessio quietè, attentéq (ut in Exercitiis fieri solet) instituta; & ea, quæ inter oc pationes suscipitur; qui enim soli DEO, suóque Magis vacat tempus habet sufficiens & rationes cognoscendi pec ti, & commentationes idoneas fæditati ejus aperiendæ, que adeò est benè comparatus ad justum dolorem adipisc dum, & inde ad mirabiles Sacramenti, sanguinísque Chr sti, qui illic impertitur, fructus percipiendos; quibus a xiliis, cùm plerumque careant ij, qui extra hanc sacr Solitudinem Confessionem peragunt, haud facilè quoq virtutem hujus Sacramenti tam copiosè experiuntur. Enim verò priores similes sunt Reo criminum ante Judicem co stituo ubi ex una parte Testes assistunt, patrata illius facin ra ex probantes; ex altera parte Exactor seu Fisco Præfect gravitatem eorundem ostendens, ac veluti trutinam ex minans, unde fieri non potest, ut Reus non cohorreat, que peccavisse doleat; posteriores verò similes sunt Re contra quem Testes sine Exactore, aut Exactor sine Testib aut utrique in loco tumultibus personante, vocésque l quentium intercipiente adstant, ubi hoc ipso, quòd min percipiatur accusatio, ipsáque delictorum exprobatio, n nor etiam dolor, & Erubescentia concipitur, id quod l quenti exemplo l. c. confirmat Manrique. Quidam, inqu confessioni de tota vita instituendæ se includendum dede quem assiduæ distractiones & monstra imaginum male hab bant, literis, ullíve alteri rei vacare permittebant, omni existimantem omnes Homines iisdem infestari turbelis, deóq

deòque neque remedia circumspicientem, neque conquirentem. Itaque peractâ homologesi in Exercitiis porro pergens, videnſque conſuetas vanuiſſe phantaſias, viciſſim animum eſſe pacatum, ac liberum, omniúmque actionum compotem, ita ut, quod liberet, ſine turbatione faceret, legeret, ſtuderet, oraret quietè, ſe ipſe admiratus rem omnem Magiſtro enarravit, qui eum hortari & animare inſtitit, gratéſque DEO agere juſſit, cùm alia commemoraret exempla eorum, qui obita ritè in ſeceſſu confeſſione generali variis à DEO gratiis ſunt donati, pars corporibus à varió malo liberatis, pars contra Scrupulos & importunas cogitationes armati, quemadmodum ipſe & alij aliis moleſtiis ac vexationibus ſuo remedio exempti.

Quartus Fructus.

Pœnæ temporalis remiſſio.

Quartus fructus eſt *Pœnæ temporalis peccatis debitæ remiſſio:* ad quam obtinendam variè conducunt Exercitia; inprimis quidem quia ad perfectum dolorem de peccatis diſponunt, qui interdum adeò intenſus eſſe ſolet, ut meritò ſperari poſſit, de eo, qui ejuſmodi dolorem elicit, illa Chriſti verba ad S. Mariã Magdalenã olim dicta verificatum iri: *Remittuntur ei peccata multa* (etiam quoad ipſam pœnam, aut partem illius) *quoniam dilexit multùm.* Deinde verò etiam ad Pœnitentiæ opera, (quæ Specialiter ad ſatisfactionem pro pœna peccatorum ordinata ſunt) tum ipſo Exercitiorum tempore, tum poſt finem illorum ſuſcipienda non modicè incitat; & præterea ad variarum virtutum præſtantiſſimos actus eliciendos tum in ipſis Meditationibus, tum extra illas creberrimam occaſionem offert; & tandem quod præcipuum eſt, per plenariarum Indulgentiarum, quæ iis, qui octo aut decem diebus hæc Exercitia colunt, conceſſæ ſunt impetrationem, omnem peccatis debitam pœnam relaxant, quæ quidem gratia tantò certiùs ſperari poteſt, quantò juſtior eſt cauſa, ob quam ejuſmodi indulgentiæ ſunt conceſſæ.

Quintus Fructus.

Virtutum ſtudium & augmentum.

Quintus fructus, & primus ex iis, qui ad viam illumi
tivam pertinent, eſt *virtutum ſtudium & augmentum*;
quod promovendum duo perquam efficacia media & mot
in his exercitiis ſubminiſtrantur, quorum primum eſt Ch
ſti exemplum; in cujus virtutibus & actionibus conſidera
dis tota propemodum ſecunda & tertia hebdomas occupa
unde Societas omnes, qui ab ea Exercitiis excoluntur; il
Apoſtoli Verbis ad Gal. 4. alloquitur: *Filioli mei, quos i
rum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ut
quemque verò Exercitantem illis S. Bonaventuræ verbi
hanc imitationem incitat: *In omnibus virtutibus & o
ribus propone ſemper clariſſimum Speculum, & totius Sa
ctitatis Exemplar, ſcilicet virtutes & mores Filij DEI
mini noſtri IESV Chriſti, qui ad hoc nobis de cælo miſſu
ut aperiret nobis viam virtutum, & legem diſciplina
exemplo doceret, & erudiret nos per ſemetipſum, ut, ſ
ad imaginem ejus naturaliter creati ſumus, ita ad mo
ejus ſimilitudinem per invitationem virtutis pro noſtra
ſibilitate reformemur. Quantò enim quiſque ſe ei in
tutis imitatione hic conformare ſtuduerit, tantò ei in
ma gloria & claritate appropinquabit, & ſimilior erit.
ſcribe tibi in corde tuo mores & actus ſuos, ut in omnibu
ctis & verbis tuis ad hunc quaſi ad exemplar reſpicias,
cedens, ſtans, ſedens, comedens, tacens, ſolus, & cum a
Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis ejus grati
aſſequeris; & in omni virtute perfectior eris. Et hac t
Sapientia & perfectio tua, & ſtudium ſemper aliquid de
cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel
eum amandum afficiaris.* Alterum medium, quo virtu
augmentum promoveat Exercitia, eſt motivorum, quæ
virtutis amorem alliciunt, ſeria meditatio & penetratio, p
ta pulchritudinis, honeſtatis, jucunditatis, utilitatis, &
milium proprietatum, quæ virtuti conveniunt. Certè p
tiſſima cauſa, cur tam pauci Homines virtutem ſeriò ſecte
tur, eſt exigua, quam de iis habent, exiſtimatio, unde
ha

hanc per accuratam supradictarum Proprietatum Meditationem in his Exercitiis sunt assecuti, præponunt eam cum Salomone regnis & sedibus, & divitias nihil ducunt in comparatione illius, scientes, quòd omnia bona veniant pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Cujus quidem fructus percepti, ut infinita alia taceam, præclarum exemplum habemus in Maria Bonaventura Moniali Ordinis S. Benedicti in monasterio à S. Francisca Romana olim Romæ fundato, cum magna opinione sanctitatis anno 1627. mortua; quæ, licet ab initio spiritualibus rebus parùm addicta, ac virtutis minimè studiosa fuerit, postquam tamen à P. Nicolao Lancizio, qui in sexto Opusculo c. 22. fusè ipsius confessionem & vitam describit, ad Exercitia hæc facienda inducta est, repente adeò mutata est, ut inter alia Memorato Patri suo spirituali dixerit: *Pater non oportet amplius jocari cum DEO; agnovi, quid à me velit DEVS, quid nolit: volo tota esse DEI, & totis viribus conari, ut ob majorem DEI gloriam sine ulla mora Sancta evadam, non qualicunque, sed magnâ, citò.* Nec minùs præstitit, quàm promisit, nam intra annum non integrum, quo supervixit, ad eum virtutis apicem, teste eodem P. Lancizio pervenit, ut sine ulla prævia consideratione & ponderatione causarum, ad virtutem impellentium, Sola simplici & instantanea apprehensione alicujus virtutis ad eandem exercendam raperetur, eo ipso modo, quo S. Bernardus viros perfectos describens Serm. 20. in Cant. ait: *Omne tanquam naturaliter, & malum respuunt, &, quod bonum est, amplectantur*; quemadmodum & de S. P. N. Ignatio Andreas Frusius, ut l. 16. n. 123. hist. Soc. refertur, dicere solebat, cælestem Christi gratiam in eo ingenitam ac naturalem videri, adeò constanter, ubique ac semper, adeóque facilè, modum, virtutémque servabat-

Sextus Fructus.

Meritorum incrementum.

I. Pro sexto fructu *meritorum multiplicatio & incrementum* rectè assignatur, pro quo obtinendo varia iterum media in Exercitiis Spiritualibus addiscuntur; & inprimis qui-

dem dum per noviſſimorum conſiderationem oſtenditu quàm gravis & deflenda ſit jactura, quæ per negligentia in meritis multiplicandis incurritur; quam multi adeò no ſine grandi dolore & pudore illud Eccleſiaſtæ c. 2. ſint olim d ecturi: *Cúmque me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fe rant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudav ram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*; a que ideo ne gravior fiat hæc jactura & dolor, per ſeriam n ſipiſcentiam præterita negligentia reſarcitur, ſícque ſal berrimum Apoſtoli monitum ad Eph. 5. impletur: *Vide itaque, Fratres quomodo caute ambuletis, non quaſi inſip entes, ſed quaſi ſapientes, redimentes tempus, quoniam di mali ſunt.*

II. Alterum ad meritorum augmentum medium eſt vi tutum ſtudium & profectus: hæ enim cùm gratiam & carit tem ſemper comitentur, merito radix & cauſa potiſſima m ritorum dicuntur. Unde meritò S. Gregorius virtutes ſol veras Hominis divitias vocat, dum hom. 15. in Evang. ai *Solæ divitiæ veræ ſunt, quæ nos divites virtutibus facia Si ergo, Fratres cariſſimi, divites eſſe cupitis, veras div tias amate.* Cùm ergo virtutum copioſum incrementu in Exercitiis ſpiritualibus obtineri, in ſuperiori fructu quin to ſit oſtenſum, negari non poterit, quin proportionatu quoque meritorum incrementum in iiſdem obtineatur.

III. Tertium medium ad eundem finem per Exercitii ſpiritualia offertur, dum per Meditationem de Regn Chriſti, & de duobus vexillis ad perfectam Chriſti imitatio nem, atque adeò ad majorem DEI gloriam & obſequium in omnibus operibus & laboribus quærendum voluntas im pellitur, ita ut, etiamſi nullo ſuperaddito, laus DEI par fi ret, ad majorem tamen Chriſti imitationem, eligatur potiu cum eo paupere, ſpreto, & illuſo pauperies, contemptus i inſipientiæ titulus, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſti matio. Quàm amplum verò ex hoc ſtudio meritorum aug mentum oriatur, vel ex eo colligi poteſt, quòd DEUs libe ralitate ſe vinci non patiatur, ſed, quò liberaliorem ſe qu erga eum oſtendit, tanto liberaliorem ſe ipſe viciſſim i præbiturus, menſurámque adeò bonam, confertam, coag tatam, & ſupereffluentem Meritorum daturus ſit in ſinum i lius.

Septimo

Septimus Fructus.

Præparatio ad Officia ritè obeunda.

I. Etiam hic fructus non spernendus est, cùm enim Major pars vitæ in muneribus & Officiis cuique impositis sit consumenda, rectè quoque concluditur, majorem meritorum & gloriæ obtinendæ partem in Officiorum accurata administratione consistere. Porro hunc fructum in Exercitiis potissimùm obtineri, testatur inprimis ipsa Societas, quæ suos ad altissimum & difficillimum Operarii Apostolici munus præparatura, integrum annum impendi tertiæ probationi, & in hujus initio quatuor integras hebdomades, & aliam iterum in fine illius in sacris hisce Exercitiis utilissimè consumi mandat. Testantur item Episcopi, alijque Prælati sat multi, qui onus Angelicis humeris formidandum subituri, ab his potissimùm Exercitiis vires petierunt; quas cùm magno suo & suorum bono corroborari sensissent, ex iis non pauci nullos deinceps statuerunt sacris initiare, nisi ad dignissimum illud Christianæ Religionis munus cælesti hoc præsidio ante præparatos. Testatur denique ipse Christus, qui Apostolos suos ad labores Apostolicos fortiter exantlandos excitaturus, & virtute ex alto instructurus per integrum octiduum sese obscondere, orationique vacare illos voluit.

II. Porro ad fructum hunc obtinendum tria præcipuè media suggeruntur in his Exercitiis, quorum primum, est Exemplum ipsius Christi, actionésque ipsius accuratius consideratæ; hæ enim cùm sint Idea & regula omnium functionum Apostolicarum, non possunt sanè perfectiùs actiones ad Proximi salutem ordinatæ peragi, quàm si huic perfectissimæ Ideæ conformentur; nam, ut sapienter S. Basilius serm. de Resurr. pronunciavit, *propter hoc naturam nostram suscepit, ut in se velut in tabula quádam veram nobis veritatem & virtutem depingeret, eámque nobis omnibus tanquam Archetypum imitandum proponeret.* Hinc teste S. Bernardo S. 4. de advent. *Omnis nostra virtus tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne.*

III. Alterum medium est orationis continuatio, quâ sci-

licet vires à DEO gratiáque postulatur, sine qua frustanea est omnis conatus Operarij Apostolici; nam, ut præclarè S. Bernardus epist. 101. dixit, *Nunc autem manent* (id est, requiruntur ad Apostolicum munus) *tria hæc, Verbum, Exemplum, Oratio; major autem horum Oratio, ea namque opem & voci gratiam & efficaciam promeretur.* Et idipsum confirmans S. Augustinus l. 4. de doctr. Christ. c. 15. *Munus suum*, inquit, *ut præstet, magis opus est orationum, quàm Oratoris facultate, ut orando pro se, & pro illis, quos est alloquturus, sit Orator, antequam dictor.*

IV. Tertium medium est reflexio super obitas Muneris sui functiones, per quam & commissorum errorum gravitas cognoscitur, & defletur; simúlque stimuli ac nova propositi concipiuntur, eosdem non solùm studiosè devitandi, sed etiam subsequentium actionum majore fervore compensandi. Nimirum sicut Messores, ubi aciem falcis suæ obtusam esse advertunt, mox illam cote sua exacuunt, sícque novo fervore laborem repetunt, & faciliùs longè fructuosiúsque peragunt; ita Operarij quoque Spirituales, ubi fervorem in Officij sui functionibus obeundis imminutum advertunt, in processu Exercitiorum ferventibus Meditationibus eundem denuo reparant, sícque nova alacritate ad functionum suarum labores redeunt. Unde sapienter S. Hieronymus epist. 11 ad Celantiam scribens ait: *Non enim eò fit hic recessus, ut retraharis à tuis; imò id agimus, ut ibi discas, ibique meteris, qualem tuis te præbere debeas.*

Octavus Fructus.

Zelus Animarum.

I. Quantopere Zelus hic necessarius sit Operarijs Apostolicis, præclarè S. Laurentius Justinianus in lib. de compunct. & complanctu Christ. perfect. indicavit dicens: *Absque igne quis ignem accendet? & sine charitate quis charitatis officia consummavit? Ardeat dilectionis flamma semper in te, quatenus calore tuo Proximorum excutiatur torpor, imò accrescat amoris incendium: quomodo præteritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris planè inflammare cæteros, si fueris tu charitatis incendio concremata.*

Ex quibus verbis clarè colligitur, Zelum animarum esse proprium fructum Exercitiorum Spiritualium; cùm enim in his præcipuè copiosa occasio offeratur, considerandi & meditandi motiva ad Zelum impellentia, meritò in his quoque sperandum est verificatum iri, quod S. David Ps. 38. dixit: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Id quod faciliùs persuadebitur, si, qualia motiva ad Zelum excitandum in his Exercitijs proponuntur, breviter ostendatur.

II. Primum itaque motivum, quod vel maximè inculcatur in his Exercitijs, est Christi pro animarum salute incarnati, tantáque agentis & patientis exemplum; quod S. Carolus Borromæus, uti l. 3. c. 2. Act. Mediol. pag. 838. refertur, ob oculos præcipuè Operarijs Apostolicis habendum dicebat: quando monebat, ut in eo potissimùm cogitationem, mentémque omnem figant, ut attentè considerent adventum in terras Domini nostri JESU Christi Filij DEI, diligentérque perpendant, dum nobiscum in terris commoratus est, quanto desiderio nostræ salutis accensus fuerit, quantáque perpessus sit; hæc enim si cogitent, meritò sperari potest, talibus cogitationibus quasi quibusdam facibus animum illorum ita accensum iri, ut nullus vel maximus labor esse possit, quem illi subire recusent, ne pretiosissimi Christi Sanguinis fructus in ipsis, aliisque ipsorum negligentiâ depereat.

III. Secundum motivum est, ipsarum animarum præstantia, quam eleganter iterum ob oculos posuit suis Operarijs S. Carolus Borromæus, dum l. c. pag. 839. sic locutus est: *Salus animarum quanti facienda sit, ex incredibili dignitate animarum conijci potest, quæ si fortè alicui obscura est, clarissima IESV Christi verba perpendat, animam unam toti Mundo præferentis. Quid prodest, inquit, homini, etiamsi universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Ejusdem præterea res omnes gestas animadvertat. Quid enim aliud ille voluit, cùm è cælo descendit, laboriosissimam vitam in terris duxit, acerbissimam deniq; mortem subijt, quam hominum animas ab æterno periculo & morte liberare? hic certè laborum omnium susceptorum Scopus, hic sanguinis effusi, hic Crucis & mortis fructus*

fuit. eo in opere Adjutores esse sunt, qui Verbi DEI prædica-tioni operam navant. Quod ipsum etiam S. Gregorius Nazianz. orat. 2. sequentibus verbis breviter, sed elegantèr ostendit: *Huc Magistra Lex tendit, huc inter Christum & Legem interjecti Prophetæ: huc Spiritualis Legis perfectio & finis Christus: huc exinanita Deitas: huc assumpta caro: huc nova illa mixtio, DEVS, inquam, & homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe in unum coïerunt.* Quid multis? sic DEVS dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret; at quid in Mundo dilexit, nisi id, propter quod factus est Mundus?

IV. Tertium motivum est, Sathanæ in perdendis, atque in æternum, idque inexplicabile supplicium trahendis animabus insatiabile studium; nam, ut S. Brigitta quondam in Ectasi audivit, in judicio fassus est, majori se impetu ferri in perniciem animarum, quàm torrens violentus; quæsita autem à Christo, cur illud faceret? respondit, quia tu amas illas. Hinc meritò iterum hoc motivum S. Carolus Borromæus Operarijs proposuit dicens: *Considerent prætereaquam horribilem animarum stragem, quam generis humani semper ternus hostis Sathanas facit, quantam in illis perdendis solicitudinem adhibeat, quibus utatur Ministris, quâ alacritate, sollicitudinèque, quibus laboribus & vigilijs scelestus Ministri opus urgeant, indefessi atque assidui, ijdémq; perpetui & obfirmati. Quare turpissimam rem se facturos existimare debent IESV Christi Ministri, si ita Magistri sui voluntatem, dignitatémq; suam, atque sempiterna præmia perdant, vel à Christiana charitate tam alienos se præbeant, ut à Sathanæ Ministris superari se sinant, patiantúrque, ut illi majori studio ad se, & alios perdendos, quàm ipsi ad suam, aliorúmq; salutem tuendam incumbant.*

V. Quartum denique motivum est vocationis obligatio perpensa; si enim Officiales & Ministri Principum, ubi aliquam dignitatem, quantumvis improbo labore & precibus, obtinuerunt, beatissimos se putant, & vel hoc etiam titulo ad omnem fidelitatem & diligentiam in tali munere præstandam obligatos se putant; quantò magis id sentiendum ei, qui ultrò & gratuitò ad dignitatem & officium omnium divinorum diviniſſimum (ut vocat S. Dionysius Areopa-

reopagita) videlicet ad animarum salutem procurandam vocatus est

Nonus Fructus.

Perfectionis Assecutio.

I. Nonus fructus, & primus ex ijs, qui ad viam unitivam spectant, est Perfectionis assecutio, seu, quod idem est, perfecta cum DEO per amorem purissimum unio; ad quem fructum obtinendum duo præcipuè perquam efficacia & aptissima media in his Exercitijs obtinentur. Quorum primum est clarissima Bonitatis, aliarúmque perfectionum divinarum, & præcipuè amoris, quo DEVS homines prosequitur, cognitio; quæ cognitio quantopere conducat ad mutuum amorem provocandum, patet ex ipso Beatorum in cœlis existentium felicissimo Statu, qui ideo rapiuntur, & necessitantur ad amandum perfectissimè DEVM, quia per visionem beatificam clarissimè divinitatem illius & supremam bonitatem cognoscunt; unde S. Ignatius assiduè cum suspirio exclamare solebat ad DEVM: O utinam, mi DEVS, homines te nôssent! non ignarus scilicet, quò perfectiùs ipsum homines cognituri & amorem illius perpensuri forent, eò vehementiùs quoque ad amorem illius incitatum iri. Maximè si ipsius etiam amoris infiniti erga homines tot beneficijs & operibus comprobati magnitudo perpendatur, tunc enim verè erubescit homo, se tam parcè vices in amando rependisse, & in illa S. Bernardi verba erumpit: *Amat charitas, amat immensitas, & nos vicem rependimus cum mensura?*

II. Alterum medium est bonitatis & dulcedinis divinæ degustatio; hic enim propriè dicitur ijs, qui Exercitia faciunt: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Psal. 33. Hic ipse DEVS de anima in hanc solitudinem se conferente repetit verba illa per Oseam c. 2. dicta: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Ut exclamare cogatur & fateri cum Discipulis in Emaus euntibus: *Nónne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis.* Luc. 24. aut cum S. Augustino l. 9. conf. c. 1. *O quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuit, jam dimittere gaudium erat;*

ejiciebas enim eas à me veratu, & ſumma ſuavitas; ejiciebas eas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior. Certè unquam alibi, in his Exercitijs verificatur illud commune adagium: *Guſtato Spiritu deſipit omnis caro.* Unde animus his deliciis ineſcata exclamat cum Apoſtolis: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Matt. 17. aut cum Sponſa: *Sub arbore illius, quam deſideraveram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 2. Item cum S. Bernardo in Jubilo: *Nec lingua potest dicere, nec litera exprimere, expertus poteſt credere, quid ſit DEVM diligere.*

Decimus Fructus.

Diſpoſitio optima ad mortem piè & feliciter obeundam.

I. Fructus hic tantò ampliùs jure merito æſtimandus magíſque optandus eſt, quantò certiùs conſtat, totam hominis felicitatem vel miſeriam æternam ab ultimo hoc articulo pendere: nam, ut ſapienter S. Auguſtinus ad Dioſc. ſcribſit, *in quo quemq; invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies; quoniam qualis in iſto die moritur, talis in die illo judicabitur.*

II. Quantopere verò conducant Exercitia Spiritualia ad hunc fructum obtinendum, ex tribus præcipuè indicijs colligitur. 1. Ex ipſa Meditatione, quæ in prima hebdomada de Morte, ejúſque circumſtantiis proponitur: quæ quidem quàm efficax ſit ad dignam pro morte præparationem ſuſcipiendam, teſtatus eſt in primis S. Gregorius l. 12. moral. dicens: *Qui conſiderat, qualis erit in morte, ſemper pavidus erit in operatione, atque inde in oculis ſui Conditoris vivit. Nil, quod tranſeat, appetit: cunctis vitæ præſentis deſideriis contradicit, & pene ſe mortuum conſiderat, qui moriturum ſe minimè ignorat. Perfecta enim vita eſt mortis meditatio, quam, dum juſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Teſtatus eſt etiam Juvenis ille ſceleratus, de quo Spec. Exempl. meminit, qui pro pœnitentia poſt confeſſionem peractam juſſus in lecto ſe componere, & conſtituta ad pedem lectuli effigie Crucifixi cum duobus cereis imaginari, ſe jam morti vicinum eſſe, per brevem hanc conſidera-

sideratione adeò commotus est, ut mox è lecto surrexerit, & Religiosam vitam sanctissimè sit professus.

III. Secundò hoc ipsum colligitur ex vitæ rationibus, quæ hoc Exercitiorum tempore plerumque per generalem Confessionem, aliàque media componuntur; quemadmodum enim Homines prudentes, quibus momenti alicujus lis est, operam dant, ut aliquot dies ab Hominum consortio secum assumant Advocatos, quibus causam explicent suam, quósque omni strepitu, arbitrísque remotis consulant super litis quæstione; ita viri sapientes ad litem summi momenti, quam communis Inimicus ad mortis clepsydram intendet, per secessum in hanc solitudinem se ad eandem præparant. Quem in finem memorabile Exemplum in sæpe cit. libello Sacr. Tempe c. 2. ex. 3. refertur in hæc verba: Sacerdos generali Confessione locum ac tempus quærens, profanis semper negotijs interturbatus, de die in diem differendo cunctabatur, donec unum destinavit nulla occupatione procrastinandum. Commodùm advenit dies, cùm ei literæ Amicorum Sevilià redduntur, inde proficisci jubentes, itaque Confessario valedicit suo, causatus impedimentum, post reditum isthæc obiturus; an ignoras, Domine, subijcit Confessarius, te esse mortalem, atque inter viam mori posse? Motus hisce Sacerdos, ac tempore prolixius exercitium negante in hunc secessum se contulit, indéque magno cum fructu prodiens in viam se dedit, cùm ecce in medio itinere correptus morbo, moríque se sentiens, felix, inquit, hora, quâ secessu ad incundas vitæ meæ rationes, ad mortem obeundam, ad Testamentum ritu Christiano condendum; alioqui acerbum futurum erat in pago procul à Patria mori. Itaque quia in illo secessu me præparavi, animo morior æquissimo, ubicunque fuerit visum DEO, vel in medij vastitate campi. Sícque Sacramentis ad iter æternitatis instructus piè vitam terminavit.

IV. Tertiò denique idipsum colligitur ex ipsa vitæ reformatione, quæ, ut alibi ostensum est, præcipuus est horum Exercitiorum Scopus, atque adeò hoc ipso etiam optima ad mortem dispositio, cùm, teste S. Augustino de doctr. Christ. non possit malè mori, qui bene vixit; &, ut l. 1. de civit. ait, *mala mors putanda non sit, quam bona vita præcesserit; neq;*

enim

enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam m
tem.

Undecimus Fructus.

Ecclesiæ, & Familiarum Religiosarum incre-mentum.

I. Hic fructus quoque quàm proprius effectus sit Spi tualium Exercitiorum, ex eo facilè colligitur, quòd tam E clesiæ, quàm Familiarum Religiosarum incrementum in præcipuè consistat, ut & viros nanciscantur legitimè à DE vocatos (hoc ipso enim DEVS, qui eos tam misericordi elegit, etiam virtute ex alto instruet, &, sicut velle conce etiam perficere dabit) & ijdem vero Apostolico aut Religi so Spiritu imbuantur, & in eodem constanter conserven & perficiantur; ad hunc autem finem obtinendum mer Exercitia Spiritualia aptissimum Instrumentum censean nam inprimis Vocationem & Electionem Statûs quod an net, quis melior modus, aut praxis eandem indagandi pr scribi aut adhiberi potest, quàm is ipse, quem S. Ignatius his Exercitijs præscripsit? per hunc certè plerique ex prim decem Societatis nostræ Patribus ad Religionem attrac tantos postea fructus in longum ævum duraturos fecerunt.

II. Nec minùs autem juvant etiam ad conceptum s mel Vocationis exequendæ ferverem conservandum & au gendum; id quod experientia quotidiana confirmat, p quam habetur, non modò Societatem, sed alios etiam, si Ecclesiasticos, sive Religiosos Prælatos, quando Subditorum suorum fervorem per occupationes externas imminutum au omnino deperditum reparare, & resuscitare volunt, horum potissimùm Exercitiorum auxilio id efficere conari; utpot quibus singularem efficaciam ad animos charitate DEI & Proximi inflammandos inesse, ipsimet etiam propriâ plo rumque experientiâ cognoverunt; nimirum sicut aqua in lebete inclusa, si igni admoveatur, operculóque claudatur, vehementiùs exæstuat; ita fervor animo conceptus, licet modicus sit, si cum igne divino conjungatur (id est, eximi DEI in nos, aliósque charitas & beneficentia consideretur) & operculum apponatur (id est, extrinseca objecta animum distrahentia, & ad se sapientia removeantur) in immensum

perfi-

perficitur, & augetur; uti rectè S. Gregorius l. 22. moral. c. 2. advertit dicens: *Animus noster dum igne amoris excoquitur, semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris; nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare; hinc nempe per Paulum dicitur: Renovamini Spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: dixi, nunc cœpi; quia si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est; ut inchoare nos quotidie credamus.*

Duodecimus Fructus.

Majus divinæ Gloriæ incrementum.

I. Ultimus quidem Ordine, sed primus dignitate meritò hic fructus æstimatur, utpote ad quem omnes præcedentes Fructus velut ad ultimum finem ordinantur; cùm enim Gloria DEI in hoc consistat, quòd à Creaturis magis cognoscatur, æstimetur, & ametur; tunc autem DEVS magis æstimetur, & ametur, quando homo fortiter, & constanter declinat à malo seu peccato, & ferventer facit bonum, seu in virtutibus se exercet, facilè patet, eodem passu, quo peccata vitantur, & virtutes exercentur, etiam DEI gloriam augeri; unde non opus est, ulteriùs ostendere, quòd Exercitia Spiritualia specialiter conducant ad hunc fructum obtinendum; cùm hoc ipso, quòd ostensum sit in præcedentibus paragraphis, per ea Hominem Salutis suæ studiosum ordinatissimâ Methodo per omnes tres vias, Purgativam scilicet, Illuminativam, & Unitivam ad summum perfectionis Apicem perduci, rectè concludatur, etiam ad Majorem DEI gloriam promovendam non minorem ea utilitatem, efficaciámque continere.

§. III.

De Jucunditate Exercitiorum.

I. Inter alias fallacias, quibus Dæmon Exercitiorum horum Spiritualium fructum impedire nititur, non minima profectò censenda est falsa illa & inanis persuasio, quâ nonnullis persuadet, fastidiosam nimis, & tædio, tristitiáque plenam

plenam rem esse; Exercitijs hisce Spiritualibus vacare; quod eorum præcipuè exemplo probat, qui, quia minùs applicant ad hæc Exercitia, & curas, consolationésque extr nas abijcere nolunt, hoc ipso jucunditatem in illis absco tam minùs quoque sentiunt, atque adeò meritò fastidio, stibúsque ac melancholicis cogitationibus obruuntur. rùm aliud longè est eorum, qui jucunditatem horum E citiorum experti sunt, judicium; hi enim Vacationum S ritualium loco habent hæc Exercitia, atque adeò non mi alacritate ad eadem accedunt, & perseverant; quàm ali Vacationes corporales in amœna prædia conferre se sole Et meritò sanè Vacationibus ea æquiparant, nam omni capita, propter quæ Vacationes corporales tam jucundæ dentur, & tam avidè expetuntur, in his Exercitijs perfecti mo modo repetiuntur.

II. Si enim primò ante omnia *Locus* vacationes juc das efficit, præcipuè si in alto monte situs: si sanus, id est ro & frigidiusculo aëre perflatus: si amœnus, id est, flor arboribus, limpidísque rivulis sit instructus, ubi similem cum magis, quàm in hisce Exercitijs reperire licet? quid nim cælo altius est? atqui in hoc Anima hoc tempore hab tat, quæ magis est, ubi amat & orat, quàm ubi animat. sanè locus sanissimus est, quia purissimo & gratissimo ve afflatur, illo nempe qui in die Pentecostes Apostolos affla similíque modo afflabit omnes, qui cum Apostolis per e aut plures dies orationi vacant; *si enim vos*, inquit Chris *cùm sitis mali, nostis bona data dare Filijs vestris, qua magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petent se?* hic denique locus amœnissimis arboribus & rivulis consitus, & irrigatus; quid enim ipsi Sancti in cælo, quor vita & exempla in his Exercitijs leguntur, & considerand aliud sunt, quàm arbores amœnissimæ, & ut S. David Ps loquitur, lignum plantatum secùs decursum aquarum, qu fructum pulcherrimum virtutum & bonorum operum det in tempore suo, cujus folium non defluet in æternum, & mnia, quæcunque fecerunt, & facient, prosperabuntur? qu aliud gratia DEI semper quidem, sed in his Exercitijs præ puè ob majorem dispositionem, & ferventiorem oration parata, quid aliud, inquam, est, nisi rivulus aquæ illius,

qua Christus Jo. 4. Samaritanæ dixit: *Qui biberit ex hac aqua, quam dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam?* si ergo illis, qui loca amœna & alta pro recreatione eligunt, omnis labor & molestia, quam in ascensu percipiunt, spe secuturæ voluptatis jucunda & facilis apparet; quidni potiori jure difficultas, quæ in Exercitijs faciendis interdum sentitur, facilè superetur, ut spirituali recreatione ex loci amœnitate percipi solita animus fruatur, sicque ob tam insignem victoriam illud Apoc. 2. verificetur: *Vincenti dabo manna absconditum.*

III. Si verò & *Temporis* seu longitudo, seu amœnitas jucundiorem efficere Vacationem solet; quidni ob eandem iterum rationem Exercitia spiritualia vacationi rectè comparentur, utpote in quibus octo plerumque aut decem, dies interdum verò quatuor integræ septimanæ consumuntur? quis non amœnissimum Exercitiorum tempus asserat esse, in quo omnes plerumque curarum importuni & molesti venti quiescunt, omnesque seu cupiditatum immoderatarum nimius æstus, seu noxium spiritualis torporis frigus abest, ut adeò meritò de hoc tempore quisque Exercitans illud Siracidis Eccl. 24. applicet: *Ne defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.*

IV. Ipsas verò Exercitationes, Corporis quod attinet, puta collocutionem, ambulationem, refectionem, piscationem, venationem, aucupium, & similes, quæ non modicè, imò præcipuè jucundas efficiunt Vacationes corporales, etiam hæ perfectiori longè modo in exercitiis spiritualibus reperiuntur; quod enim gratiùs colloquium excogitari potest, quàm cum DEO, de quo sponsa Cant. 5. dixit: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est?* de quo duo Discipuli in Emaus euntes fassi sunt: *Nonne cor nostrum ardens erat, in nobis, dum loqueretur in via?* Quæ jucundior deambulatio accidere potest, quàm ea, per quam triplex via perfectionis decurritur, & ad gratum Sanctitatis apicem pervenitur? Quæ suavior refectio optari potest, quàm ea, quæ tum per Verbi divini auditi lectivé, tum per amoris gustatam dulcedinem percipitur, de qua S. Bernardus in jubilo dixit: *Tua IESV dilectio, grata mentis refectio, replens sine fa-*

ne fastidio, dans famem desiderio? Quòd si & secura mens teste Salomone Prov. 15. est quasi juge convivium, ubi magis hoc convivium, quàm in his ipsis Exercitiis reperiet quorum præcipuus scopus est, expulsis per pœnitentiam vitiis, securam & quietam mentem efficere? Jam verò quæ Piscatio gratior & felicior esse potest, quam ea, quâ animæ seu viventium Peccatorum, seu Captivorum in Purgatorio gravissimas pœnas sustinentium capiuntur, uti fit in hisce Exercitiis, dum & ferventia pro iis suspiria, precésque ad Deum emittuntur, & novus ad easdem efficaciùs juvandas ardor concipitur, variáque ad eundem finem obtinendum media excogitantur, ut impletum meritò illud Christi ad Apostolos Matt. 4. prolatum Vaticinium videri queat: *Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.* Sed ne venatio jucunda deesse videtur his Exercitijs, dum Exercitans illud Sponsæ, Cant. 2. sibi applicans: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas nostras; nam vinea nostra floruit:* imperfectiones & malas inclinationes tantò majori voluptate, & feliciori successu insequitur, quantò graviora plerumque per eam damna animæ, velut Spirituali vineæ inferebantur. Et ne ipsa quoque Aucupij voluptas desit, cogitationes & desideria, quæ velut Aviculæ liberè per Mundum vagabantur, & nunc huic, nunc illi rei inordinatum amorem insidentes vanæ voluptatis escam captabant, per accuratam reflexionem & detestationem capiuntur, & intra rationis bene ordinatæ caveam includuntur. Ut meritò propter ejusmodi voluptatem impleta videam promissio, quam DEVS olim per Jeremiam Prophetam ceu fecerat dicens: *Consolabitur ergo Deus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* Quam item Sponsa Cant. 7. Sponso fecerat dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agros, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi ubera* cœlestium consolationum. Has sanè, ut plura alia exempla præteream, gustavit Calvinianus ille, qui, ut c. 2. Sacr. Temp. ex. 12. refertur, tantam in his Exercitijs dulcedinem sensit, ut dicere ausus sit, hominem quantumvis flagitiosum

illa degustaret, millies mortem oppetiturum, ut iis frueretur. Sed ne brevis ea voluptas fuisse credatur, integri anni decursu delicijs illis inter orandum demulcebatur, adeò ut senas omnino horas genibus solo affixis traducere solitaret, magnámque partem à sensibus abductus alienaretur. Adhuc verò mirabilius est, quod ibidem ex 13. de alio Calviniano legitur, qui, ubi Exercicijs hisce vacare cœpit, tantis repletus est deliciis, ut toto die incœnatus & impotus manens, causámque rogatus responderit, se præ copia solatiorum cibum non capere, imò nec tempus ad unicum libelli pii caput perlegendum invenire posse. Unde finitis Exercitiis Instructorem suum his verbis allocutus est: Pater, à parvo Puero educatus sum inter commoditates, quæ vel optari potuissent, affirmo tamen ignorâsse me adhuc, quæ sit voluptas; nisi dum quatuor hisce parietibus me video circumseptum; & fieri nõ potest, quin, qui experiatur, & credat, quæ mihi cõtigerunt, convertatur ad DEUM, fiátque Catholicus. Ego domo profectus sum urbes orbis Christiani celebriores convisendi, deinde Constantinopolim, Hierosolymam, aliás que, at verò finem itineribus meis impono, cùm, quod quæsieram, hîc loci invenerim, neque unquam antehac reperire licuerit, pacem videlicet, animíque tranquillitatem. Et quando intelligo hanc gratiam à DEO non soli mihi tributam, sed in aliorum quoque gratiam, referam me domum, ubi multi vitam inter doctrinæ fallacias agitant, eorum, quæ hîc loci experiundo didici, rudes ac ignari; quod ipsum etiam opere postmodum complevit, admirantibus domesticis tam subitam, & extraordinariam hominis mutationem, donec ex ipsomet genuinam causam intellexerunt.

Titulus II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX EXTRINSECIS TESTIMONIIS.

Innumera quidem testimonia afferri possent, ex quibus tantò efficaciùs præstantia Exercitiorum posset, quantò certiùs plerique eorundem utilitatem, fructúsque dulcissimos propriâ experientiâ cognoverunt, sed ad duodecim velut

rari potest, maximè si talis sit, qualem S. Ignatius requirit, secretus scilicet, & ab omni concursu & aspectu hominum Familiarium præcipuè, remotus, unde tamen ipsi liberum securúmque sit ad Sacrificium Missæ aut alia divina Officia audienda egredi. Ex tali enim secessione tres præcipuas utilitates hauriri, idem S. Pater annot. 20. affirmat. 1. Quòd exclusis Amicis & negotijs minùs rectè ordinatis ad DEI cultum, gratiam apud DEVM majorem mereatur. 2. Quòd mens magis collecta, & ad solam DEI obsequium, salutísque propriæ negotium expediendum multò magis expedita maneat. 3. Quòd, quantò magis se homo segregat à Mundo, tantò propiùs ad DEVM accedat, capaciórque fiat ad bonitatis divinæ dona suscipienda.

Caput II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM SPIRITVALIVM.

Duplici modo potest cognosci præstantia alicujus rei, & intrinsecis scilicet perfectionibus seu prædicatis; & ex extrinsecis testimonijs: ex utroque autem hoc titulo singulare mExercitijs Spiritualibus excellentiam convenire ex sequentibus patebit.

Titulus I.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX INTRINSECIS PRÆDICATIS.

INnumera quidem prædicata enumerari possent ad dignam de Exercitijs Spiritualibus æstimationem ingenerandam, sed pleraque meritò ad tria revocari possunt, ad necessitatem scilicet, utilitatem, & jucunditatem eorundem; hæc enim quantò majora in illis reperiri demonstrabitur, tantò major quoque de illis æstimatio concipietur.

§. I.

De Necessitate Exercitiorum Spiritualium.

Tria plerumque capita Homini cuique necessaria existimantur, ut finem, ad quem à DEO conditus est, felicitèr conse-

illa degustaret, millies mortem oppetiturum, ut iis frueretur. Sed ne brevis ea voluptas fuisse credatur, integri anni decursu delicijs illis inter orandum demulcebatur, adeò ut senas omnino horas genibus solo affixis traducere solitaret, magnámque partem à sensibus abductus alienaretur. Adhuc verò mirabilius est, quod ibidem ex 13. de alio Calviniano legitur, qui, ubi Exercicijs hisce vacare cœpit, tantis repletus est deliciis, ut toto die incœnatus & impotus manens, causámque rogatus responderit, se præ copia solatiorum cibum non capere, imò nec tempus ad unicum libelli pii caput perlegendum invenire posse. Unde finitis Exercitiis Instructorem suum his verbis allocutus est: Pater, à parvo Puero educatus sum inter commoditates, quæ vel optari potuissent, affirmo tamen ignorâsse me adhuc, quæ sit voluptas; nisi dum quatuor hisce parietibus me video circumseptum; & fieri nõ potest, quin, qui experiatur, & credat, quæ mihi cõtigerunt, convertatur ad DEUM, fiátque Catholicus. Ego domo profectus sum urbes orbis Christiani celebriores convisendi, deinde Constantinopolim, Hierosolymam, aliás que, at verò finem itineribus meis impono, cùm, quod quæsieram, hîc loci invenerim, neque unquam antehac reperire licuerit, pacem videlicet, animíque tranquillitatem. Et quando intelligo hanc gratiam à DEO non soli mihi tributam, sed in aliorum quoque gratiam, referam me domum, ubi multi vitam inter doctrinæ fallacias agitant, eorum, quæ hîc loci experiundo didici, rudes ac ignari; quod ipsum etiam opere postmodum complevit, admirantibus domesticis tam subitam, & extraordinariam hominis mutationem, donec ex ipsomet genuinam causam intellexerunt.

Titulus II.

DE PRÆSTANTIA EXERCITIORUM EX EXTRINSECIS TESTIMONIIS.

Innumera quidem testimonia afferri possent, ex quibus tantò efficaciùs præstantia Exercitiorum posset, quantò certiùs plerique eorundem utilitatem, fructúsque dulcissimos propriâ experientiâ cognoverunt, sed ad duodecim velut

præcipua meritò reduci possunt, videlicet ad DEUM, Ch
stum, B. Virginem & Cælites, SS. Patres, summos Pont
ces, Cardinales & Episcopos, Principes Sæculares, Doct
res, Religiosos externos, Religiosos nostræ Societatis, S
culares Catholicos, Hæreticos. Ethnices, quorum testimo
proinde per distinctos paragraphos breviter afferentur.

§. I.

Quanti DEUS faciat Exercitia.

I. Quanti æstimet DEUS hæc Exercitia Spiritualia, va
sanè argumentis non obscurè declaravit. Et primò quid
dum Moysem ad se in montem Sinai vocavit, & quadra
ta diebus & noctibus retinuit, an non clarissimo argum
to ostendit, tunc se præcipuè hominibus suam voluntat
declarare, donáque communicare, quando à turbis se
ti, totos se consortio, colloquióque secum instituendo
pendunt?

II. Quod ipsum etiam simili argumento in Elia Proph
ta declaravit, quando eundem in Spelunca montis deli
centem in spiritu primùm grandi & forti subvertente m
tes, & petras conterente, deinde verò in sibilo auræ te
invisit, ut ostenderet scilicet, tunc maximè se altos mo
& petras duras mentium peccatis aut imperfectionibus
noxiarum conterere, suámque voluntatem per inspira
nem internam quasi sibilum tenuem manifestare, quand
solitudinis speluncam secedunt homines, & remotis tu
& curis, divinæ familiaritatis sese capaces efficiunt.

III. Sed neque illud etiam testimonium prætereund
est, quod per Oseam Prophetam c. 2. protulit dicens: *Pro
hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem,
loquar ad cor ejus.* Quæ enim alia est lactatio ista,
promissio multiplicium fructuum, qui ex solitudine re
tantur? quid aliud *loqui ad cor* significat, nisi quod tunc
ximè soleat viam perfectionis & unionis cum DEO oste
re, atque ad eandem alacriter decurrendam, efficacia mo
va stimulòsque suppeditare?

IV. Jam verò illa Isaiæ Prophetæ c. 26. verba (*Vnde*
pa

pulùs meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicũ ad momentum, donec pertranseat indignatio?)qui accuratiùs perpendit, an non fateri cogetur, cõsilium hoc per Exercitia Spiritualia perfectissimé adimpleri, adeòque jam tum DEUM ad solitudinem hanc sacram respexisse?

V. Quòd si denique admirandi in his Exercitiis producti effectus, admirandæ inquam, conversiones, copiosæ consolationes, & altissimæ illustrationes considerentur, quid aliud sunt nisi clarissima DEI testimonia, quibus testari dignatus est, hæc Exercitia (quod multorum aliàs etiam sermone percrebuit) esse opus humano majus & nobilissimum æternæ suæ mentis inventum?

§. II.

Quantopere Christus Exercitia hæc æstimârit, & commendârit.

I. Quantopere Servator noster Exercitia hæc æstimârit, clariùs testari non potuit, quàm cùm in desertum secedens, quadraginta diebus & noctibus, sine ullo humano consortio vixit, solísque contemplationibus, aliísque spiritualibus exercitationibus vacavit; quam ob causam Petrus Guerrerius Archiepiscopus Granatensis, uti Historiæ Societatis p. 1. l. 13. n. 86. refertur, Exercitia hæc summi faciebat, dicebátque semel in concione, Christum in desertum tanquam Exercitia spiritualia secessisse, ut omnes suo invitaret exemplo, docerétque necessarium subinde esse, ad res animi sui considerandas locum, tempúsque vacuum sumere.

II. Sed & aliud non obscurum hujus rei testimonium reliquit, quando Discipulos suos ultro ad secessum spiritualem invitavit Marc. 6. dicens: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pauxillum*; ubi per quietem utique non corporalem duntaxat cessationem à laboribus, aut somnum intellexit, sed depositionem curarum, & occupationum ad alios juvandos pertinentium, suíque accuratam inspectionem & recollectionem, ut novo fervore & alacritate ad pristinos labores redirent.

III. Quando verò Matt. 6. dixit *Tu autem cum oravs-*

rio, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi: quid aliud, quàm secessum spiritualem suasisse videtur? ubi enim perfectiùs hoc Christi consilium impletur, quàm in his ipsis Exercitiis, dum & cubiculum privatum eligitur, & diligenter clauditur (id est, sine necessitate non exitur ex eo, nec quisquam alius nisi simili ex causa admittitur) & magno cum fervore plerumque tempus Orationi impenditur?

IV. Clarissimum verò de utilitate horum Exercitiorum testimonium tulit, quando, ut in Actibus Apostolorum est legitur præcepit Apostolis suis, ut ab Jerosolymis non discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam per os ejus audiverunt; quæ enim fuerit exspectatio, satis clarè ipsa dem indicatur, dum dicitur, quòd in cœnaculum intrarint, & unanimiter perseverârint in oratione cum Mulieribus, & MARIA Matre JESU, & Fratribus ejus; quid autem hoc aliud erat, nisi Exercitiis spiritualibus vacare, & per ea se dignissimè ad Paracleti promissi optatissimum Adventum præparare?

§. III.

Quam æstimationem B. Virgo de Exercitiis spiritualibus habuerit.

I. Quid Sanctissima DEI Mater de præstantia & utilitate Exercitiorum horum spiritualium senserit, non videor efficaciùs ostendere, & probare posse, quàm si specialem revelationem à P. Ludovico de Ponte in vita P. Balthasari Alvarez c. 53. §. 1. narratam ipsius Authoris verbis retulero. Sic ergo illi scribit.

II. Ex multis Personis altissimæ Orationis, quibuscum egi (quæ non fueruntpaucæ) fuit quædam, cui Deus Dominus noster, & Sanctissima ejus Mater extraordinarios valde favores & misericordias exhibebant, de cujus sincera veritate cùm aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in ejusmodi rebus homo habere potest. Illa, inquam, mihi dixit, quæ referam.

III. Cùm illa intelligeret, homines Societatis ad hos Exer-

Exercitia facienda se colligere anno 1600. pro more nostro recepto, voluit & illa in domo sua se colligere, ut eadem faceret modo, quo posset. Cúmque cœpisset, mane quodam in sua Oratione esset cum Domino, vidit oculis mentis venientem, & ad se appropinquantem sanctum quendam Angelum insignis Majestatis, quæ cùm obstupescceret, & nesciret, quid hoc esse posset, dixit ei ille, se esse Archangelum Gabrielem, & missum à Sacratissima Virgine, ut ipsam salutaret, & quædam significaret. Illa, quæ erat valde humilis, hoc audiens, magis obstupuit, séque contraxit, petens ab Angelo, ut priùs, quàm referret, quæ in mandatis habebat, permitteret ipsam diutiùs cum Domino DEO nostro de re adeò gravi tractare (quod in hujusmodi occasionibus facere solebat) Angelus, cui valde placet humilitas, & cautela, Sanctáque illa ex reverentia contractio, respondit, sibi id valde placere. Quare eo, quasi ibi non esset, prætermisso, accessit ipsa ad Dominum nostrum (quem ubique præsentem esse Fides nostra docet) magnóque animi sensu & affectu suam ei miseriam & vilitatem proposuit, humiliter petens misericordiam, & ut ab ea dignaretur avertere, quidquid sanctissimæ ejus voluntati conforme non esset. Cùmque in his & aliis hujusmodi petitionibus aliquamdiu hæsisset, audivit internam Domini vocem dicentis, ut. quæ Angelus dicturus ei esset, audiret.

IV. Et illa certior & securior interiùs facta, quòd totum illud esset DEI opus, eum in modum, quo divina sua Majestas eam Servis suis Prophetis faciebat, audivit flexis genibus, & magna cum reverentia, quæ Angelus in commissis habebat. Qui cælestis Reginæ nomine ei dicebat: Exercitiis, quæ facere cogitâsti, per mentis ratiocinationes & Meditationes magnitudinis DEI, & bonorum infinitorum, quæ per Christum vobis communicantur (in eum ferè modum, quo fiunt à Societate) singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis; significat enim tibi, se fuisse, & esse tanquam Patronam & Fundatricem illorum Societatis exercitiorũ; nam se adjuvisse, & docuisse S. Ignatium, ut ita fieret, ideóque hoc nomine initium se dedisse huic operi, imò & se toto tempore vitæ suæ in sanctis hujusmodi Exercitiis fuisse occupatam.

V. Hæc fuit revelatio, de cujus veritate (ut dixi) non

possum dubitare, perpensis omnibus circumstantiis ejus, ei facta est; certóque credo, non illi Personæ factam fuisse revelationem propter se, sed propter nos, ut scilicet Societas homines, & cæteri, qui sanctis his Meditationibus exercentur, aliquod eis tempus seorsim tribuentes pluris ea faciant & ad ea continuanda magis animentur, si quidem talem habent Fundatricem, Protectricem, & Adjutricem, qualis ipsa Sacratissima Virgo DEI Mater, quæ etiam ea fecit, licet cum majore excellentia absque ulla comparatione, quam nos, voluítque rem hanc nobis manifestare, ut illustrissimum & sanctissimum illius exemplum sequeremur. Ita memoratus Pater Ludovicus de Ponte.

VI. Ex qua revelatione, ut rectè concludit nonnemo evidenter possumus colligere, quòd ista Exercitia sint efficacissimum medium ad augendam in nobis charitatem DEI. Nam si hæc Virgo, quæ ad tam altum Sanctitatis gradum pervenerat, Spiritus S. instinctu speciali ea fecerit, profectò dubitari non potest, quin DEVS ea Exercitia illi inspirârit tanquam singulare & excellentissimum medium ad augendam suam erga DEVM charitatem; nam hæc perfectio est & vera Sanctitas, ad quam omnia opera pietatis dirigi debent. Deinde si Mater Sapientiæ ea S. Ignatio dictaverit, vel in scribendis direxerit; & si Mater Sanctitatis & Charitatis, supra omnes Homines & Angelos debuit in dilectione maximis incrementis proficere, in his Exercitijs se totâ vitâ exercuerit, quis dubitare poterit, quin divinæ Sapientiæ & Charitatis thesauri, & pretiosissimæ fodinæ in ijs reperiantur?

§. IV.

Quid SS. Patres de Exercitijs senserint.

I. Agmen inter hos meritò ducat S. Gregorius l. 2. mor. c. 12. ubi non obscurè utilitatem ejusmodi Secessus subquentibus verbis indicat: *Sancti Viri, qui exterioribus ministeriis deservire Officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intuitu cacumen ascendunt, & legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium in con-*

der
ser
ad
rep
cet
Int
ter
cip
est
mo
flu
ce
vi
na
R
N
su
in
en
ui
le
H
tu
hi
a
q
lo
d
tu
d
a
7
s
n
b
e
de

derationis sua vertice superna voluntatis sententiam perscrutantur. Quantopere autem his ipse secessus conducat ad mentem cælestibus consolationibus & illustrationibus replendam l. 30. moral. indicavit dicens: *Si carni, quod licet, abscindimus, mox in Spiritu, quod delectat, invenimus, Intentioni quippe animæ si exterior evagatio clauditur, interior accessus aperitur; nam quò extra se spargi propter disciplinam non potest, eò super se intendere per profectum potest; quia etiam in altum arbor crescere cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur; & , cùm rivos fontis obstruimus, fluenta surgere ad Superiora provocamus.*

II. S. Hieronymus verò quantopere solitudinem & secessum à turbis amârit, sequentibus verbis apertè monstravit: *O desertum floribus Christi vernans: O solitudo, in qua nascuntur ij lapides, de quibus in Apocalypsi Civitas Magni Regis exstruitur! O Eremus familiarius DEO gaudens!* Ne verò quis putaret, per hunc secessum effici, ut Proximo suo minùs quis prodesse studeat, sapienter hanc persuasionem in Epistola 114. ad Celsum eripere conatus est dicens: *Non enim eò fit hic recessus, ut retraharis à tuis; imò id agimus, ut ibi discas, ibiq; mediteris, qualem tuis præbere te debeas.*

III. Quem fructum S. Augustinus ex tali secessu retulerit, ipsemet l. 10. conf. c. 40. fatetur sequentibus verbis: *Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantùm relaxari possum, ad istam voluptatem refugio; neq; in his omnibus, quæ præcurro consulens te, invenio totum locum animæ meæ, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec à te quidquam recedat ex me.*

IV. Singulariter tamen in hoc secessu persuadendo Zelosum se S. Bernardus exhibuit varijs in locis. Et primò quidem l. 1. de consid. dum Eugenium Pontificem sic alloquitur: *Memento, non dico semper, non dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsum tibi; utere tu quoq; te inter multos, aut certè post multos; non totum te, nec semper dare actioni velim, sed considerationi aliquid tui, & oordis, & temporis sequestrare.* Et iterum eodem libro: *Colligat & se intra sinus, qui omnes recipit; alioqui quid prodest tibi juxta Verbum Domini, si universos lucreris teipsum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, esto & tu ex habentibus unus,*

quid solus fraudaris munere tui? usquequo Spiritus vade[s] & non rediens? Sapientibus & insipientibus debitor es, & [i]e negas tibi? Porro utilitatē hujus secessus, qui in consid[e]ratione potissimùm consistit, copiosè enumerat ibidē, dum ait: *Hæc cognitio affectiva primùm fontem suum, id est, mente[m] de qua oritur, purificat, deinde regit affectus, dirigit act[a] corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ord[i]nat, postremò divinarum pariter & humanarum rer[um] scientiam confert. Hæc est, quæ agenda præordinat, actu[s] cogitat, ut in mente nihil resideat incorrectum, aut com[-]ctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, [in] adversis quasi non sentit.* Brevissimè verò omnes hujus [re]cessus fructus complexus est, dum in Sermone quodam [in] Cantica dixit: *Hæ considerationes sunt deliciosæ ad sa[-]rem, solidæ ad nutrimentum, efficaces ad medicinam.*

V. S. Dionysius in eundem sensum conspirans sic [lo]ctum, imò & necessitatem ejusmodi Exercitiorum indic[at]: *Ante omnia maximè in Theologia, id est, in cognoscendo [et] amando DEO ab Oratione auspicandum est, ut divinis [re]memorationibus, invocationibusq; nos ipsos illi dedamus, [at]que uniamus. Oportet enim sanctis orationibus, & men[te] tranquilla ad divinam unionem accommodatâ ad DEU[M] ut ad boni principium adduci, & nos ipsos ad sublimiorum divinorum, benigniorúmq; radiorum contuitum precat[i]onibus comparare.*

VI. Denique S. Chrysostomus l. 1. de orando DEO cùm dixisset, per hanc orandi rationem nos assequi, ut [non] mortales, & temporarij esse desinamus, naturâ quidem mor[-]tales, sed colloquio, convictúque, quem agimus cum DEO, ad immortalem vitam transeuntes, mox subdit: *Necesse [est] enim, ut, qui cum DEO familiaritatem habet, Superior [e]vadat & morte, & omnibus, quæ corruptioni sunt obnoxia, sicut fieri non potest, ut, qui solis radijs fruitur, non effugiat tenebras.*

§. V.

Quid Summi Pontifices de his Exercitijs senserint.

I. Si in ore duorum aut trium Testium stat omne ver[bum]

bum, duorum quoque aut trium Pontificum testimonia tantò efficaciùs præstantiam Exercitiorum demonstrabunt, quantò certius est Oraculum, quod ab eorum ore procedit.

II. Et primò quidem, quid Paulus Tertius, qui Exercitia hæc ad preces S. Francisci Borgiæ approbavit, de ijs senserit, ex proprijs ejus verbis facilè colligere licet, dum in Bulla anno 1548. datâ sic loquitur: *Nos igitur, qui documenta & Exercitia hujusmodi examinari fecimus, & quæ ex testimonio ac relatione dilecti Filij nostri Ioannis Tit. S. Clementis &c.* nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum Fidelium valde salubria & utilia esse, & fore comperimus; debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia DEI ubique Gentium producere non cessant, & ad maximũ adjumentũ, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò attulerunt, hujusmodi Supplicationibus inclinati, documenta & Exercitia prædicta, ac singula ac omnia in ijs contenta, authoritate prædictâ, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti Patrocinio communimus, hortantes plurimùm in Domino omnes & singulos utriusque sexûs Christi Fideles, ubilibet constitutos, ut tam pijs documentis & Exercitijs uti, & illis instrui velint.

III. Non minùs autem etiam Julius III. Successor Pauli suam de Exercitijs æstimationem prodidit, quando Gregorio Razivillio Cardinali, Vilnensi Episcopo & Fratri ejus Josepho in Villam eiusdem Julij, ut his Meditationibus animum exercerent, secedentibus Achillem Gagliardum velut peritissimum Ducem assignavit, eo successu, qui in sequenti paragrapho explicabitur.

IV. Præ cæteris tamen Alexander Septimus luculentum de utilitate horum Exercitiorum testimonium tulit, quando anno 1665. Pontificatûs sui anno tertio, eadem non tantùm approbavit, & confirmavit, sed etiam ex propria experientia eorum utilitatem est attestatus, & ad eadem usurpanda plenarijs Indulgentijs concessis omnes his verbis invitavit: *Nos, qui probè scimus, quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christi Fidelium mentibus, devotionem eorum, qui*

operi adeò pio ac salutari vacaverint, cælestium thesau-
rum Ecclesiæ elargitione magis incitare volentes, de Om-
potentis DEI misericordia ac beatorum Petri & Pauli a-
postolorum ejus authoritate confisi, omnibus & singulis Chri-
sti Fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cujuscunque alte-
rius Ordinis & Congregationis Regularibus, quàm a-
quibuslibet Ecclesiasticis & Laicis, qui in domibus mem-
ratæ Societatis Exercitia prædicta juxta laudabilem ejus-
dem Societatis consuetudinem per Octidui spatium quan-
docunque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes &
confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpse-
rint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum
suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Do-
mino concedimus.

§. IV.

Quid Cardinales de Exercitijs sen-serint.

I. Primus ex his meritò chorum S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis ducit, qui variis argumentis suam de his Exercitiis æstimationem declarat. Nam 1. ea bis quotannis iterabat, & instar Novitij in ipsis aliquo è Societate non tantùm quoad interiores motus animi, & exteriores actiones dirigi, sed etiam ipsa Meditationum puncta, ante quamlibet Meditationis horam tradi volebat, uti Lancizius p. 1. opusc. 10. n. 231. fol. 830. testatur. 2. Ad ipsam etiam mortem se per ea velut optimam præparationem dispposuit, dum in solitudinem Varalli montis secedens, & his Exercitiis vacans, & castigatione voluntaria asperam, sed Christi dolorum Meditationibus suavem vitam ducens, ex eo secessu morbum contraxit, vitámque sanctissimè clausit, ut Breviarium Romanum 4. Nov. refert. 3. Dum ex Clero quoque suo, quotquot poterat, ad eadem habenda inducebat. 4. Dum Clericos Seminarij sui in ipso ingressu, & ante Sacrorum Ordinum susceptionem ijsdem excoli voluit; imò & in Synodo decretum fecit, ut nullus Sacerdos initiaretur Sacris Ordinibus, nisi qui per aliquot dies secedens, sacris sese ad illos Meditationibus præparâsset.

5. Du-

5. Dum Famulos quoq; suos quotannis vacare ijsdem Exercitiis jubebat, ut cælestia & æterna crebrò meditantes, vitam piam secundùm Christi legem instituerent. 6. Dum Duci Mantuano Bibliothecam suam Visitanti, & collaudanti dicebat, se in sacculo libellum (qui Libellus Exercitiorum fuerat) circumferre, qui plus contineret, quàm omnes Bibliothecæ suæ Codices, eò quòd Scriptores librorum cæterorum doctrinam suam ex principijs & scaturigine hujus Libelli derivârint.

II. Quid Cardinalis Burgensis senserit de his Exercitiis, sat clarè in censura Libello Exercitiorum præfixa ostendit, dum scripsit: Legimus spiritualia hæc Exercitia, placéntque nobis valde, & digna judicamus, quæ ab omnibus Orthodoxæ Fidei Cultoribus recipiantur, & magni fiant.

III. Non minorem de illis æstimationem Caspar Contarenus, Patritius Venetus, & ex Senatore Cardinalis, ætate sua ingenij & doctrinæ laude facilè princeps prodidit, dum non modò sub sancto Ignatio Magistro se exercuit, sed etiam tradita sibi Exercitia, suâ ipse manu perquam accuratè descripsit, & eundem sollicitè ab Hæredibus servari, non secùs, quàm ingentem thesaurum, uti revera est, in pretio haberi voluit, uti P. Joannes Weyer in Prolegomenis Theophili §. 12. testatur.

IV. Quartum testimonium tulit, quem priori paragrapho citavi, Georgius Radzivilius Cardinalis, & Vilnæ Episcopus, qui cum Fratre suo Stanislao his Exercitiis eo successu vacavit, ut redux in Poloniam fructum, quem hauserat, per omne regnum maximo animarum lucro diffunderet, ut loc. cit. ex Societatis imagine p. 385. refertur.

§. VII.

Quid Episcopi de his Exercitijs senserint.

I. Etiam hîc in ore trium Testium stabit æstimatio, quam Episcopi de Exercitiis habuerunt. Inter quæ testimonia primus jure merito locus debetur testimonio, quod Doctor Bartholomæus Torres Lector Segonciæ, & Cathedraticus Complutensis, & postea Canariensis Episcopus de illis tulit,

lit, dum, ut in historia Societatis p. 1. l. 13. n. 34. refert publicè pro Concione dixit, se plùs Theologiæ triginta Exercitiorum diebus, quàm triginta annis inter studia Scholastica condidicisse; & licet triginta annis, quibus S. Thomam, Scotúmque versabat, vix occurrerit argumentum quod solvere non posset, rationibus tamen Villanovæ, cum in Exercitiis dirigebat, manibus, pedibúsque fuisse constrictum. Unde Segonciâ multos submittebat Doctores Præbendatos, ut vocant, Ecclesiæ illius ad Exercitia cod. P. Villanova (qui Logicam duntaxat, & Theologiæ moralem audiverat) Ductore obeunda.

II. Quid Episcopus Saluzanus, Vicarius Papæ de Exercitiis senserit, in sua de Libello Exercitiorum censu & approbatione clarè manifestavit, dum, ut in primis ejusdem Libelli paginis refertur, apertè testatus est, opus hoc omni laude dignum, & Christianæ pietati valde proficuum esse.

III. Præ cæteris tamen memorabile est testimonium præclarum, quod Basileensis Episcopus, Bruntrutani Collegij Fundator proferre dignatus est, dum, ut Annuæ literæ Societatis 1601. f. 395. testantur, postquam novem dierum Exercitia Spiritualia fecisset, tantum inde fructum percepit, ut diceret: Si Patres Societatis in me nihil aliud contulissent, quàm hoc cœleste beneficium, id unum facilè æquare omnia, quæ ego Collegii huius Author præstiti Societati.

§. VIII.

Quid Doctores Theologiæ de Exercitijs senserint.

I. Inter horum Doctorum præclara de Exercitiis testimonia meritò memorandum censetur, quod Joannes Cochlæus, Canonicus Wratislavienſis, eruditione, scriptis libris solidâ Catholicæ Religionis adversus Lutheranos defensione, victoriísque de Hæresiarcha Luthero reportatis orbi notissimus, Romanique Regis in consessu Ratisbonensi Theologus protulit, dum, postquam P. Petrum Fabrum primum S. Ignatii Socium de scientia animæ in Spiritualibus Exercitiis à S. Ignatio tradita, & ab eo per Meditationes de Vi-

Chri-

Christi, aliásque pias Exercitationes in artem, usúmque redacta disserentem audivisse, hæc dixisse scribitur: *Multæ per Europam Scholæ & Cathedræ Theologicæ ferbuerunt, & fervent disputationibus. Optavi sæpius, ut mysticæ huius & arcanæ aliqua saltem pateret schola, ex qua non lumen siccum & sterile sui quæreret, & sonaret pompam, sed ferax & salubre vitalem ederet charitatis ardorem, qui DEO pascitur, & constanter in DEVM agendo fertur. Nunc gaudeo, quòd tandem inveniantur Magistri circa affectus.* Quod sicut ingenti lætitiæ sensu, erectísque in cœlum oculis dixit, ita, quàmprimum licuit, dedit se Exercitiis excolendum, quæ expertus ita probavit, ut magnis viris, Theologis, Præsulibúsque eadem suaserit, & tradiderit.

II. Non minùs præclarum est Testimonium, quod M. Manzius è S. Dominici Familia in Complutensi Academia Lector, vir graviſſimus tulit, dum absque horrore dicere ausus est, pluris à se fieri Theologiam Patris Villanovæ, à quo tunc Compluti exercebatur, quàm omnium ejusdem urbis Doctorum scientiam.

III. His non immeritò jungitur præclarum Augustini Carnialij celebris illius ex Augustiniano Ordine Theologi testimonium, qui, ut suprà vidimus, cùm per mensem se his Exercitiis exercuisset, testatus est candidè, se, quamdiu in Religione vixisset, rationem aliquam, quà rectissimè incederet, optâsse semper, eámque nunc demum, cùm in hæc S. Ignatii Exercitia incidisset, invenisse. Quæ quidem ille avidissimè hausta, atque in intimum demissa pectus tanti fecit, ut in ijs divinum aliquid inesse diceret, eáque deinceps in alios eò libentiùs derivârit, quò ipse aut diutiùs ea quæsivit, aut seriùs invenit, uti in Imag. Soc. l. 3. refertur.

§. IX.

Quid S. Ignatius, & alij Religiosi Societatis JESU de Exercitijs senserint.

I. Quanti S. Ignatius Exercitiorum horum Author eadem æstimârit, varijs sanè, iisque non obscuris argumentis declaravit. Nam 1. ipsemet ea diligenter & constanter usurpavit, utpote quorum adminiculo, ad eam, quam miramur, sancti-

sanctitatem pervenit. 2. Iisdem primos suos Socios ex cuit, sibíque adjunxit, & ad idem vitæ sanctioris institut DEO inspirante, excitavit. Ita ut verè dici possit, Socie tem JESU hoc maximè medio & initio coaluisse, & pos incrementum accepisse; constat enim plurimos ex illor usu vocationem agnovisse, & præclarè impleviſſe. 3. eadem etiam Societatem jam confirmatam velut aptissi nutrimento ali, sustentari, & crescere, & perfici voluit, ide que ut iis, qui in Probationibus versantur, per mensem dem excolerentur, atque ut idem saltem per octo dies etia alii facerent, vehementer optavit, unde societas hujus c siderii non ignara publico decreto omnes ad ea quot an per octiduum facienda adstrinxit. 4. Voluit eorundem Ex citiorum usum esse ex præcipuis mediis ad animarum sa tem procurandam, ideóque omnes hortatur, ut ad Exerc hæc aliis tradenda per proprium usum & experientiam ad scant, & in hoc armorum spiritualium genere tracta (quod DEI gratia ad ipsius obsequium tantopere confe cernitur) dexteritatem habere possint. Id quod præcip confirmavit, dum in Epistola anno 1536. ad Mionem S cerdotem, qui Parisiis ipsius Confessarius erat, datâ ve menter ipsum adhortatus est, ad eadem non modò sedulò cienda, sed aliis etiam ferventer commendanda & tradend asserens, ea esse optimum, quod in hac vita sentire, & cog gitare possit, tum ut homo sibi ipsi prosit; tum ut alior quoque profectum efficaciter promoveat, uti in Hist. p. 1. 7. n. 132. refertur.

II. Quantopere S. Franciscus Xaverius æstimationem Exercitiis & ratione meditandi conceperit, tum ex ipso, q eadem primò sub initium suæ conversionis peregit, fervo tum ex constanti per totam vitam usu constat; nam ut in v ta l. 4. c. 21. refertur, antiquissimum illi erat, quotidiana divinarum rerum meditationem peragere, nec ullum die sinebat sine cælesti hoc, sapidissimóque pabulo præterire.

III. Nec minorem S. Franciscus Borgia opinionem e ijsdem Exercitiis conceperat; hinc enim factum est, ut e rundem confirmationem à Sede Apostolica tam sollicitè e petierit, eò quòd (uti in Bulla Pauli III. libello Exercitio rum præfixa refertur) eà Christi fidelibus ad spirituales

co

consolationem & profectum magnopere utilia & salubria esse, non solùm famâ ex plurimis locis allatâ, sed etiam experimento manifesto cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ compertum habuerit.

IV. Sed & B. Aloysius Gonzaga suam de his Exercitiis æstimationem apertè manifestavit, quando Josepho Spinelli Societatis nostræ Religioso per gravem infirmitatem ad extrema propemodum perducto apparens suasit, ut, si antiquam sanitatem recuperare vellet, votum faceret, Exercitia hæc Spiritualia obeundi, uti in Annal. 1632. Coll. Panormit refertur.

V. P. Petrus Faber primus S. Ignatij Socius adeò in his Exercitijs tradendis excelluit, ut ipse S. Ignatius negaret ullum illi hoc in genere parem esse, uti in Vit. l. 2. c. 19. videre est.

VI. P. Franciscus Villanova adhuc inter Externos degens tam copiosum lumen & gratiam ex Exercitijs reportavit, ut Sapientiâ, doctrinâ, Sanctitate clarissimus quisque eum consuluerit, atque velut ad fontem Sapientiæ recurrerit, uti ex testimoniis D. Bartholomæi Torres, & M. Mancij §. 7. & 8. cc. patet.

§. X.

Quid alii Religiosi de Exercitiis senserint.

I. Primas sibi inter hos partes meritò Religiosissimus, & in Spiritualibus rebus versatissimus Lætiensis Abbas, Ludovicus Blosius vendicat, qui, quanti fecerit hæc Exercitia, sat clarè in sua ad Adrianum Lovanienſis Collegij Rectorem Epistola manifestavit, dum primùm gratias agit, quòd Ignatij precibus esset commendatus, deinde de suorum institutione per Usmarum Goissinum, Sacerdotem nostrum gratulatur, ac deinde exclamat: Utinam hoc factum esset ante annos viginti, ita enim cum senioribus multo meliùs fortè ageretur. Laudamus benignissimum DEUM, qui per vos istam rationem docuit; ex ea & ipsius DEI honor, & salus animarum, ut confido, consequetur. Unde postea semper de sua Familia binos Lovanium (ubi ipse excultus fuerat) misit excolendos, & eundem orandi modum à DEO sibi

in

in salutari illo secessu communicatum in suo quoque Mo sterio usurpari voluit.

II. Similem ferè fructum & sensum de Exercitijs hi etiam Pater Magister Frater Ludovicus Granatensis Ordi Prædicatorum insigne decus concepit, ut qui apertè con sus est, se in dictis Exercitiis tam illustre doctrinæ Spiritu lis lumen esse nactum, ut ætas scribendo non sit, quod Du tunc ad intelligendum contribuerit, ut Author Sacrorum Tempe. c. 4. fol. 137. loquitur.

III. His etiam meritò, ut omne trinum perfectum s tertius Ludovicus, Strada scilicet, è S. Bernardi religio Familiâ vir inprimis celebris, & non pietate minùs, qui doctrinâ conspicuus jungitur, qui (ut suprà jam dictum postquam libelli hujus vim divinam in se expertus fuis expendisset que ejus efficaciam ad animos à peccandi lic tia ad amorem virtutis traducendi, in hoc elogium verb & experientia convictus erupit: *Tirocinium est toti humo generi institutum.*

§. XI.

Quid Sæculares Catholici de Exercitijs senserint.

I. Petrus Ortizius Caroli Quinti ad supremum Pontif cem Legatus, quadraginta diebus his salutaribus meditatio nibus exerceri voluit, tanto animi fructu, virtutisque acc sione. ut, quantumvis Christianæ virtutis studium antea set insigne laude professus, ab eo tamen tempore tantùm m ram vitam spiritualem duxisse se fatererur.

II. Alius ad Summum Pontificem à Maria Stuarta Sco torum Regina missus Legatus, Stephanus nomine, ex prim nobilitate, cùm, nescio quâ de causa, vehementer à Soci tatis JESU Religiosis abhorreret, ubi Dublinensis Præsul suasu Exercicijs his vacare cœpit, tanto animi affectu Soci tatem prosequi cœpit, ut ex ea nonnullos ardentissimè petie rit secum in Scotiam veliendos, uti in Imagine Soc. l. 6. c. refertur.

III. In Bohemia Comites Jaroslaus de Martinez, & Gu lielmus Slawata, gloriosa & totâ Europâ, & magis co no

nota & cara nomina sæpius imò singulis annis, Spiritualibus his Exercitiis sub directione Patrum Societatis excoluêre animum, & in ijs, operante Domino, vires animi restaurârunt, & ita confortârunt ad toleranda fortiter ea, quæ ab efferata postea Hæresi tolerârunt, & agenda pro gloria DEI, quæ obsistentibus & oppugnantibus impiis constantissimè egerunt, &, ut starent magnanimi, imperterriti, & omnibus periculis, mortèque Superiores, uti fusius in Theophilo P. Joannis Weyer §. 15. proleg. videre est.

IV. Parmæ tanti olim fiebant Exercitia hæc spiritualia, ut subinde centum & plures simul exercerentur, viri & fœminæ, sic ut Parochi, Sacerdotésque alii etiam ea traderent, & Plebem ad Exercitiorum normam, informarent, itáque urbem aliam redderent, uti Hist. Soc. p. 1. l. 2. n. 76. testatur.

V. In eadem Historia p. 1. l. 7. n. 21. refertur, miram Exercitijs hisce existimationem accessisse ex eo, quòd Messanæ Filius Baronis, quem nec triremes, nec Parentum verbera, compescere poterant, paucorum dierum secessu, sub P. Domineci directione vel quovis Agno mitior & tractabilior effectus sit.

VI. Similem effectum expectus est alius quidam Juvenis, uti Annuæ 1619. f. 296. testantur; qui proin, cum post Exercitia absoluta admirationi se esse Parentibus, alijsque adverteret, quid admiramini, inquit, Dæmon ipse in istorum Patrum manibus converteretur. Cúmque ferventis propositi æstu alia omnia, quàm priùs egerat, promitteret, ipsum jam grandævum Parentem ad eadem facienda permovit.

§. XII.

Quid Hæretici & Ethnici de Exercitiis senserint.

I. Quanti hæc Exercitia fecerint Hæretici, jam suprà c. 1. §. ultimo per duorum Calvinianorum exemplum fusiùs demonstratum est quorum primus, cùm Exercitia facere cœpisset, tantam de fructu eorundem æstimationem concepit, ut dicere ausus sit, Hominem quantumvis flagitio-

sum, si illa degustaret, millies mortem oppeturum, ut potiretur, utpote in quibus tantas, támque frequentes gratias acceperat, ut Pater Spiritualis ijsdem annotandis vacaretur. Inter quas gratias non minima sanè erat quod cùm ardentissimum concepisset desiderium Patriam repetendi ad eos, qui fraude Hæreticorum decepti fuerant; ut reverti lucrandos, imò etiam ad vitam Martyrio ponendam, [illegible] die calendas Martias anni 1609. effigies B. Virginis, cui singularis cultor extiterat, eum allocuta sit, spémque fecit optatis votis potiundi uti in Sacr. Temp. c. 2. exemplo pluribus refertur.

II. Posterior verò, ut ibidem ex. 13. narratur, licet inter Hæreticos enutritus, tam copiosum ex paucorum discessu lumen adeptus est, ut in dubijs, quæ in re Theologica occurrebant, veluti de Trinitate, de Unitate in DEO, de temporis & æternitatis connexione, de prædestinatione divina, alijsque hujus generis quæstionibus solutio reddendo vix attingeretur, quin statim caperet, & deinceps congruenter de ejusmodi materijs dissereret, quasi in illis exercitus esset. Unde fassus est tandem in abitu Dilecti suo, fieri vix posse, quin is, qui experiatur, & credat, sibi contigerunt, convertatur ad Catholicam fidem; lætè, quam ante hac magnam Orbis Universi partem grando frustra quæsierat, pacem, animíque tranquillitatem in his Exercitiis reperisse.

III. Etsi verò Ethnici utpote veræ fidei lumine destituti eo, quo nunc Exercitia fieri consueverunt, modo non fuerint, umbram tamen quandam illorum habuisse jure merito creduntur. Certè de Scipione, fortissimo illo & Sapientissimo Romanorum Duce legitur, quòd in Solitudinem secesserit, ut portum à Reipublicæ fluctibus recipiebat, ut inde ad amplificandam Romani Nominis gloriam cum meliori consiliis in arenam reverteretur.

IV. Quid verò Romanus Sapiens, Seneca inquam, ejusmodi recessu senserit; Ex ipsius verbis c. 18. de brevitæ colligere licet: *Recipe te, inquit, ad hæc tutiora, tranquilliora, majora. Scituros, quis animum tuum exspectet, ubi nos à corporibus dimissos natura compulit. Exspectat te in hoc genere vitæ multùm bonarum artium*

mor virtutum atque usus, cupiditatum oblivio, vivendi atque moriendi scientia, alta quies. Satis per laboriosa & irrequieta documenta exhibita virtus est, major pars ætatis, certè melior Reipublicæ data sit, aliquid temporis sume etiam tibi. Invenies majora, quæ sepositus, & securus agites; istum animi vigorem rerum maximarum capacissimum ad se revoca, animi bonum animus inveniat. Hîc si inquam, respirare illi, & recedere in se vacaverit. O quàm sibi ipse verum totus à se fatebitur, ac dicet: quidquid dixi, quidquid feci adhuc, infectum esse mallem: quidquid dixi, cùm recogito, mutis invideo: quidquid optavi, inimicorum execrationem puto: quidquid timui, Dij boni! quantò melius fuit, quàm quòd concupivi. Quid efficacius in secessus commendationem vel à Catholico dici potuisset?

Caput III.

De Mediis quibusdam ad Exercitia fructuosè faciendâ condu-centibus.

Duplicis generis media plerumque ad finem aliquem obtinendũ præscribuntur, positiva scilicet, & negativ. Priora sunt qualitates aliquæ vel actiones positivè conducentes ad finem præfixum acquirendum; posteriora sunt negationes aliquæ vel privationes, per quas obstacula effectũ impedientia removentur, unde & *removens prohibens* vocantur. Utraque autem hæc media ad Exercitia fructuosè peragenda, si non omnino necessaria, certè vel maximè utilia jure merito censeri, ideóque singulari cum diligentia adhiberi debent. Qualia autem illa sint, distinctis paragraphis explicabitur.

§. I.

Quæ media positiva adhibenda sint ad Exercitia fructuosè peragenda.

I. Primum inter hæc media locum meritò obtinet *ardens desiderium* magno cum fructu & alacritate ea peragendi; cùm enim experientiâ quotidianâ constet, quantò ar-

dentiùs quisque alicujus rei desiderium concepit, tantò m
jorem quoque conatum, diligentiámque adhiberi in me
ad illam rem assequendam conducentibus usurpandis, m
ritò sperari potest, eum quoque, qui ardens desiderium e
cepit fructus ex Exercitiis reportari soliti, ipsa quoque Ex
citia velut medium aptissimum & efficacissimum ad ill
fructum obtinendum magna cum alacritate & sedulit
peracturum. Id quod rectè etiam in Directione Exerci
rum c. 2. n. 1. sequentibus verbis suadetur: *Qui ad Exer
tia agenda aggreditur, primò eniti debet ut intelli
quanta res sit, quam aggreditur, nempe quæ non solùm a
nimam pertineat, sed ita pertineat, ut si modò ea diligen
præstet, quæ debet, facturus sit fundamenta sui spiritu
profectus, quæ deinde totâ ejus vitâ usui futura sunt.
quo intelligat, quantam, alacritatem, & diligentiam
fortitudinem etiam ad tantum opus, tantúmque negoti
afferre debeat. Itaque statuat ipse secum viriliter ag
& omnia impedimenta divinæ gratiæ reijcere, & omne
nimi sui vires intendere, ut hinc gratiæ cooperetur, & su
eam recipiendam, quàm poterit, optimè disponet.* Un
meritò talis Exercitans Exercitia auspicaturus Salubre S. Pa
li 2. Cor. 9. consilium præ oculis habere debet: *Vnusquis
que prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut nec
sitate; hilarem enim datorem diligit DEVS.*

II. Secundum medium est *seria & humilis divinæ gra
tiæ imploratio*; Sic enim ipse Christus exemplo docuit, q
antè, quàm in solitudinem secederet, Exercitiis Spiritua
lus vacaturus, priùs Spiritum Sanctum super se descende
tem accipere voluit, ut omnes, qui simili modo & fine
solitudinem secessuri essent, meminissent, non citiùs tam
momenti negotium inchoandum esse, quàm Spiritus Sanc
gratia à DEO postulata, & imperata fuerit. Hinc ipse Lu
11. hortatur: *Petite* (Spiritum Sanctum) *& dabitur vob
Si* enim *vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare Filiis ve
stris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum b
num petentibus se?*

III. Tertium medium est, *certorum Patronorum pr
hoc negotio Electio*, eorum maximè, qui singularem ad hu
Exercitia affectum & inclinationem ostenderunt, quale
sun

sunt B. Virgo, S. Josephus, S. Ignatius Confessor, & similes; cùm enim ex una parte, teste S. Bonaventura de sex alis, *instabilis sit bonorum operum Structura, quæ devotâ orationis frequentia non compaginatur*; ex altera verò parte experientiâ propriâ quisque cognoscat, imperfectam valde, atque adeò ad impetranda dona cœlestia parùm efficacem existere, meritò illorum Sanctorum patrocinium imploratur, qui quia gratissimi & dilectissimi DEO existimantur, efficaciùs *possunt* ejusmodi gratias impetrare; & quia ob singularem erga Exercitia, quæ sibi & alijs tam utilia fuisse experti sunt, affectum, eorundem fructum à quam plurimis participari desiderant, etiam libenter *Volunt* easdem à DEO pro nobis postulare; ut adeò, quod nostris meritis & precibus non valemus, multiplicatis Intercessoribus DEUS largiatur.

IV. Quartum medium est *pura Intentio, & certi finis præstitutio*; ut enim, qui Sagittam in incertum jacit, rarò, & non nisi temerè metam tangit; ita qui certum finem, quem in Meditationibus, alijsque exercitijs spiritualibus ob oculos semper habeat, non præfigit, non facilè optatum fructum consequentur. Qualis autem potissimùm finis præfigi debeat, bene Directorium Exercitiorum sequentibus verbis indicavit: *Ita animo constitutus esse debet* (qui Exercitia aggreditur) *ut libenter & avidè Exercitia hæc aggrediatur, non tam ut Spirituali dulcedine fruatur, quam ut DEI voluntatem de se intelligat, suúmque affectum à terrenis omnibus avellat, & eum in suo Creatore collocet.* Unde

V. Quintum, idque valde necessarium medium est *plenissima in omne DEI beneplacitum resignatio & indifferentia*, ita, ut, quidquid faciendum esse cognoverit, seriò exequi decernat; nec ullam secum deliberationem afferat, à quâ dimoveri nolit; sic enim efficeret, ut, sicut ipse terminum divinæ dispositioni ponere non erubuit, ita DEUS quoque minùs liberalem in cælestibus suis donis communicandis se exhibeat, & nec eum quidem, quem quisque proprio arbitrio elegit, statum aut Officium prosperè administrari sinat. Quàm sanè doctrinam plùs, quàm prima fronte apparet, necessariam, jam olim S. Ignatius annot. 5. ex. 20. Sequentibus valde efficacibus verbis inculcavit: *Mirum in*

modum juvatur is, qui suscipit Exercitia, si magno animo & liberali accedens, totum studium & arbitrium suum offerat suo Creatori, ut ille de se, suisque omnibus id statuat in quo potissimùm ipsi servire possit juxta ejusdem beneplacitum.

VI. Sextum medium est, *Ordinata actionum* in Exercitiis peragendarum *distributio*; per hanc quippe cùm animus certis & ordine dispositis actionibus alligetur, cavetur inprimis, ne passiones eundem velut cœcum abripiant, hinc que facilius quieta cordis compositio, recollectióque mentis neatur. Deinde verò fastidium, quod non rarò obrepere solet ijs, qui similem actionum suarum Ordinem ac divisionem negligunt, obrepere vitatur, dum sua cuique functioni actio succedens, nec longiùs, quàm oportet protracta, hinc eundam varietatem inducit, sicque efficit, ut majori cum alacritate, delectationéque præscripta singulis horis Exercitia assumantur. Quomodo autem ejusmodi divisio fieri debeat, paragrapho tertio in practico paradigmate ostendetur.

VII. Septimum medium est *accurata* in industriis, quæ ad singula Exercitia fructuosè obeunda à S. Ignatio in libello Exercitiorum, & ab alijs Magistris spiritualibus præscribuntur, *observatio*; Si enim S. David, uti l. 1. Paralip. 29. refertur, templum DEO ædificare volens dixit: *Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus DEI meæ neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO*; quantò magis Exercitans seipsum reformaturus, & in templum spirituale DEO dedicandum mutaturus, omnes impetus præparare totis viribus, id est, omnes industrias & conatus in peragendis functionibus spiritualibus accuratissimè adhibere debet. Ita sanè suos Societas in prima regula communium hortatur dum ait: *singuli præfinitum sibi tempus cum scientia bis examinandæ, meditationi, orationi, Lectioni que impendant cum omni diligentia in Domino.* Non ignora videlicet Saluberrimi & certissimi axiomatis à Cæsario hom. 3. ad Monachos prolati, dum dixit: *Quantùm nos addiderimus ad studium, tantùm DEVS addet ad adjutorium: & quantùm nos apposuerimus ad diligentiam, tantùm ille addet ad gloriam.* Quæ doctrina adeò certa S. Thomæ Aquinati est visa, ut eam infallibilem dicere non dubitav-

taverit, sic enim loquitur: *Quando homo facit, quod in se est, DEO movente liberum arbitrium, tunc præparatio hominis ad gratiam habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à DEO, non quidem necessitatem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio deficere non potest.* Id quod suo calculo quoque S. David dilucidè confirmavit, dum Ps. 10. dixit: *Desiderium pauperum exaudivit DEVS: præparationem cordis eorum, audivit auris tua.* Indicare videlicet volens exauditam quidem esse orationem Pauperum ob bonitatem suam, sed hujus bonitatis causam potissimam fuisse præparationem, quâ sese ad orationem ritè & fructuosè peragendam præparârant. Ita sanè B. Aloysius præter alios multos est expertus, qui, quia omnem in oratione peragenda diligentiam adhibebat, dicere solitus, animum non præparatum tam parùm posse divinam similitudinem in se recipere, quàm parùm aqua turbida humanam faciem repræsentare potest, tantam in orando ac meditando gratiam ac facilitatem est assecutus, ut, quemadmodum Author vitæ l. 2. c. 3. refert, nihil ei facilius fuerit, quàm mentem cum DEO conjunctam habere, tantùmque is difficultatis senserit in cogitationibus à DEO avellendis, quantùm alij in mente DEO unienda. Hinc in ratione conscientiæ reddenda fassus est, si omnes distractiones, quas per semestre passus est, etiam contra voluntatem, in unum cumulum colligerentur, vix mediæ horæ spatium eadem æquaturas. Meritò ergo quivis Exercitia sua spiritualia aggressurus sibi applicat, dictúmque putat id, quod Concionatoribus non bene ad Concionem sese præparantibus dicitur: *Qui ascendit cathredram* (& ad Orationem se accingit) *sine labore, descendit sine honore:* utpote exiguum aut nullum fructum reportaturus; nam, ut jam olim Antiqui Patres persuasissimum habebant, *quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus debemus præparare; ex præcedenti enim statu mens atque animus in orationem formatur.*

VIII. Octavum medium est *Solitudo* seu Separatio ab omnibus hominibus, exceptis ijs, cum quibus necessariò est agendum, quales sunt Director, Minister, & similes. Ita enim iterum exemplo suo præclarè Servator docuit, dum orationi longiùs vacaturus in Eremum secessit, ut, quò remo-

tior foret ab hominibus, tantò faciliùs, liberiúsque cum terno suo Patre agere, & colloqui posset, animúmque ma collectum retineret; nam, ut bene pius Asceta l. 1. de in Christi c. 20. dixit: *Qui se abstrahit à notis & amicis, propinquabit illi DEVS cum Angelis sanctis.* Hinc ulte hortatur: *Claude super te ostium tuum, & voca ad te SVM, dilectum tuum. Mane cum eo in cella, quia non venies alibi tantam pacem.* Quam ipsam ob causam cu S. Ignatius annot. 20. suadet Exercitanti, ut ab ædibus p stinis migret in domum, cellámve aliquam secretior unde ipsi liberum sit egredi ad matutinum, Sacrum Mi vel ad Vesperarum Officium, cùm libuerit, audiendum que familiari cujusquam interpellatione; addítque, ra majorem ipsum facturum vitæ spiritualis progressum, qu tò magis ab Amicis, notísque omnibus, & ab omni re humanarum sollicitudine sese abduxerit.

IX. Nonum denique & postremum medium est *Ca gatio* aliqua corporis voluntariè susceptа, sive per cibi & tûs, somníque superflui subtractionem, sive per cilicior & flagellorum moderatum & prudentem usum; sic enim DEVM magis sibi placabit, variásque ab eo gratias facil impetrabit, & seipsum vincere discet, inferiorem sui parte quæ sensualitas appellatur, Superiori, hoc est, rationi mag subjiciens, uti S. Ignatius in additione decima advertit. hinc nempe ipse Christus, dum in solitudine vixit, jejun & humicubatione, aliísque modis corpus castigavit, ut suo exemplo doceret, quàm grata DEO sit hæc voluntar carnis castigatio ac subjectio, quámque aptè societur ora tioni, ut hæc tantò efficaciùs pœnetret cœlos, nec recedat donec audiat altissimus.

§. II.

Quæ media negativa adhibenda sint ad Exerci tia fructuosè obeunda.

I. Per media hæc negativa nihil aliud hoc loco, ut ja prà dictum est, intelligitur, quàm impedimentorum, qu fructum Exercitiorum impedire solent, efficax remotio; qu rum quidem impedimentorum etsi quamplurima enumera posset

possent, ad quatuor tamen species à S. Bernardo rectè revocantur, videlicet ad culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, & tribulationem cruciantem; quæ proinde quomodo efficaciter removeri possint, ac debeant, paulò fusiùs nunc ostendendum est.

II. Primum itaque impedimentum *Culpa mordens*, id est, omne peccatum, maximè paulò gravius, per pœnitentiam necdum deletum dicitur, quod proinde ante ingressum Exercitiorum per seriam confessionem, aut saltem intensam contritionem tantò studiosiùs removendum est, quantò certiùs est, per ejusmodi peccatum fiduciam hominis ad DEVM impediri, atque adeò potissimum Exercitiorum fructum auferri; ut enim inter illos Amicos, quorum alteruter injustè offensum se arbitratur, nunquam vera fiducia & amicitia subsistere potest, ita nec intet DEVM & Hominem vera familiaritas & communicatio mutua intercedere potest, quamdiu Homo DEVM sibi per peccatum offensum & minùs faventem agnoscit, cùm semper memoriæ obversetur illud Evangelici cæci curati effatum: *Scimus, quia Peccatores DEVS non audit, sed si quis DEI cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Jo. 9. Hinc dilectus Christo discipulus hujus veritatis perquam gnarus c. 4. primæ suæ Epistolæ tam sollicitè monet: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Et hoc forsan est, quod Christus per Baptismum S. Joannis, antè, quàm in solitudinem secederet, susceptum indicare voluit, non quòd ipse peccatis obnoxius fuerit, & baptismo indiguerit, sed ut exemplo suo nos doceret, non citiùs ad familiare cum DEO colloquium accedendum esse, quàm per pœnitentiæ baptismum omnia, quæ DEVM offensum habere meruerunt, peccata fuissent deleta.

III. Secundum impedimentum *Cura pungens* à Sancto Bernardo vocatum (per quam nihil aliud, quàm nimia de officiis & negotiis sollicitudo intelligitur) meritò non postremum inter Exercitiorum impedimenta locum obtinet; cùm enim ejusmodi curæ totum propemodum hominem ad se rapiant, hoc ipso ineptum efficiunt, ut animum, mentém-

que ſurſum ad DEVM elevet, cum eóque, ut par eſt, age colloquíque poſſit; id quod jam olim S. Paulus rectè adv terat dicens 1.Cor. 7. *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe; qui ſ uxore eſt* (idem ſentiendum de negotiis quotidianis) *ſol citus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO. Qui a tem cum uxore* (aut aliis negotiis implicatus) *eſt, ſollici eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori* (& negotia, ficiáve ſua adminiſtret) *& diviſus eſt.* Hinc meritò is, Exercitia fructuosè obire cupit, præclarum S. Bernardi emplum ſequi debet, qui in templum ad orationem ſeceden ante januam templi curis ſuis & negotiis dixit: *Manete & requieſcite, donec vadam illuc & orem, iterúmque ad redeam:* Nec timendum eſt, ne, dum negotia ejuſmodi pter DEVM ſeponuntur, ullum ex tali ſepoſitione damnu ſibi, aut Proximo ſequatur, ut enim Meſſores, dum falc acuunt, nihil de laboris ſui ſucceſſu perdunt, ſed potiùs ciunt, ut poſtea majori cum facilitate, celeritatéque eund laborem abſolvant; ita dum ad tempus curæ officiorum negotiorum intermittuntur, nihil detrimenti timendum, copioſior potiùs fructus, feliciórque eorundem ſucceſſus randus eſt, cùm, ut ſapienter nonnemo advertit, lucru quod propter virtutem deſpicitur, per virtutem meliùs re peretur. Hinc, ut alibi jam inſinuatum eſt, rectè S. Hier nymus epiſt. 114. ad Celant. ſcripſit, *non eò ſit hic receſſ ut retraharis à tuis* (negotiis & officiis) *imò id agimus, ibi diſcas, ibique mediteris, qualem tuis præbere te debea.*

IV. Tertium impedimentum eſt *affectio vigens*, i inordinatus erga rem quampiam creatam amor, qui quant pere fructum Exercitiorum impediat, pulchrè indicat pi Aſceta l. 3. c. 31. dum ait: *Niſi quis ab omnibus creatur fuerit expeditus, non poterit liberè intendere divinis. Ide enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci ſciun ſe à perituris & creaturis ad plenum ſequeſtrare. Eſt ma gnum impedimentũ, quia in ſignis & ſenſibilibus rebus ſta tur, & parùm de perfecta mortificatione habetur. Si eſſemu nobisipſis perfectè mortui, & interiùs minimè implicat tunc poſſemus etiam divina ſapere, & de cœleſti conſolation aliquid experiri.* Nimirum ut is, qui velum aut pulveren ſuper oculos habet, apertis etiam oculis videre nihil potel

ita qui interiorem mentis oculum inordinato quopiam affectu obscuratum habet, cœlestia contemplari non potest. Hinc rectè S. Ignatius in 16. annot. monet, quòd, ut Creator ipse, Dominúsque noster in creatura sua certiùs operetur, si accidat animam ad aliquid minùs rectum affici atque inclinari, summopere ac totis viribus nitendum sit in contrarium; & affectus ad oppositum impelli debeat per assiduas orationes & alia Exercitia pia, in quibus à Clementia DEI oppositum petatur.

V. Quartum & ultimum impedimentum est *Tribulatio crucians*, seu molestia quæcunque sive corporis, sive animi, qualis Exercitiorum tempore multiplex plerumque occurrere solet, ijs præcipuè, qui assueti non sunt ejusmodi sacris Meditationibus, quibus tum ipsa interdum solitudo, tum meditandi & orandi labor, tum collectionis contentio, tum ariditatis & desolationis præsentia; tum ipsius denique dœmonis à bono proposito abducere molientis impugnatio, non levem molestiam & fastidium creare, atque adeò non modicè etiam à felici Exercitiorum successu impedire solent; quæ proinde tribulationes diligenter priùs prævidendæ, animúsque contra illas generosa resolutione, firmissimóque decreto, quidquid in simili genere evenerit, forti & constanti animo tolerandi, & superandi muniendus est; *minùs enim*, teste S. Gregorio hom. 35. in Evang. *jacula feriunt, quæ prævidentur, & tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per præscientia clypeum munimur.* Itaque exemplum Abrahami sequi debet Exercitans, & sicut is ad montem Visionis ascensurus, ignem, lucem, & gladium secum tulit, ita & is, qui ad Exercitia hæc velut aptissimum locum Visionis DEI accedere cupit, ignem fervoris & desiderij, lucem & perspicaciam intellectûs, ac gladium denique generosæ fortitudinis & constantiæ secum portare debet, certò sibi persuadens, eum, qui perseveraverit usque in finem, & omnes difficultates fortiter superaverit, salvum futurum, id est, optatum Exercitiorum fructum reportaturum, & veritatem promissi, quod DEVS Apoc. 2. fecerat, experturum. *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum* (scilicet Viri secundùm cor DEI) *quod nemo novit* (quoad efficaciam suam) *nisi qui accipit.*

§. III. Qua-

§. III.

Qualis Ordo diurnus in Exercitiis ſit ſervandus.

I. Cùm non ſolùm in ipſis Exercitijs, ſed etiam extra illa valdè expediat, ut certum ſibi quiſque ordinem ad num per diem perficiendarum juxta conditionem ſui St conficiat, & accuratè obſervet, ideo proderit quoque mo ta, quæpiam generalia præmittere, quibus, quid circa Ordinem obſervandum ſit, indicetur; & tum primùm ad dinem in particulari aſſignandum procedere.

MEMBRUM I.

Monita generalia pro Ordine diurno conficiendo & obſervando.

I. Ut ſolidam circa hunc Ordinem Inſtructionem, lémque praxin quis acquirat, ſimilitudinem Horologii oculos ſemper habeat, atque adeò actiones quidem ſuas H rologio ſimiles, ſibi verò curam huius Horologii dirigen commiſſam eſſe exiſtimet.

II. Sicut itaque Carolus Quintus Civitatem quampia ingreſſus primum intuitum in univerſale Urbis Horolo um fixit, & ex eo bene vel malè directo, bene vel malè ord natam eſſe Rempublicam collegit, ita certò ſibi quiſque p ſuadeat, Animæ ſuæ Statum & profectum ex nullo iudi clariùs ac certiùs, quàm ex actionibus ſuis quotidianis o ordinatis & peractis intelligi poſſe. Hanc ſanè ob cauſa Aſcetæ unanimiter ſemper judicârunt, nihil æquè ad vitæ rectè inſtituendam conducere, quàm ut convenientem ſ quiſque functionum ſuarum Ordinem conſtituat, eúmq ſedulò & conſtanter obſervet, per hunc quippe caveri, ne p ſiones tanquam cœcum abripiant; & ne multæ temporis p ticulæ ignavo otio perdantur; è contrario verò magn cordis compunctionem & quietem (eò quòd certis ac ord natè diſpoſitis actionibus alligetur) parémque recollectio nis & Examinis quotidiani facilitatem induci, quæ omn non parùm utique juvant, ut non exigua de Ordine tali re

ma

matio concipiatur, nec minor in eo conficiendo, & obſervando induſtria adhibeatur.

III. Sicut Horologium in certas diviſum horas eſſe, ſuúmque indicem habere debet, qui horas ordinatè indicet; ita ſuas quoque quemvis actiones in certum Ordinem redigere, &, quid quovis tempore agere debeat, aut velit, accuratè perpendere, ac definire, memoriæque (quæ indicis vices obire debet) firmiter imprimere debere. Quâ tamen in re bene advertunt Aſcetæ, vix univerſalem modum & regulam aſſignari poſſe (maximè apud eos, qui nulli Religioni, modóque certo vivendi per Leges ſunt adſtricti) ſed quemvis ſibiipſi, naturam, & officium, aliáſque circumſtantias conſiderando, accommodatum ordinem conficere debere.

IV. Sicut horarum in Horologio diſtributio, totúſque Horologij curſus non arbitrio Directoris, aut Artificis, aut aliorum Hominum, ſed Solis curſui & directioni conformandus eſt, ita in actionibus quoque ſuis ritè ordinandis & peragendis non propriam cujuſque voluntatem & deſiderium, ſed ſolam DEI tanquam ſupremi finis voluntatem ac beneplacitum attendendum eſſe. Quid autem DEVS à nobis fieri velit, & quo modo, partim ex Superiorum mandatis, partim ex Officii ſuſcepti qualitate, partim ex rationis divino lumine illuſtratæ dictamine, partim ex Virorum Spiritualium atque Prudentum directione, aut etiam librorum lectione colligi debet.

V. Sicut, ut index Officio ſuo ritè fungatur, totúſque Horologij curſus ordinatè abſolvatur, neceſſe eſt, ut omnes rotulæ, partéſque interiores ſolitum motum teneant; ita ut actiones quotidianæ rectè perficiantur, omnes tam interiores, quàm exteriores animi potentias, viréſque applicandas eſſe, ut jure quis cum Davide dicere poſſit: *Totis viribus præparavi impenſas Domus Domini* (ſeu actiones meas quotidianas peregi) *non enim homini præparatur* (ſeu peragitur) *ſed DEO.*

VI. Sicut ut dictæ rotulæ, aliæque partes Horologij ſolitum motum perficiant, certa pondera, quæ illum motum producant, appendi debent; ita voluntatem quoque, aliáſque Potentias ad ritè, alacritérque operandum per pondus legitimæ intentionis, præcipuè amoris gemini erga Deum

&Pro-

& Proximum (juxta illud S. Augustini: *Amor meus, pro meum: hoc feror, quocunq; feror*) excitari & moveri debe

VI. Sicut Director Horologij, ut munere suo ritè fungatur, frequenter visitare Horologium, rotulásque, ac partes inungere solet; ita qui actiones suas ritè perficere pit, frequens & accuratum circa Ordinis diurni à se con observationem Examen instituere, &, si quidem poter suas tardiùs ad operandum moveri advertat, eas ardenti ditatione, aut alijs convenientibus medijs excitare, & inungere debet.

MEMBRUM II.

Monita specialia de Ordine diurno in Exercitijs observando.

I. Circa hunc Ordinem ante omnia monendum non posse Regulam universalem pro omnibus Exercitii cturis præscribi, cùm enim, ut S. P. Ignatius rectè in an 18. advertit, Exercitia juxta ejus, qui exercetur, habitu nem & capacitatem, necessitatémque accommodati, an adeò uni pauciores, alteri plures horæ ad meditandum p scribi debeant, hoc ipso etiam Ordo diurnus juxta numer Meditationum aliter & aliter confici debebit. Quia tam plerumque tres horæ Meditationi, & una Consideration signari solent, ideo huic numero potissimùm præsens O diurnus accommodabitur; ex hujus enim prælectione erit illi, qui pauciores Meditationes præscriptas habet, ficile, alium sibi accommodatum Ordinem conficere. Qu que hoc loco de numero Meditationum dictum est pari do de horis somno attribuendis sentiendum est; unde plures ejusmodi Exercitia obire soliti plerumque non a quintam Matutinam surgunt, secundùm horum quoque suetudinem horæ diurnæ dividentur; qui enim horâ qu aut citiùs surgere voluerit, facilè Meditationem primam nâ horâ anticipare, & reliquam horam superfluam aut l giori Lectioni spirituali, aut alicui corporali, & non m tùm distractivo aut laborioso operi impendere poterit.

II. Quintâ igitur horâ excitatus à somno is, qui ex cetur, memor sit salubris præcepti ab Ecclesiastico c. 32. ti, d

ti, dum ait: *Horâ surgendi ne te trices, præcurre autem prior in domum tuam.* Celeriter ergo se ex lecto proripiat, &, ubi vestibus se induerit, aliáque de more peregerit, ad visitandum, si commodè fieri poterit, Venerabile Sacramentum in templum se conferat, aut eminus certè veneretur, totiúsque diei cogitationes, verba, & opera cum purissima intentione ad Majestatis divinæ gloriam, próque sua & Proximorum salute offerat, aliásque consuetas preces matutinas piè & religiosè persolvat, certò sibi persuadens, ab hujus primi Operis felici successu totius diei devotionem pendere; ut sapienter P. Jacobus Alvarez in lib. de vita rectè instituenda advertit. Ad hoc autem faciliùs præstandum, fervorémque excitandum non parùm proderit sibi persuadere, perinde esse, dum à somno quis surgit, ac si eo ipso momento primùm creatus esset à DEO, ut eo saltem die ipsi debitum servitium præstaret, & amaret, ad hoc enim conceditur vita præsentis diei. O si beatus aliquis annihilaretur à DEO, & postea denuo crearetur cum pristinis dotibus, quàm rapidissimo impetu in ipso momento recreationis prorueret tota voluntate in pulchritudinem & amabilitatem DEI. Aut si damnato alicui hæc gratia fieret, ut resurgere, veniámque peccatorum olim commissorum per seriam pœnitentiam obtinere, cælúmque promereri posset, quàm incredibili fervore se DEO traderet, totámque vitam cum summa sanctitate, perfectionéque transigeret. Quidni ergo quivis homo simili cum fervore quemvis diem transigat, cùm planè per somni abruptionem simile resurrectionis beneficium acceperit, atque adeò similem fervoris causam habeat.

III. Mediâ Sextâ prima Meditatio instituetur, quæ quidem ut omnibus numeris absoluta sit, summopere laborandum est, cùm commodum illius non ad illam duntaxat horam, sed integrum diem se extendat, perinde ut modicum fermentum totam massam fermentat. Primò itaque ad illam diligentissimè se præparabit Exercitans, additionésque omnes à S. Ignatio & alijs Ascetis præscriptas observabit, memor axiomatis suprà citati, quo dicitur, DEVM tantùm adjecturum ad adjutorium, quantùm nos ad diligentiam apposuerimus. Deinde verò peractâ Meditatione Examen breviter instituet inquirendo 1. An & quâ occasione distractus fuerit.

fuerit. 2. An modum debitum in Meditatione adhibuer addicionésque obſervârit. 3. Quæ lumina ſpiritualia propoſita conceperit, & quomodo ea exequi velit. Poter autem hæc lumina breviter annotari, ut ſuo tempore u eſſe poſſint. Tum actis de felici ſucceſſu gratijs, aut elici de negligentijs dolore, & emendandi propoſito, poterit p ma & tertia hora ex Breviario vel Officio B. Virginis rec ri, & his finitis lectio capitis ex libello de imit. Chriſti a gnati ſubjungi.

IV. Horâ Septimâ Sacrum audiri vel legi poterit, qu ut debita cum reverentia ac devotione fiat, hoc unum p derâſſe ſufficit, quòd hoc Sacrificium omnia alia Sacrifi quocunque tempore oblata tum quoad dignitatem, t quoad valorem infinito intervallo excedat, atque adeò hoc juſtiùs dicatur, quàm olim Præco ante Sacrificium re rendum clamare ſolebat: *Hoc age.*

V. Finito ſacro lectioni ſpirituali vacabitur, in q curandum 1. Ut non multi Libri, ſed unus vel alter dum xat; nec temerè arreptus, ſed ſtudiosè ſelectus, & præſe Scopo accommodatus legatur. 2. Ut, quemadmodum pi Aſceta l. 1. de imit. c. 5. rectè monet, omnis ſcriptura ſac eo Spiritu, quo facta eſt, legatur, ſed & ipſa lectio humilit ſimpliciter, & fideliter peragatur.

VI. Mediâ Nonâ præparatio ad ſecundam Meditati nem per quadrantem circiter inſtituetur, eidémque m ipſa Meditatio per horam ſubjungetur, uti & reflexio ſup hanc conſueta, poſt quam ſexta & nona hora ex Officio div no aut B. V. recitabitur, & vel Examen conſcientiæ brevit ſubjicietur, vel lectio ſpiritualis ex pio libello, aut lumi bus annotatis peragetur.

VII. Poſt hæc prandium ſumetur; quod quidem ut p & fructuosè accipiatur, animúmque ad Exercitia relig dici peragenda juvet potiùs, quàm inhabilem efficiat, curan dum inprimis eſt, ut præmittatur benedictio, & gratiarum actio cum debita reverentia & devotione ſubjungatur. De inde ut modeſtia, decentia, & temperantia interiùs, exte riúſque ſervetur. Denique ut, dum corpus reficitur, etiam animæ ſua refectio tribuatur. Quæ omnia ut exactiùs ob ſerventur, non parùm proderit, Regulas ad victum rect

tempo

temperandum à S. Ignatio in libello Exercitiorum præscriptas ob oculos habere; quarum prima est, quòd à pane minùs abstinendum sit, quàm à reliquis alimentis, cùm neque gulam adeò irritet, nec tentationi æquè obnoxios nos reddat. Secunda, quòd circa potum attendenda sit magis abstinentia, quàm circa panem, cautè observando, quæ profit mensura potûs, ut sumatur semper; quæ rursum noceat, ut tollatur. Tertia, quòd circa pulmenta & edulia potissimùm abstinentiæ ratio versetur, cùm per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, major subministretur occasio. Temperanda sunt igitur vitandi excessus causâ, quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur, atque asuescimus, vel dum parcè delicatis utimur. Quarta est, quòd, quantò plùs de conveniente victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversæ gravi periculo) tantò celeriùs mensuram sibi & & potûs justam reperiet; tum quia hoc modo meliùs se disponens, & obnixiùs tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cogitationis internæ radios, & consolatorios motus sibi cælitus immissos, ex quibus facilè poterit rationem victûs commodiorem discernere: tum quoniam si quis ita abstinendo, se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quàm ut Exercitia spiritualia peragere commodè valeat, sic facilè advertet, quam mensuram victûs naturæ necessitas requirat. Quinta, quòd expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus JESUM Christum Dominum nostrum vescentem cum suis Discipulis, observando, quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, & loquendi modum, eundemque ad imitandum nobis proponendo. Usuveniet enim, ut intellectu magis occupato circa meditationem talem, quàm circa corporalem cibum, discamus faciliùs victum moderari. Sexta, quòd gratiâ varietatis aliæ adhiberi possunt Meditationes inter vescendum, ut sunt de Sanctorum vita, de pia quâpiam doctrina vel aliquo spirituali negotio agendo, unde sic abstracta mente, cibus ipse & vescendi delectatio parùm sentiatur. Septima, quòd cavendum sit præcipuè, ne super sumendos cibos animus quodammodo totus effundatur, &, ne avidè vescamur, aut festinè, sed appetitui semper dominantes, tum mensuram victûs, tum sumendi modum unà temperemus. Octava est,

quòd plurimùm conducit ad tollendam cibi potûsque i
moderantiam, si ante prandium aut cœnam, & quâcun
horâ nulla esuries sentitur, prævia deliberatione definit
mensuram certam, quam deinde nullâ vel propriâ avid
vel instigatione inimici, unquam excedamus, sed p
vincendæ utriusque causâ, de illa nonnihil etiam su
camus.

VIII. Post mensam recreatio quidem per manuale
citium, vel singulare cum uno, alteróve Socio colloqu
institui poterit, sed summopere cavendum, ne Spiritus
riori conversatione intepescat, sed potiùs juxta S. Ignat
nitum curetur, ut modestia & ædificatio appareat, tu
verbis, tum in ratione ac modo loquendi. Quem in
proderit DEVM in medio Colloquentium præsentem
imaginari, & illa Christi olim ad Discipulos in Emau
lata verba: *Quos sermones confertis invicem?* repetet
imaginari.

IX. Horâ duodecimâ Venerabile Sacramentum, si
cet, & commodè fieri queat, visitari poterit, eidémque
meridiana quoque opera cum purissima intentione &
ctione dedicari, petendo demissè gratiam & benedictio
ad eadem perinde, ac matutina fructuosè peragenda. Si
de vel parùm somno indulgeri, vel aliquid scribi, vel
quid non multùm occupans animum (cùm hoc tempu
seria negotia parùm idoneum sit) agi potest.

X. Horâ primâ Vesperæ cum Completorio rec
iisque finitis lectio spiritualis libri, maximè Historici V
alicujus Sancti, qui simili in Statu vivens, perfectam v
rum virtutum Vocationi convenientium ideam reli
subjungi usque ad secundam horam poterit; quâ auditâ C
siderâtio de præscripta materia ad inspectionem & refo
tionem Status potissimùm spectante tantò majori cum
ratione atque fervore instituetur, quantò copiosior ple
que fructus ex ejusmodi consideratione, quàm ex alijs
citijs reportari solet, ut alibi dictum est.

XI. Horâ tertiâ vel Manuale aliquod Exercitium
cipi, vel lectio spiritualis libri doctrinalis peragi, vel
quid ad reformationem Status pertinens annotari pot
aut etiam Rosarium, aliæve similes orationes vocales
cujusque devotione & arbitrio recitari. XII. H

XII. Horâ quartâ Matutinum cum Laudibus dici, & post solitam præparationem ad tertiam Meditationem, hæc ipsa Meditatio per horam subjungi potest; quâ finita post consuetam reflexionem, vel visitabitur iterum Venerabile Sacramentum, & gratiæ pro felici successu hujus diei agentur; vel aliquid ad solatium & ædificationem propriam utile legetur.

XIII. Post Sextam cœna sumetur, in qua eadem observare par est, quæ in prandio observanda suprà diximus, uti & in receptione, quæ ipsam etiam cœnam subsequetur, & usque ad horam octavam continuabitur.

XIV. Horâ octavâ Litaniæ vel de omnibus Sanctis, vel de B. Virgine dici poterunt, quibus brevis præparatio ad Meditationem sequentis diei, & post hanc Examen Conscientiæ subjungetur, quod quidem tantò majori fervore & diligentia faciendum erit, quantò major ex eo fructus meritò sperari potest; S. Ignatius certè eodem velut uno ex magis idoneis instrumentis ad perfectionem assiduò est usus; nec immeritò; Est quippe tale Examen, ut rectè advertit P. Joannes Nierenbergius in l. de adorat. officina, in qua timor DEI, compunctio, cognitio sui, humilitas, prudentia, & perseverantia excuditur. Sed & ad rationem olim DEO de actionibus nostris facilè reddendam, efficacissimum est remedium, cùm DEVS idipsum bis judicare non soleat, claréque per S. Paulum 1. Cor. 9. dixerit: *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Quis ergo nolit in hac vita seipsum Judicem eligere, & sustinere, quàm severissimo Superni & tremendi Judicis tribunali se judicandum committere?

XV. Finitâ sui discussione in lectum pro somno capiendo secedere licebit; qui ut cum bona intentione, solius scilicet beneplaciti divini, &, ut alacrior quisque ad solitos pro DEI gloria & salute Proximi labores redeat, suscipiatur, summopere conandum est, ut, sicut fœneratores etiam dormientes augent divitias suas, ita &, qui dormit, Exercitans meritum virtutum & gratiæ multiplicet. Et sanè si una ex parte perpendatur, quàm gravis molestia Homini DEVM amanti sit somnus, utpote non corporis duntaxat, sed animi etiam operationes impediens, atque adeò à DEI amore &

laude non modicè impediens, non leve meriti augmen
præmiúmque à DEO sperari poterit, si debita cum pati
atque in divinam voluntatem resignatione ejusmodi m
stia susciptatur. Hoc ergo salubri præsidio instructus lo
velut sepulchrum conscendat, &, quemadmodum S. I
tius in prima additione suadet, inter cogitationes pias
ximè de Meditatione prima sequentis diei, in Domin
dormiscat.

§. IV.

Modus facillimus meditandi paulò fusi proponitur.

I. Inter varios modos meditandi suprà, cùm de M
tatione ageretur, indicatos, is non immeritò facilli
dicio peritissimorum Ascetarum est judicatus, qui pe
tuor quæstiones instituitur, videlicet ut 1. quæratur,
est primum punctum præsentis Meditationis? 2. Q
hoc puncto considerandum est? 3. Quid utilitatis spi
lis ex eo hauriendum? 4. Quid super his cum DEO
ctis colloquendum? hic namque modus uti non ad sp
discussiones, sed ad profectum duntaxat in vitiorum fu
virtutum exercitio ordinatus est, ita à quovis etiam, lic
di & indocto, facilè capi & exerceri potest; unde ijs præ
qui in meditando parùm sunt exercitati, suaderi solet. I
go eundem fructuosè usurpare possint Exercitantes,
paulò uberiorem ejusdem explicationem à pio quo
bene exercitato Asceta traditam huc apponere.

Quæstio I.

Quod est punctum præsentis Meditationis?

Ad hanc quæstionem respondebit Exercitans propo
do sibi Materiam, quam pro puncto quovis considerand
sumpsit, eámque breviter historico modo vel alio re
& quasi sibiipsi narrabit, móxque circa illam utpotè à D
revelatam (si quidem talis sit) actum fidei, aliarúmque
tutum eliciet hoc vel simili modo: *O mi amantissime D
credo firmissimè te hanc nobis veritatem revelásse, at
tam pro hac, quàm pro omnibus à se revelatis doctrinis*

tus sum vitam & sanguinem cum tua gratia ponere; ac propterea te Dominum ac DEVM meum, summè bonum revereor, veneror, adoro, ac diligo, ideòque nunc denuo sanctissimum tuum beneplacitum sollicitè indagabo, & constanter adimplere conabor. Adauge, mi DEVS, fidem istam in me; da mihi intellectum, ut discam mandata tua, & compleam illa.

O SS. Virgo MARIA, O Sanctissime mi Custos Angele, O S. P. Ignati, O N. N. & vos reliqui SS. Patroni mei, orate, quaeso, pro me, & felicem Meditationis hujus successum mihi impetrate.

Quæstio II.

Quid circa hoc punctum considerandum.

I. Ad hanc quæstionem resolvendam considerandæ sunt Personæ, verba, actiones, circumstantiæ.

II. In Personis considerari potest ætas, dignitas, forma, sexus, robur, firmitas, educatio, nobilitas, modestia, reverentia.

III. In *Verbis* considerandum est, à quo dicantur, ad quem, quo fine, quâ occasione; quid velint, an aliquid præcipiant, prohibeant, commendent, reprehendant, petant, permittant. Considerari etiam possunt singulæ voces, & earum energia &c. Si non adsint verba, tum vel perpendi potest, quid probabiliter tales Personæ dicere potuerint; vel certè ipsum silentium cum indicatis circumstantiis considerari potest.

IV. In *Actionibus* natura earundem secundùm se, an scilicet bona vel mala, virtuosa, vel vitiosa sit, considerandа est. Deinde verò ejus qualitas accidentalis ex circumstantiis indaganda est.

V. In *Circumstantiis* considerandus inprimis est *Locus*, in quo peracta est actio; an scilicet domi vel foris, in templo, campo, monte, clam, in oculis hominum, loco nobili vel ignobili sit facta. Deinde *Tempus*, videlicet in qua ætate, parte anni, die vel hora, luce vel tenebris, festo aut profesto sit exercita. Postea *Modus* perpendendus est, an sponte vel coactè; an hilariter, vel cum tristitia; an celeriter, vel tardè;

an solitariè vel cum alijs; an præsente consolatione vel
solatione; quo affectu; quibus adjumentis aut impedi
tis &c. Post modum finalis *Causa* indagari poterit; e
nempe motivo talis actio peracta sit, an ad DEI glori
honorem, aut propriam salutem & felicitatem procura
aut satisfactionem pro peccatis præstandam, aut varia
sibi, aliisque impetranda; aut ad bonum exemplum p
mo præbendum. Denique *effectus* etiam inde confe
considerari potest; quàm magnum scilicet meritum sib
alijs, quàm magnam perfectionem, gloriam, honore
vorem apud DEVM & homines; aut certè his contrariat
parârit is, qui talem actionem peregit.

VI. De quibus tamen omnibus quatuor materiis notant Ascetæ, non esse opus, ut omnes semper tam ex
tè examinentur, sed sæpe sufficere, si una vel altera,
materia ipsa dictat, vel prout citiùs vel tardiùs docum
elucet, vel affectus consurgit, perpendatur. Unde su
dum est, ut in præpatatione quasi prælibetur, quænam
cumstantiæ utiliter perpendi, aut quæ doctrinæ erui po

Quæstio III.

Quid utilitatis spiritualis ex hac consideratio hauriendum.

I. Hæc utilitas generatim ad duo capita revocari p
videlicet ad *Affectus* varios pióque eliciendos, & ad
tationis propositum, studiúmque procurandum, sine qu
steriore fructu prior non magni æstimandus est, cùm
DEI, qui in ejusmodi Meditationibus velut postremus
quæritur, in operibus potiùs, quàm suavibus affectibus
sistat.

II. Inter Affectus itaque primum sibi locum vend
Fides, quæ ex suprema veracitate DEI, & tam multis mi
lis ad veritatem articulorum & mysteriorum Fidei dem
strandam patratis oritur. Deinde *Spes*, quæ tum ma
concipitur juxta S. Bernardum, *si charitas adoptionis*, v
tas promissionis, *potestas redditionis* bene perpendatur. T
Amor, ad quem summa inprimis Bonitas, seu bonorum
mnium Collectio in DEO velut fonte puriùs, recenti
ab

abundantiùs reperta; dein etiam præveniens amor tot beneficiis demonstratus, & confirmatus maximè alliciunt; ex hujus quippe motivi consideratione erumpit anima in illa S. Bernardi verba: *Amat charitas, amat immensitas, & nos vicem rependimus cum mensura?* Amori propinquus est *Congratulationis* & *Congaudij* affectus, cùm enim amans amatum ut alterum se consideret, & amet, hoc ipso etiam de ipsius bonis perinde ut suis gaudet, atque adeò ex animo etiam gratulatur. Sed & *Admirationis* affectus, & *Laudis* plerumque cum Amore conjuncti sunt, quorum prior ex consideratione perfectionum, & operum ab Amato patratorum copiâ & præstantiâ exurgit, posterior verò ex æstimatione eorundem oritur; quemadmodum & *Reverentia*, quæ à considerata dignitate & Authoritate Personæ gignitur: & *Adorationis* affectus, quem sive latens divinitas, sive supernaturalis eminentia considerata generat. Quia verò variæ calamitates interdum contingere possunt illi, qui amatur, ideo *Condolentiæ* & *Compassionis*, ut vocant, affectus excitatur, & quidem tantò vehementiùs, quantò clariùs cognoscit amás, so miseriarum tantarum causam sive peccatis suis, sive alia quacunque ratione extitisse.

III. Et hi quidem præcipui *Prosecutionis* sunt affectus; non minorem tamen vim ac efficaciam ad movendam voluntatem habere censentur affectus *Fugæ*, quales præcipuè sunt *Timor* ex consideratione divinæ Justitiæ, ejúsque rigore tot exemplis in Angelis & Hominibus, quin & ipso in DEI Filio demonstrato ortus: *Odium & detestatio* ex tot malorum, quæ per peccatum tam corpori, quàm animæ creari solent, cognitione concepta; *Contritio* ab amore purissimo DEI generari solita: *Fuga* seu *aversio* à peccato ex præcedentibus affectibus connaturaliter sequens, cùm ipsa natura impellat, ut id, ex quo grandia mala nobis exorta fuisse intelligimus, toto virium conatu fugiamus. *Tristitia*, quæ ex præsentis mali, sive sibi ipsi, sive alteri dilectæ Personæ obvenientis gravitate perspecta oritur, & meritò laudabilis est, si ex bono motivo oriatur; nam, uti S. Paulus 2. Cor. 7. rectè pronuntiavit, *quæ secundùm DEVM tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*

IV. Alterum caput hujus responsionis, *Imitationem*

videlicet, quod attinet, consistit illa in firmo proposito C
stum aut Sanctos in aliqua virtute exercenda, vel vitio fu
endo imitandi: quem in finem oportet inprimis Doctrin
aliquam ex Punctorum, circa quæ Meditatio occupatur, e
cussione eruere: deinde motivum ad illam servandam e
tans considerare, nempe necessitatem, utilitatem, jucundi
tem, dignitatem, & æquitatem. In necessitate quidem p
pendendo, quòd eam doctrinam præcipiat DEUS, Reg
lumen naturale; quódque sine ejus observatione gravis
mala corporis & animæ incurrantur; è contrario veru
vel illud bonum absque talis doctrinæ executione obti
non queat. In utilitate considerari possunt commoda, q
ex observatione ejusmodi sive corpori, sive animo, sive
bis ipsis, sive aliis etiam, puta DEO, Sanctis, defunctis
ventibus, Amicis, Subditisve sequuntur tum in tempor
bus, tum spiritualibus bonis. In jucunditate perpendi po
delectatio, quæ tum sibi, tum aliis iterum ex tali doctr
observata, non modò in hac, sed altera etiam vita sequetu
In dignitate considerari potest, quòd tam DEVS & San
quàm Homines in terris existentes magni æstimaturi, lau
turi, & honoraturi sint illum, qui talem doctrinam obser
In æquitate denique perpendi potest, quòd talis doctrina
servationem suadeat lumen naturale: exigant beneficia
cepta vel sperata: ipsi Gentiles suo exemplo docuerint: m
ti alij etiam ex Christianis minoribus longè motivis incit
ti, aut paucioribus auxilijs, mediisve instructi practica
rint.

V. His peractis doctrina hæc alijs applicatur, & q
modo eam practicârint, quósque fructus inde consecuti fu
perpenditur; unde denique reflexio ad seipsum instituitur,
quâ ratione similem doctrinam hactenus observârit, aut d
inceps tot motivis incitantibus observare velit, dispicitur
múlque media, quæ ad illius faciliorem observationem p
cæteris efficacia esse videntur, inquiruntur, propositúmq
firmum concipitur, eadem deinceps studiosè adhibendi.

VI. Ex quibus omnibus facilè nunc colligitur, perm
lem esse eorum in meditando praxin, qui similem doctrina
aut virtutem pro Scopo Meditationis habentes, totam seu
Meditationem in tria puncta dividunt. Et in primo quide

in quo consistat talis virtus vel doctrina, & quomodo à Christo, & Sanctis, quà verbo, quà exemplo docta & commendata sit, considerant. In secundo rationes & motiva, ob quæ tanto studio & fervore talem virtutem aut doctrinam exercuerint, & ipsi quoque (nempe ij, qui meditantur) meritò eam exercere debeant, perpendunt. In tertio varia media inquirunt, quibus perfectionem talis virtutis assequi valeant, prout paulò antè dictum est. Qui quidem modus præsertim in Festis Sanctorum utiliter adhiberi, & ad varias eorum virtutes, atque earundem imitationem applicari potest.

Quæstio IV.

Quid super his cum DEO & Sanctis loquendum.

I. Victâ voluntatis repugnantiâ, mens cum profunda humilitate ad Sanctos, B. Virginem, Christum, vel DEVM Patrem, prout affectus vel devotio, ac mysterij materia suggerit, erigitur, petendo veniam negligentiæ, auxilium, & gratiam uberem pro propositorum executione, intermixtis varijs affectibus, de quibus in priori quæstione actum est. Quòd si in tertia quæstione voluntas per proposita motiva sufficienter adhuc mota non foret, nihilominus ad Colloquium progressus fieri posset, in quo coram DEO se humilier, duritiem suam deploret, & acriter se objurget; sed & magis per affectus instet, uberiúsque lumen ad commovendam efficaciter voluntatem petat.

II. Ut verò similium Colloquiorum formula aliqua habeatur, placet unum brevius, & alterum paulò longius subjicere, non quòd ejusmodi colloquia ijsdem verbis, aut affectus in eo contenti eodem ordine sint usurpandi, sed ut appareat, quinam præcipuè affectus, & quomodo sint eliciendi. Exemplum itaque ponamus in Sancto aliquo, v. g. S. Francisco Seraphico, qui humilitatis virtute singulariter excelluit, quem proinde in hac virtute omni studio imitari decreverit Exercitans. Hoc posito sic primum Colloquium ad hunc Sanctum institui posset. *O Sanctissime & Seraphice Pater Francisce, qui omnis quidem virtutis sed humilitatis præcipuè tam præclara specimina & exemplа reliquisti, per*

eámque tam sublimem Sanctitatis ac Gloriæ gradum ... nuisti, gratulor tibi de hac gloria & humilitate ex toto ... de meo, optóque, ut & ego, & omnes Homines non verbo ... taxat, sed ipso etiam opere tibi gratulari, atque adeò in ... fundissima Humilitate quàm proximè, perfectissimè ... tari te valeamus. (En affectus gratulationis) Certè ... negligenter adeò idipsum ego hactenus præstiterim, & ... hanc negligentiam DEVM meum super omnia dilectum, ... Te tantopere offenderim, erubesco, & doleo ex corde (en ... ctus contritionis) & propterea per amorem ejusdem ... mei, & gloriosam humilitatem tuam supplex oro te, & ... stor, ut & veniam negligentiæ talis ipsemet benignè ... das, & eandem etiam à clementissimo Domino & DEO ... efficaciter impetrare digneris, (en actus obsecrationis) ... cum efficaci gratia, quâ vel deinceps hanc negligentiam ... rio emendare, & in omni quidem virtute, sed humili ... præcipuè quàm perfectissimè imitari te possim; id sanc ... ardentissimè desidero (en affectus desiderij) ita vel ex ... momento præstare firmiter propono. (en actus propositi) ... enim nihil me esse, nihil scire, nihil posse confiteor, & ... sco, ideóque non solùm omni contemptu & confusione dig ... simum censeo, verùm etiam ab aliis contemni & deprim ... denter desidero (en actus humilitatis) atque utinam ... re possem, ut idem mecum omnes homines, præcipuè Sup ... sentirent, sicq; per tam ardens humilitatis studium & ex ... citium DEVM meum & te perfectissimo modo glorifica ... Eum certè in finem & suppliciter rogo, ut illis perinde ... mihi verum Humilitatis Spiritum impetrare digneris ... & nos tecum veram animabus nostris quietem in hac & ... tera vita invenire, & (sicut nos tecum humiliare stud ... mus, ita exaltari quoque tecum mereamur, Deúmque ... omnibus beneficiis tibi & nobis collatis æternùm glorifica ... & benedicere valeamus. Amen. (En Zeli & charitatis ... ternæ actus) Brevius tale colloquium hoc modo inst ... posset: O quàm gratulor tibi, ô Seraphice Pater, tam ... fundam humilitatem. O quàm amplas tibi gratias debeo ... verò etiam ago pro tam præclaris hac in virtute exemplis ... lictis! O utinam te in eadem perfectissimè imitari, atq ... ad idem faciendum omnes homines incitare possem! O qu ... ad

doleo & erubesco, quòd tam negligenter hactenus id præstiterim ! O Sanctissime Pater, vel hac vice etiamnum veniam Superbiæ nostræ, mihi, aliisque tam viventibus, quàm defunctis impetra, gratiámque, ut vel deinceps nos viventes hanc Virtutem perfectè addiscere, & exercere, sicque DEVM vobiscum magis glorificare possimus. Amen.

III. Quòd si verò lubeat ad Christum vel ipsum Patrem æternum in fine Meditationis longius colloquium (uti omnino suadendum est) instituere, id hâc ratione fieri posset.

O Amantissime Servator mi, JESU Christe, DEUS meus & omnia, gratulor tibi ex toto corde meo de omni perfectione & gloria tua, præcipuè ea, quæ tibi per Sanctum Ignatium (aut alium Sanctum) hactenus obtingit aut deinceps etiam obtinget, optóque unicè, ut hæc ipsa gloria tua Majora in dies incrementa accipiat, idque ipse etiam pro viribus procurare conabor.

Gratias dein tibi ampliſſimas ago pro omnibus inprimis beneficiis, gratiis & favoribus Sanctissimæ tuæ Humanitati, & Matri beatissimæ, omnibúsque aliis Sanctis, præcipuè S. Ignatio, & mihi denique indigno, aliísque tam defunctis, quàm viventibus tam liberaliter hucusque exhibitis, optóq; iterum ex animo, ut non verbis duntaxat, sed ipso etiam opere gratum exhibere me possim.

Eum certè in finem summa cum demissione, gratitudinéque offero divinæ Majestati tuæ omnia merita SS. Vitæ, Passionis, & Mortis tuæ omniúmque Sanctorum tuorum, præcipuè S. Ignatij, rogóque suppliciter, ut hæc omnia tum in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis mihi aliísque Hominibus exhibitis suscipere digneris, tum in satisfactionem pro infinitis peccatis meis, de quibus sanè omnibus uti vehementer doleo, eò quòd ijsdem te DEUM & Servatorem summè bonum & amabilem tantopere offenderim, ita tam intensum dolorem elicere desidero, quàm ullus Homo unquam elicuit, aut deinceps eliciet, & pro-

propterea non meipsum solùm ex animo despicio, sed ab aliis etiam despici dignissimum iudico, atque ut ipsum ab omnibus Hominibus fiat, ardenter exopto.

Quia tamen hic ipse dolor & contemptus exiguus nimis est, ideo in compensationem offero divinæ Majestati tuæ omnem dolorem, quem ullus unquam Sanctorum præcipuè S. Ignatius, de peccatis suis elicuit, rogóque, vel hoc placatus, & veniam culparum mearum omnium benignè concedas; & pœnam iisdem debitam clementer remittas, & omnes eum in finem indulgentias, quas lucrari possum, & conatus fuero, liberaliter largiare, quemadmodum & ego vicissim amore tui ignosco omnibus, qui me unquâ quacunque ratione offenderunt, precorque illis eandem gratiam, quam mihi exopto.

De reliquo firmissimè statuo, vitam meam sincerè emendare, tuóque Sanctissimo beneplacito penitus conformare, ideóque vel nunc denuò renuntio omnibus peccatis & occasionibus peccandi, voveóque (Si Religiosus es) paupertatem, castitatem & Obedientiam, cæteraque vota minora (si quæ præterea habet) cum sinceriss affectu offero.

Protestor quoque me te Dominum ac DEUM meum toto corde dilecturum, atque adeò omnes cogitationes verba, & opera singulari cum diligentia peracturum. Eum certè in finem vel nunc ea cum purissima amoris intentione ad tuum beneplacitum dirigo, & omnem quidem de ijs laudem, & gloriam tibi, cui soli debetur, promptissimè transcribo, omni juri, quod mihi ad meritum debetur, ex eodem amoris motivo ultro cedo, fructum verò impetratorium, & satisfactorium omnem animabus purgantibus, & ijs maximè, quarum redemptio ad majus tuum beneplacitum & gloriam cedit, eâ conditione transcribo, ut à pœnis suis liberatæ te Dominum nostrum per

festum

fectiùs laudent, & pro beneficiis sibi & mihi exhibitis gratias digniùs persolvant, & pro me denique ac Peccatoribus, aliísque mihi specialiter commendatis efficaciter intercedant, gratiámque impetrent, quâ vocationi nostræ perfectè satisfacere, vitámque nostram felici clausula terminare valeamus.

Ego certè, uti spem meam, fiduciámque totam in meritis tuis & auxiliis positam habeo, ita per eadem tua & Sanctorum tuorum merita supplex rogo, ut inprimis tuum & Sanctorum tuorum, præcipuè S. Ignatij honorem & gloriam magis ac magis in dies promovere digneris, deinde verò omnes tam viventes, quàm defunctos in SS. tua vulnera recipias, & defunctis quidem omnibus requiem & indulgentiam largiaris, vivis verò & mihi gratiam efficacem largiaris, quâ Sanctissimũ beneplacitum tuum veraciter agnoscere, & perfectè adimplere valeamus, cui proinde me & mea omnia tam quoad vitam, quàm quoad mortem quocunque loco, modo, & tempore obeundam plenissimè resigno, id unum suppliciter rogans, ut quoniam ex me nihil sum, scio, & possum, tu sicut velle misericorditer concessisti, ita perficere quoque misericorditer largiaris; ex te enim sunt omnia, DEUS meus & omnia.

PARS II.

PRACTICA EXEMPLA MEDITATIONUM PRO OCTIDUANO SECESSU A SACERDOTIBUS INSTITUENDO COMPLECTENS.

QUod olim Seneca de Exemplis in genere dix quod videlicet Longum iter sit ad virtutem bonos mores persuadendos per sermon breve verò & efficax per Exempla; id meritò præsentem etiam materiam applicari potest. N parùm quidem prodest, Naturam, & Præstantiam utilitatémque Exercitiorum cognovisse, sed nisi M ditationes in particulari ad statum & vocationem propriam cujusque accomodentur, perinde Conciones Auditorum capacitati & Genio n quadrantes exiguum aut nullum fructum afferen Quare ut doctrinæ in præcedenti parte allatæ opt tum Sacerdotibus fructum afferant, placuit in h posteriori parte aliquot Exempla Meditationum p secessu spirituali servientium, & ipsorum Sacerdo tum statui & vocationi præcipuè accommodan rum assignare, ita tamen, ut, quandoquidem al quibus integros octo dies pro tali secessu assume aut non vacat, aut non libet, etiam his, quantùm fieri potest, serviam, & materias pro triduana salte Recollectione suggeram.

CAPUT

CAPUT I.

PRACTICA EXEMPLA PRO OCTIDUANO SECESSV.

I. UT tantò faciliùs agnoscat Sacerdos, Formulas istas Practicas Exercitiorum faciendorum ipsius statui accomodatas esse, sequentes duæ admonitiones ob oculos semper habere debet.

II. Prima est, ut meminerit, primarium horum Exercitiorum Scopum esse, tum seriæ emendationis propositum, tum fervoris in perfectionis studio, vocationéq; sua adimplenda reparandi, vel augendi studium, ut jam alibi dictum est, atque adeò ad hunc Scopum omnes Meditationes, Considerationes, Lectiones, Collocutiones, & alias similes Exercitationes dirigendas esse. Hinc quia alios in via purgativa magis defecisse, alios in illuminativa minùs profecisse quandoque advertitur, rectè monet S. Ignatius in annot. 18. Exercitia juxta ejus, qui exercetur, habitudinem accommodari, & quemvis ad gradum, in quo animus suus conquiescat, perduci debere.

III Secunda admonitio est, quòd, sicut ad eundem quandoque terminum diversis vijs pervenitur, ita ad eundem quoque Exercitiorum Scopum variis modis pertingi possit. Hinc aliquibus, qui Sæcularem vitam elegerunt, ejusmodi plerumque Exercitia præscribuntur, quæ ad observationem Justitiæ Christianæ, id est, fugam peccatorum, & bonorum operum exercitationem Spectant. Religiosis Meditationes, quæ ad votorum religiosorum exactam observantiam, & Perfectionis studium pertinent, traduntur. Sacerdotibus & Pastoribus varia motiva & praxes, quæ ad curam animarum ritè suscipiendam juvant, suggeruntur, & sic de reliquis loquendo. Imò interdum una quæpiam virtus. u. g. amor B. Virginis, obedientia, aut alia similis pro Scopo principali assumi, & ad eam Meditationes pleræque saltem, si non omnes, ordinari possunt, ita tamen, ut Methodus à S. Ignatio per triplicem viam assignata, quantùm fieri potest observetur. Interdum etiam pro quâvis Meditatione una Parabola, Historia, vel sententia assumi, & ex illis doctrina aliqua

ad

ad Scopum Meditationum pro singulis hebdomadis Ignatio assignatarum erui potest, uti ex paradigmatis assignandis patebit.

Tres itaque diversæ præscriptiones materiarum pro octiduano secessu assignabuntur. Prima ipsam S. Ignatii sionem in libello Exercitiorum assignatam, & statui S dotali accommodatam servabit. Altera Meditation statum Sacerdotalem directè ordinatas continebit. T pro singulis Meditationibus Parabolam aliquam Evan cam aut aliam similem assumet.

Divisio I.

PRO OCTIDUANO SECESSU III NORMAM A S. IGNATIO ASSIGNA TAM FACTA.

Meritò hæc divisio aliis omnibus præfertur, utpot præ cæteris apta videtur, non ad præfixum dum Exercitiis Scopum referendum, sed ipsum etiam Syste Meditationum, quas S. Ignatius in libello Exercitio præscripsit, connexionem demonstrandam. Quare ipsi primis Meditationes propriis S. Patris, quantùm fieri po verbis proponam, varias tamen iisdem notas subjun quibus, partim quid circa singulas observandum sit, a am; partim quomodo illius materia cum præcedenti hæreat, demonstrem.

Meditatio proœmialis pridie Exercitiorum peragenda.

De Fine & Scopo horum Exercitiorum.

Punctum I.

Considera 1. quis sit Scopus Exercitiorum tuorum, crastina die auspicaturus es; nimirum ut anima tua imago DEI per varias imperfectiones, peccata, & negli tias obscurata renovetur, pristinóque decori restituatur.

Considera 2. quàm necessaria tibi sit hæc renovatio non imago animæ tuæ usque adeò ob tepidam vitam t sit deformata, ut meritò cum admiratione quæri possit:

Jus est imago hæc? DEI, an Dæmonis? Christi, an Mundi? Considera 3. an non meritò Ecclesia velut Mater tua in solitudinem istam te ducat, & in uterum suum iterum recipiens illis S. Pauli 4. ad Gal. verbis te alloquatur: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Stude proin hanc sollicitudinem Matris tuæ dilectissimæ agnoscere, atque, ut finem suum obtineat, totis viribus cooperari. Colloquium ad S. Carolum Borromæum, S. Ignatium, aliósque electos Patronos tuos, rogando, ut pro felici Exercitiorum successu efficacem gratiam impetrare dignentur.

Punctum II.

Considera 1. Quid requiratur ad renovationem cujusdam imaginis, nimirum sequentia tria capita 1. Ut pulveres imagini adhærentes abstergantur. 2. Ut colores detriti aut offuscati, novis coloribus obducantur. 3. Ut velum, quo pulveres deinceps arceantur, appendatur. Considera 2. Quàm aptè hæc tria officia pro Spirituali renovatione Animæ tuæ per exercitia Spiritualia præstentur; quid enim aliud per viam purgativam intendunt, nisi ut pulveres culparum animæ adhærentium per veram contritionem & confessionem, variáque conscientiæ Examina, aliáque Satisfactoria opera abstergantur? quid aliud per viam illuminativam quærunt, quàm ut novi virtutum colores ex imitatione Christi petitæ menti per neglectum virtutis ac fervoris Studium inveteratæ obducantur? quid aliud per viam unitivam obtinere desiderant, quàm ut per ardentem DEI amorem, firmissimámque cum illo unionem velut aptissimum velum omnes subsequentium culparum pulveres arceantur? Considera 3. Quàm alacriter proin & libenter hæc Exercitia suscipere, atque ad finem usque magna cum constantia continuare debeas. Colloquium ad SS. Cœli Reginam, demissè rogando, ut, sicut ipsa se Auctricem horum Exercitiorum fuisse S. Teresiæ confessa est, ita tibi quoque, ut optatum ex iis successum referas, autrix esse dignetur.

Punctum III.

Considera 1. Quibus mediis Pictores ad renovandam aliquam imaginem uti soleant. An non aptos sibi colores

præparant ? an non solitarium locum, quo à distractio defendantur eligunt ? an non de apto sibi Magistro au rectore prospiciunt ? an non oculos accuratè & assidu Directorem, aut imaginem, aut Prototypon reflectum, dirigunt ?

Considera II. Quantò magis tu has omnes indul & conatus pro renovatione tuæ imaginis adhibere deb ut cui ultrò tam copiosa eorundem occasio offeratur.

Considera III. Quomodo non modò in solitudinem cum magno desiderio secedere, omnêsque alias curas cere, sed etiam omnes industrias, quæ à S. Ignatio, alii Ascetis ad hunc finem præscribuntur, magna cum sed re, constantiáque adhibere velis. Colloquium ad Chri rogando, ut, sicut ipse hunc secessum verbo & exempl cuit, ita efficacem quoque pro illo ritè continuando gr largiri dignetur.

Materia Lectionis.

I. Etsi hæc exercitia potissimùm ad veram sui notitia reformationem ordinata sint, atque adeò primum semp ter sacras Exercitationes locum meditatio habere de rectè tamen directorium (quo nomine liber à Societat su compositus, & modum exercitia spiritualia cum f fructu faciendi docens intelligitur) cap. 21. n. 1. mon melius durare possit is, qui exercetur, expedire, ut detu aliqua relaxatio in horis meditandi, eóque tempore, à meditationibus liberum habet, liber aliquis legend tur, qui pietatem potiùs nutriat, quàm intellectum no tibus exerceat; quique aptus & opportunus sit ad illum stum, vel finem, qui per exercitia quæritur, gigne Quin etiam monendus est (ait idem Directorium cap. & docendus, ut ipsam lectionem dirigat ad meditation nimirũ non legendo cursim aviditate sciendi & vidend va, sed immorando, & perpendendo accuratè, quæ leg intrando in eosdem affectus.

II. Sed & illud cavendum (ut rectè ibidem n. 6. mo tur) ne vel legendi, vel scribendi dulcedine ita se quis distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi aut pr rationi ad meditationem. Semper enim aliquantò meditationem debet omnia relinquere, & omnino suam

gitationem convertere ad puncta illius Exercitij, quod jam instat. Addo, cavendum hoc quoque, ne nimis legendo aut scribendo defatigetur animus, & quasi, vires ejus exhaurian-tur; oportet enim salvam semper relinqui meditationem, & cætera omnia huic uni servire.

III. Ut autem sciat is, quem instruendum hîc suscepi, Sacerdos, quos præcipuè libros aut materias legere debeat, ante omnia ei consulendum est, ut unum quotidie caput speciatim à me annotatum, manè, & alterum, si velit, fortuitò selectum, aut certè, si totum legere non placet, unam, alterámve sententiam aut paragraphum, à prandio ex libello de imitatione Christi legat, exemplo S. Ignatij Exercitiorum horum Authoris, qui & mirificâ laude semper extollere hunc libellum, & pari fervore alijs commendare, ipsemet verò tantopere spiritum illius probare, támque perfectè in se exprimere solebat, ut, quemadmodum Petrus Ribadeneira l. 1. c. 13. vitæ scribit, multorum judicio, Vita Ignatij solida quædam, eminens, ac viva esset imago eorum præceptorum omnium, quæ aureo illo libello continentur. Nec immeritò sanè hunc libellum præ alijs suadebat, quia, ut Julius Nigronus tract. 5. Ascet. c. 3. n. 15. rectè pronunciavit, continet succum totius vitæ spiritualis, compendium perfectionis, quintam, ut ita dicam, essentiam religiosæ vitæ ac sanctitatis, diuturnæ meditationis Alembico per virum experientissimum, tum ex alijs spiritualibus libris, tum ex ipsius Spiritûs Sancti unctione expressam. Quem qui legit assiduè, habebit, teste Ludovico Granatensi in præfat. ad hunc libellum à se in Hispanicum idioma conversum, fidum viæ hujus vitæ comitem, solamen in adversis, Doctorem, ducémque in dubijs: artem, praxímque ornandi hinc hauriet, ac piè vivendi normam, nec non bene, beatéque moriendi scientiam. Dicit proin de eodem cum Seneca Epist. 54. *Vivit, viget, liber est, supra hominem est, dimittit me plenum ingentis fiducia. In quacunque positione mentis sim, cùm lego hunc (fatebor tibi) libet omnes casus provocare.* Ex hoc itaque libello pro hodierno die, próque felici omnium subsequentium lectionum auspicio legi potest cap. 2. l. 3. in quo illa præcipuè verba non pro hac duntaxat, sed secuturis etiam lectionibus cum singulari affectu usurpentur: *Loquere;*

Domine, quia audit servus tuus, verba enim vitæ æ habes. Loquere mihi ad qualemcunq; animæ meæ conſol nem, & ad totius vitæ meæ emendationem: tibi aute laudem & gloriam, & perpetuum honorem.

IV. Præter hunc libellum liber etiam quiſpiam do nalis ad Inſtructionem Sacerdotum pertinens legi po quales exempli gratiâ eſſe poſſunt, Ludovicus de Ponte 4. ubi fusè de ſtatu & officijs Sacerdotum agit: Sacer Chriſtianus M Ludovici Abellij. Jacobi Marchantij Aaronis. Joannis Trithemij inſtitutio ſacerdotalis M chij anno 1640. iterum recuſa. Manuale Parochorum roli Muſarti. Jacobus Maſenius in Auctario Ducis vi octo Meditationes proponit pro Sacerdotibus, quæ per modè pro lectione ſpirituali ſervire poſſunt. Tertia inſtructio de converſatione Apoſtolica, & quarta inſtr Paſtorum, quæ breviter complectuntur, quidquid ad cium Sacerdotum ſpectat.

V. Sed & Sanctorum vitas interdum non inutiliter poſſe, S. Ignatius in annot. poſt primam hebdomadæ ſe dæ meditationem inſinuat, & ipſâ etiam experientia co mat, maximè ſi ſelectæ ſint, & ei, qui Exercitia facit, commodatæ, quales reſpectu Sacerdotum eſſe poſſunt pij Sacerdotis, ſeu vita Jacobi Merlohorſtij. Vita M. J nis Avilæ. Vita P. Petri Foreri Canonici Regularis & chi. Vita P. Petri Fabri è Societate JEſu, quæ multas doctrinas Sacerdotibus accommodatas continet; Vita roli Borromæi, & S. Franciſci de Sales, & ſimiles.

VI. Denique præ reliquis etiam legi convenit, ann tiones, vel additiones, regulásve, quas S. Ignatius li Exercitiorum inſeruit, & ſucceſſivè in charta ſeparata voluit. Et hodie quidem antè, quàm auſpicetur Exer Annotationes & Additiones ei dandas eſſe, Directorium n. 5. & cap. 15. n. 8. monet, quas proin placet hîc appo notis brevibus, ubi opus videbitur, adjectis.

Annotationes.

1. Has Annotationes, ut in ipſo titulo videre eſt, S. I eo fine à ſe compoſitas fuiſſe ait, ut aliquid intelligent exercitia ſpiritualia afferant tam ei, qui traditurus eſt, qui acceptarus. Unde quia hoc loco eum duntaxat, qu

cipit, instruere proposui, eas quoque annotationes, quæ ad ipsum pertinent, solas huc afferam, ut ipsum Directorium monet cit. c. 11. n. 5.

II. *Prima ergo est Annotatio, quòd ipsonomine Exercitiorum spiritualiũintelligitur modus quilibet examinandi, propriam conscientiam; itẽ meditandi, contemplandi, orandi secundùm mentẽ, & vocem, ac postremò aliaς quascunq; spirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, & currere, exercitia sunt corporalia, ita quoq; præparare, & disponere animam ad tollendas affectiones malè ordinatas, & ijs sublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ, exercitia vocantur spiritualia.*

III. In hac Annotatione S. Ignatius quasi in compendio breviter complexus est, quidquid ad exercitia ritè cognoscenda & fructuosè obeunda pertinet. Nam I. Eorundem naturam per ipsum nomen *Exercitiorum* pulchrè insinuavit, significare scilicet volens, Exercitia hæc non in nuda quadam oratione, sed tali, quæ ad actionem referatur, & exercitatio dici mereatur, consistere; qui enim ita orat, vel meditatur, ut nihil ulterius spectet, sed in sola persistat vel rei impetrandæ, vel etiam cognoscendæ cura, hic magis quiescit, & otiatur, quàm exerceatur, & laboret. II. Scopum quoque eorum sat clarè insinuavit, dum scilicet per ea animam ad malas affectiones, ac voluntatem Dei inveniendam, seu, ut clariùs, breviúsque dicam, ad statum, vitæque ineundæ rationem optimam vel eligendam, vel reformandam, vel perficiendam præparari ac disponi dixit. III. Gradus etiam profectûs, qui in his exercitijs quærendus est, non obscurè per tria illa verba *deambulare, iter facere, currere*, indicavit; nam sicut ex his motibus unus altero perfectior est, eò quòd is, qui ambulat, nec certum habet terminum, nec gressum admodum intendat; iter verò faciens, eò quòd ad certum terminum tendat, nec diu in via morari cupiat, hoc ipso gressum acceleret; currens autem celeritatem superaddat, omnésque vires intendat; ita in exercitijs quoque singulis hebdomadis sui quodammodo passus præscribuntur, & in prima quidem hebdomade; in qua finis tantùm in genere ostenditur, & recessus ab eo factus deploratur, fit ambulatio duntaxat; in secunda & tertia, quia de certo

vitæ ſtatu eligendo vel reformando agitur, perfectio motus, atque adeò itineri certum terminum habenti comparatur; in quarta denique hebdomade, quia amor addens quæritur, etiam accelerari meritò profectus, adeò curſus inſtitui dicitur. IV. Denique ipſa etiam ſtrumenta ad finem exercitiorum obtinendum adhibe lita per eandem annotationem ſat clarè innuuntur; ſcilicet per exercitia modum quemlibet examinandi co entiam; deinde orationem & meditationem, & alias o tiones, à Directore utique velut itineris Duce præſcribe intelligi dixit, quibus ſanè tribus inſtrumentis omnia, ad veram reformationem vel electionem ſtatus requiru complexus eſt, cùm per Examen conſcientiæ quiſque ipſo agat, ſtatúmque animæ ſuæ recognoſcat; per or nem verò & meditationem agens cum Deo, quid facien fugiendúmve ſit, diſcat, & lumen ac vires impetret ad endum, quæ intelligit fieri oportere; per communi nem denique cum prudenti viro adjuvetur, ut meliùs & cum Deo rem tranſigat, ſimúlque tutus reddatur ab ribus & inſidijs Dæmonum.

IV. Secunda annotatio, & inter annotationes S. P. tertia ordine eſt, *quod cùm in ſequentibus Exercitijs tualibus utamur actibus intellectus, quando diſcurr voluntatis verò, quando afficimur, advertendum eſt ratione, quæ præcipuè eſt voluntatis, dum voce aut cum Domino Deo aut Sanctis colloquimur, majorem exigi reverentiam, quàm dum per uſum intellectus intelligentiam potius moramur*; hæc enim; cùm ad vo tatem permovendam potiſſimùm dirigatur, atque adeò ſtrahat à præſentia perſonæ alterius præſentis, nihil al quàm mentis ſeriam applicationem exigere videtur, quium verò Dei aut Sanctorum, cùm ad ipſos rectà di tur, hoc ipſo etiam reverentiam erga perſonam requirit ut rectè notat P. Ceccotus, ob hanc ipſam cauſam quoque magis exquiſita, quibus eos dignè compellare inus, exigit.

V. Tertia annotatio, & quinta in ordine viginti a tationum S. Patris, eſt, *quòd mirum in modum juvatur ſuſcipit Exercitia, ſi magno atque liberali animo acce*

totum ſtudium & arbitrium ſuum offerat ſuo Creatori, ut de ſe, ſuisque omnibus ſtatuat id, in quo ipſe potiſſimùm ſervire poſſit juxta ejusdem beneplacitum. De qua annotatione vel maximè dictum credi debet, quod in Directorio c. 3. n. 1. de annotationibus univerſim notatur, ſcilicet omnem diligentiam in ea obſervanda poni debere, quoniam quò diligentior quis in hoc fuerit, eò citiùs & uberiùs inveniet fructum ſpiritualem, qui quæritur.

IV. Quarta annotatio, & in ordine duodecima eſt, *quòd, cùm in quolibet exercitio expendi debeat unius horæ tempus, curet ſemper* (is, qui exercetur) *animi quietem in hoc reperire, quòd plùs temporis potiùs, quàm minùs inſumpſiſſe ſibi conſcius ſit. Frequens eſt enim Dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi vel orationi temporis ſpatium decurtetur.* Ad quem ipſum finem collimat etiam decima tertia annotatio dicens, *quòd, cùm facile ſit ac leve, affluente conſolatione, integram contemplationis horam traducere; difficillimum è contra incidente deſolatione, idcircò adverſus deſolationem & tentationem ſemper pugnandum eſt, producto ultra horam definitam exercitio, vincendi gratiâ. Ita enim non ſolùm diſcimus reſiſtere adverſario, ſed eum etiam expugnare.* Neque ad hunc duntaxat finem, juvat hæc ordinatio, ſed etiam ad virtutum augmentum debitúmque cultum Deo tribuendum, qui odit rapinam in holocauſto, ideóque voluit, ut Abraham ſacrificans volucres ab holocauſto abigeret, donec totum fuit conſumptum. Et ſanè per ſe indecens videtur abire à colloquio & converſatione cum Deo, antequam tempus ab eo definitum fuerit elapſum; quis enim non ſummè inurbanum diceret Aulicum illum, qui obtentâ per ſummmam gratiam audientiâ Principis maximi eam plùs æquo prolixiorem eſſe quereretur, ideóque è conclavi, antè, quàm dimiſſus eſſet, ſe proriperet?

VII. Quinta annotatio, & in ordine decima ſexta eſt, *quòd, ut Creator ipſe, Dominúsque noſter in ſua creaturæ certiùs operetur, ſi accidat animam ad aliquid minùs rectum affici atque inclinari, ſummopere ac totis viribus nitendum eſt in contrarium* (*ut puta, ſi ad officium vel beneficium adipiſcendum aſpiret, non divinæ gloriæ, aut communis animarum ſalutis cauſa, ſed commoditatis ſuæ, negotiorum-*

tiorúmqte temporalium duntaxat) tunc affectus ad ip
tum impelli debet per assiduas orationes, & alia exer
pia, in quibus a clementia Dei oppositum petatur, vide
hunc ut ille animum offerat ipsi Deo, se tale officium ve
neficium aut aliud quidvis jam non appetere, nisi prius
affectum adeo mutaverit, ut nihil jam omnino desidere
possideat alia ex causa, quàm divini cultûs & honoris. Q
idem etiam faciendum est, ii modum ac terminum se
nis donis ponere se velle quis adverteret, ita ut ad quos
duntaxat limites, & non ampliùs illuminari vellet; u
ut rectè notat Directorium c. 2. n. 5. præterquam quòd
de indecens est, ut creatura hoc modo agat cum suo Crea
valde etiam ipsi nocet; primùm quia se ipsum privat
majoribus donis, quæ Deus fortè daturus erat; deinde
illa ipsa liberalitas & restrictio, & ingratitudo erga De
meretur, ut ne ea quidem accipiat, quæ vellet accipere.

VIII. Sexta annotatio, & undecima in ordine est, *exercenti se in prima hebdomada expedit nescire, quæ secunda sit acturus, sed ad consequendum illud, quod quærit, acriter laborare, perinde ac si nihil boni posteà reperturus.* Quæ annotatio utilis quidem est ad curiositatem vitandam, animúmque uni objecto seriò applicandum ferè tamen convenit ijs duntaxat, qui prima vice faciunt ercitia; alij namque facilè divinabunt, quid in posterioribus hebdomadis sit meditandum, etsi & ipsi rectiùs facient si animum & cogitationem à secuturis meditationibus strahant, solíque præsenti materiæ considerandæ acriter fistant.

IX. Septima annotatio, & postrema inter viginti s
cis annotationes est, *quòd secundùm successum comm*
rem tanto majorem faciet progressum spiritualis vitæ, q
tò magis ab amicis, notisque omnibus, & ab omni re
humanarum sollicitudine sese abduxerit. Ex qua quid
loci secessione inter alias multas commoditates hæ tres
eipuè consurgunt. Prima, quòd exclusis Amicis, & fa
liaribus, negotiisque minùs rectè ordinatis ad Dei cultu
gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secund
quòd per hujusmodi secessum intellectu minùs, quàm a
distracto in diversas partes, sed collecta, redactáque

cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum DEO Creatori suo, & saluti animæ suæ consulendum, multo liberiùs ac expeditiùs utitur naturæ viribus in quærendo eo, quod desiderat tantopere. Tertiò, quòd, quantò se magis reperit anima segregatam, ac solitariam, tantò aptiorem seipsam reddit ad quærendum, attingendúmque Creatorem ac Dominum suum, ad quem insuper, quò propiùs accedit, eò meliùs ad suscipienda bonitatis divinæ dona disponitur.

Additiones.

I. Etiam has pridie, quàm incipiantur Exercitia, dandas esse Directorium c. 15. n. 8. monet, ubi sequenti numero addit, curandum esse, ut exactè serventur, quia ex ipsis valde pendet fructus spiritualis Exercitiorum. Cur autem S. Ignatius ipsas Additiones vocaverit, non constat; fortè ideo hoc nomine expressit, quia Exercitio trium Potentiarum (in quo norma & modus meditandi reliquas Meditationes continetur) & cæteris quatuor subsequentibus Exercitijs subjunctæ & additæ sunt, velut speciales industriæ ad meliùs peragenda Exercitia, & ad ea, quæ optantur, invenienda perutiles, ut ipse S. Pater in hoc titulo insinuat; unde P. Balthasar Alvarez non solùm in Exercitijs, sed etiam totius anni decursu easdem accuratè observari volebat, uti in c. 2. §. 1. vitæ videre est.

II. Prima itaque Additio est, *ut ego post cubitum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel Angelica Salutatio, cogitem de hora, quâ surgendum mihi erit, & de Exercitio faciendo.* Hæc additio, ut per se patet, soli Meditationi, quæ vel media nocte, aut sub auroram instituitur, convenit, juvátque non modicè ad nocturna somnia mitiganda, si hominem egregiè sobrium & vigilantem talis cogitatio deserat.

III. Secunda, *ut expergefactus statim excluſis aliis omnibus cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo media noctis Exercitio contemplaturus sum; Vtque majoris verecundiæ & confusionis gratiâ exemplum mihi hujusmodi proponam: Quomodo Miles aliquis staret coram Rege suo & cœtu Aulico erubescens, anxius, & confusus, qui in Regem ipsum acceptis ab eo priùs beneficiis, donisq; pluri-*

*mis ac magnis, graviter deliquisse convictus esset. Inse-
do itidem Exercitio reputans, quantùm peccaverim,
gam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum e
summo Iudice, sicut omnis reus quispiam, ferreis lig
compedibus duci ad tribunal solet. His igitur vel alii
meditandarum genere cogitationibus imbutus, vestitu
me induam.* Etiam hæc additio, ut ipse S. Pater not.
nuat, illi tantùm Meditationi, quæ mediâ nocte, vel sub
coram fieri solet, convenit, éstque non parùm utilis a
stractiones cavendas, licet rectè aliqui advertunt, non n
urgendam esse, ut etiam aliis aspirationibus sit locus.

IV. Tertia, *ut à loco futuræ Meditationis uno v
mino passu adhuc distans, per tantillum tempus, quoper
ri Oratio Dominica posset, animo sursum elevato, co
rem Dominum meum IESVM ut præsentem, & spect
quidnam acturus sum, cui reverentiam cum humili
exhibere debeam.* Quam additionem P. Cecottus su
momenti esse ait, ideóque magnificam aliquam & am
de infinita illa Majestate, abjectissimam verò de nobis
nionem formandam suadet.

V. Quarta est, *ut ipsam aggrediar Contemplatio
nunc prostratus humi, & pronus, aut supinus jacens,
sedens, aut stans, & eo me componens modo, quo sper
ciliùs id consequi, quod opto. Vbi adverti duo debent.
mum, quòd sistenis genibus, vel in alio quovis situ voti
pos fiam, nil requiram ultra. Secundum, quod in
in quo assecutus fuero quæsitam devotionem, conqui
debeo sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfe
Quam tamen additionem (saltem quoad prostrationem
templo aut coram aliis nunquam, sed domi duntaxat ob
vandam, iterum monet S. Ignatius.

VI. Quinta est, *ut completo Exercitio sedens vel de
bulans, per quartam circiter horæ partem, mecum disp
am, quonam modo Meditatio seu Contemplatio mihi suc
serit. Et si quidem malè, inquiram causas cum pœnitu
ac emendationis proposito; sin verò bene, gratias DEO ag
eundem posteà modum observaturus.* Quam additionem
Hugo Rott tanti momenti esse putat, ut fine ea vix qu
quam in arte meditandi progressum facturum putet. Pr

pitur autem hoc examen triplicem ob finem. 1. Ut noxæ per negligentiam admissæ citiùs deleantur. 2. Ut major facilitas meditandi comparetur, dum causæ erroris cognoscuntur. 3. Ut fragmenta ex spirituali hac refectione colligantur, sive fructus Meditationis annotetur, si occasio id permittat.

VII. Sexta est, *ut cogitationes, quæ gaudium afferunt, qualis est de gloriosa Christi Resurrectione, subterfugiam, quoniam talis qualibet cogitatio impedit fletum & dolorem de peccatis meis, qui tunc quærendus est, adscitâ potiùs mortis vel judicij recordatione.* Ex qua additione patet, quantopere S. Ignatius semper desideraverit, ut prima semper cura de Meditationis felici successu habeatur, atque ad eum obtinendum omnia alia exercitia & industriæ dirigantur, id quod jam olim etiam S. Bernardus ser. ad Fratres de Monte advertit dicens; *Lectionis modum similis Meditatio sequi solet. Lactat lectio, Meditatio pascit, oratio illuminat & confortat. Proponenda igitur lecturo talia sunt, ex quibus semper aliquid occurrat, quod animum excitet ad amorem DEI, & contemptum sui; cætera delectare quidem mentem possunt, sed non ædificare, quin potiùs mentem inficere, & in tempore orationis ac meditationis inutilia quæque vel noxia menti objcere.*

VIII. Septima, *ut eandem ob causam omni me privem lucis claritate, januis ac fenestris clausis tantisper, dum illic moror, nisi quamdiu legendum aut vescendum erit.* Quam tamen additionem in prima tantùm hebdomada observari cupit S. Ignatius, nam in secunda hebdomada suadet, ut luce potiùs vel sereno cælo delectetur is, qui exercetur, quatenus ad Scopum desideratæ rei attingendam conducit.

IX. *Ut arisu, verbisque risum provocantibus maximè abstineam.* Cùm enim de serio negotio, reformatione scilicet vitæ, agatur, non decet aliquid committere, quod levitatis cujusdam speciem, ut est risus inordinatus, præseferat.

X. Nona, *ut in neminem oculos intendam, nisi salutandi aut valedicendi poscat occasio.* Parum quippe proderit ad collectionem solitudo reliqui corporis, si oculus foris vagetur, animâmque deprædetur, & abducat.

XI. De-

XI. Decima, *ut aliquam addam satisfactionem pœnitentiam, quæ quidem in exteriorem & interiorem viditur. Interior est dolor de peccatis propriis cum pro firmo cavendi tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in p rum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet c gatio aliqua de commissis, quæ tribus potissimùm modis mi potest. Primò circa victum, subtractis quibusdam superfluis solùm (quod temperantia est, non pœnitentia etiam convenientibus alimentis. Et eò fit melius, qui subtrahitur, vitatâ interim natura corruptione, aut de te gravi vel infirmitate. Secundò circa somni & v modum, sublatis non mollibus tantùm aut deliciosis re sed aliis etiam opportunis, quantùm licet, citra vitæ a letudinis grave periculum. Quapropter de somno nec nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consuetudi (si cui est nimius somni) moderandam. Tertiò circa carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis, gestat ciliciis, funibus, aut vestibus ferreis, vel incussis ver bus, ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumpti quibus tamen omnibus magis expedire videtur, ut dol sensus in carne tantùm sit, nec penetret ossa cum infirmi tis periculo. Quare flagellis potissimùm utemur ex funic minutis, quæ exteriores affligunt partes, non autem ad teriores, ut valetudinem adversam causare possint.* Pu circa has pœnitentias duo insuper bene advertenda sunt ta mentem S. Ignatij. Primum est, quòd triplex earum & effectus sit, nimirum ut pro delictis præteritis nonnihil tisfiat: & ut vincat seipsum homo inferiorem sui partem, sensualitas appellatur, Superiori, hoc est, rationi magis s ijciens: Ut postremò quæramus atque impetremus aliqu gratiæ divinæ donum, quod opramus, puta intimam con tionem cordis de peccatis, & abundantiam lachryma vel propter illa, vel propter pœnas & dolores Passionis Chr sti, aut dubij alicujus, quod nos angit, resolutionem. cundũ est, quòd, cùm pœnitentias ejusmodi omittamus ob affect ũcarnis, aut erroneum judicium, quasi naturalis stra complexio illas ferre non possit, citra ingens valetu nis detrimentum; & è contrario justum nonnunquam pœ tentiæ modum excedamus de corporis robore nimis o

dentes, ficque optatus doloris vel consolationis affectus per eas quæsitus non inveniatur, expediat interdum mutare genera pœnitentiæ; sic enim eveniet, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissimè cognoscit, unicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.

XII. Atque hæ sunt additiones à S. Ignatio præscriptæ, ex quibus ut optatus fructus reportetur, rectè monet idem, examen particulare faciendum esse ad tollendas culpas & negligentias, quæ circa ejusmodi additiones, totáque Exercitia irrepere solent.

Alia tria puncta Sacerdoti specialiter observanda ad felicem Exercitiorum successum consequendum.

I. Etsi annotationes & additiones hactenus allatæ plurimùm conducant ad Exercitia fructuosè obeunda, tria tamen adhuc supersunt, quæ à Sacerdote specialiter cognosci, aç studiosè observari debent.

II. Primum est, ut, quemadmodum alibi jam monui, diligenter attendat, quis specialis fructus ab eo per hæc Exercitia intendi ac quæri debeat, ut eo cognito tantò faciliùs opportuna media ad illum consequendum adhibere possit. Septemplicem ergo fructum ab eo specialiter quærendum ajo, quorum primus est *Cognitio sui ipsius clarior*, sine qua ferè desperanda est posteriorum fructuum consecutio, sed potiùs ipsi accommodari debebit illa Sponsi ad Sponsam Cant. 1. prolata sententia: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Secundus est *Vocationis suæ major cognitio & æstimatio*, ut dignè ambulet vocatione, quâ vocatus est. Tertius *Gratitudo* pro beneficio vocationis, ut jugiter DEVM sibi subvenire faciat per gratiam vocationis collatam, si collatum beneficium semper ante oculos assistat. Quartus *Dolor & confusio* ob negligentiã in implenda vocatione admissam, ut, dum sibi ipsi per talem dolorem stimulos addit, equorum more, celeriori cursu commissum errorem compenset. Quintus *Serium & efficax propositum*, totis viribus ad perfectionem Statui suo propositam contendendi; cùm juxta pium Asce-

tam

tam l. 1. c. 19. *Secundùm propositum nostrum cursus pr[o]
tus nostri* procedat. Sextus *Dexteritas major* in ordina[n]
suis functionibus obeundis; quæ obtinetur per varias co[n]
derationes & reflexiones super successu earundem suar[um]
functionum secuto. Septimus est *Zeli inflammatio* tum
gloriam divinam propagandam, tum ad suam, proxim[i]
salutem ardentiùs procurandam; nam hîc propriè effi[ci]
debet, ut cum veritate dicere possit: *In meditatione mea
ardescet ignis.* Ps. 38.

III. Secundum est, ut planè sibi persuasum habeat
digere se in hoc negotio Duce ac Præceptore, cujus mon
omni cum sinceritate sequi debeat, idque ob tres præ
causas. Primò quia in re tanti momenti, támque præ
negotio, arduóque ac periculoso itinere sine Duce facil
ratur, cùm præsertim amor proprius varias perturbati
excitet, & Diaboli calliditas nusquam magis allaboret, q
ut animam ad virtutem tendentem dolis circumveniat, n
quia videt sibi prædam penitus eripi, si longiùs eam prog
di sinat: tum quia superbissimus Captator valde gloriat
quem à se deceptum per speciem virtutis ad vitia perdu
Secundò quia DEVS omnia suaviter administrat, atque a
homines per homines regi cupit, unde, etiamsi quis imm
peritus & spiritualis sit, nihilominus ad hanc submissio
DEO exhibendam debet se Ordini divinæ providentiæ,
proinde etiam homini, à quo DEI loco regatur, subjic
Tertiò quia, cùm hac persuasione animum imbuerit, fac
præstabit cætera, quæ erga hominem illum, à quo est re
cendus, afferre debet, scilicet ut eundem tanquam DEI i
strumentum ad hoc sibi missum, ut eum dirigat, & perdu
per viam, quæ ad vitam ducit, intueatur, ideóque cum om
reverentia, alacritate, & confidentia excipiat, quæ ei propo
net, & sicut modò genitus infans sine dolo lac concupisc
ut in eo crescat in salutem.

IV. Tertium est, ut non miretur, si brevius nonnu
quam, quàm optabat, puncta Meditationis vel à S. Ignatio
vel à me proponantur, id enim ea intentione factum est, u
ipse aliquid cogitando elicere conetur, ficque gustum int
jucundiorem & fructum uberiorem percipiat, nam, ut bea
advertit Cecottus in suis notis ad Exercitia, in hoc secess
no

non tam lumen ſpeculativum, & abundantia ſcientiæ, quàm lumen practicum, quod in ſenſu rerum, & guſtu interiore conſiſtit, quæritur; unde rectè S. Ignatius annot. 2. monet, ut is, qui modum & ordinem meditandi alteri tradit, fideliter quidem narret puncta præcipua Meditationis, ſed brevem duntaxat declaratiunculam adijciat, ut ipſemet poſtea Exercitans manum admoveat, ſicque & artem meditandi & cæleſtes veritates faciliùs addiſcat. Id quod idem Cecottus exemplo Muſicæ pulchrè declarat. Sicut enim nunquam quis artem Muſicam addiſceret, ſi Magiſter quamvis egregius ſemper ſolus caneret, ſed ipſum etiam Diſcipulum ad vocem flectendam, & exemplum à Magiſtro datum imitandum hortari debet; ita nec artem & praxin meditandi addiſceet, qui puncta fuſiùs ab alijs propoſita duntaxat meditari conſuevit, & non ipſe etiam propriâ conſideratione aliquid eruere laborat. Quia tamen interdum aliqui Sacerdotes necdum aſſueti ſunt Meditationi, ideo ut his quoque conſulatur, viam monſtrabo, & quâ ratione puncta Meditationis dividere, ſibíque applicare debeant, paulò fuſiùs oſtendam.

EXERCITIA
PRIMÆ HEBDOMADÆ.

UT optatus ex hac hebdomade fructus reportetur, notandum eſt, duplicem eidem finem præfixum eſſe, generalem ſcilicet & ſpecialem. Generalis eſt, ut cognoſcatur, quòd aberraverimus à via ad ultimum finem ducente, dolórque concipiatur de errore tanto, propoſitúmque hauriatur ad eundem quamprimùm redeundi, & ad finem uſque perſeverandi. Specialis eſt purgatio animi perfecta, non à peccatis duntaxat, ſed affectibus etiam inordinatis; cùm enim juxta S. Thomam 2. 2. q. 81. a. 8. perfectio hominis in duobus capitibus conſiſtat, puritate ſcilicet, & immobili cum DEO unione; puritas autem in eo conſiſtat, quòd anima nulli alteri rei, quàm DEO adhæreat, meritò in hac hebdomade viæ purgativæ reſpondente laboratur, ut anima non à peccatis duntaxat, ſed inordinatis etiam inclinationibus ad res creatas liberetur, atque in hunc finem ſalutaria media, inter quæ non poſtremum eſt Noviſſimorum memoria adhibeat.

PRIMA

PRIMA DIES.

MEDITATIO I.

DE FINE HOMINIS.

Tessera:

Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam q[uid] desit mihi. Psal. 38.

PRo meliori intellectu hujus Meditationis notandu[m] eam à S. Ignatio Principium sive Fundamentum voc[at] Principium quidem, eò quòd in ea de finis ultimi, ad q[uem] homo creatus est, cognitione & intentione agatur, hæc tem intentio in vitæ reformatione sit principium practi[cum] ex quo tota actionum nostrarum praxis perinde emanat, ut in speculativis scientijs variæ conclusiones ex univer[sa]libus principijs deducuntur. Fundamentum verò vocat[ur] quòd in ea velut basi firmissima totius ædificij spiritu[alis] moles sustentetur. Porro textus hujus principij seu Me[di]tione à S. Ignatio in libello Exercitiorum propositus [se] habet.

Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum De[um] suum laudet, ac revereatur, eiq; serviens tandem sa[l]vus fiat.

Reliqua verò supra terram sita, creata sunt homini [in] causâ, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum [ad]vent. Vnde sequitur, illis utendum vel abstinendum [ea]nus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, [vel] obsunt.

Quapropter debemus absque differentia nos habere [ad] res creatas omnes (prout libertati arbitrij nostri subj[ec]tæ sunt, & non prohibitæ) ita ut, quod in nobis est, non qu[æ]ramus Sanitatem magis, quam agritudinem, neque divi[tias] paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi [præ]feramus, sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, [quæ] ad finem ducunt, eligere, ac desiderare.

Etsi verò hæc tria capita sufficientem cuivis bene dispo[sito] intellectui materiam suppetere videantur, & ideo S. P[ater] nulla

nullum certum tempus pro hac Meditatione præscribat, ut tantò diutiùs huic, fundamento intellectus insistere, intimé-que illud penetrare possit; quia tamen aliquibus fortè non sufficiet ad horam etiam unicam insumendam, atque adeò uberiorem illi declarationem, vel applicationem desiderant, placet etiam hanc subjicere.

Punctum I.

Considera 1. Cur homo à DEO creatus sit, quòd videlicet esse suum naturale non ideo duntaxat acceperit, ut Authori naturæ perinde ut aliæ creaturæ obligatus maneret, sed insuper ex speciali amore & divina Ordinatione ad sublimiorem finem per gratiæ, aliorúmque donorum supernaturalium communicationem fuerit elevatus, ut scilicet per actus supernaturales ipsum cognoscere & amare, gloriámque ipsius excellentissimo modo promovere, & augere possit; hoc enim S. Scriptura indicat, dum Gen. 2. hominem ad imaginem DEI creatum fuisse dicit, ut videlicet, sicut DEVS seipsum perfectissimè cognoscit, & amat, & per hoc infinitè beatus est, ita & homo in hac quidem vita per cognitionem Fidei obscuram, & amorem liberum, in altera verò per visionem beatificam & amorem perfectum cognoscat ipsum DEVM, & fruatur, sícque in hoc similitudinem & imaginem DEI referat.

Considera 2. Quàm *sublimis* sit iste finis, utpote quo excelsior excogitari non potest, cùm sicut DEO nil meliùs reperiri valet, ita nec illius possessione quidquam præstantius inveniri queat. Quàm item *jucundus*, eò quòd in summi boni possessione consistat. Quàm denique *facilis* quoad assecutionem; quid enim faciliùs, quàm id velle, ad quod ipsa Natura, Ratio, & summæ felicitatis promissio inclinat?

Considera 3. Quàm magnum tibi à Deobeneficium sit collatum, dum ex tam magno numero possibilium creaturarũ, quas tamen DEVS vidit, perfectiori longè modo servituras sibi fuisse, te elegit, & ad tam excelsum finem creavit, & insuper, ut finem hunc faciliùs consequereris, tam sanum, integrúmque corpus, tam capacem intellectum, aliáque dona naturalia, uti & Parentes, ac Pastores Catholicos (quæ omnia non paucis sunt negata) benignissimè communicavit. Quàm

proin grato animo beneficium hoc agnoscere, atque tantum Benefactorem totis viribus laudare, amare, ti servire debeas, dicens cum Psalmista Psal. 94. *Venite, ad mus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui nos* (deprecando culpam, quòd tam negligenter ei ser mus) *quia ipse est Dominus DEVS noster, nos autem po ejus.* Colloquium ad SS. Patronos cum congruis affec

Punctum II.

Considera 1. Quòd DEVS non contentus creâsse tum insuper Mundum velut amplissimam & pulcher domum in obsequium tuum creaverit, omnésque in M existentes creaturas velut instrumenta, quibus ad eum liùs, perfectiúsque cognoscendum & amandum juvare potestati subjecerit, uti jam pridem S. David agnovit Psal. 8. *Gloriâ & honore coronâsti eum, constituisti eu per opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pe ejus.* Hinc Hugo Victorinus pulchrè sic Mundum hom alloquentem introducit: *Vide Homo, dicit Mundus, modo amavit te, qui propter te fecit me: Servio tib factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit & me, me propter te, & te propter se. Si sentis beneficium, debitum; si accipis benignitatem, redde charitatem.*

Considera 2. Quàm meritò à te requirat DEVS, uti delis servus, & prudens; ut scilicet per prudentiam co scas, quomodo creatura quævis ad finem tibi præfixum sequendum conducat, & per fidelitatem non aliter eà quàm quatenus eam ad finem conducere cognoveris; adeò verè olim cum Esthere c. 14. dicere queas: *Domi scis, quòd nunquam lætata sit Ancilla tua, ex quo hu* Mundum) *translata sum, usque in præsentem diem, te, Domine DEVS Abraham.*

Considera 3. Quomodo tu hactenus fidelis & prud servi officium impleveris, aut implere certè deincep salùberrimum S. Francisci Borgiæ consilium sequendo *conditas infra te ducus, & Scalarum tantùm ministeri hibeas, quibus ad DEVM Architectum universi asce possis.* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera 1. Quàm magnum insuper beneficium Deus tibi concesserit, dum te non simpliciter ad gloriam suam, sicut alios homines creavit, sed etiam ad *majorem gloriam* suam in te, & alijs procurandam, ad Sacerdotalem Statum vocare dignatus est, in quo tum per ipsam Statûs hujus supremam dignitatem ad majorem perfectionem sectandam, atque adeò finem etiam tuum perfectiùs consequendum incitareris; tum per Sacrificium Missæ velut gratissimum holocaustum, Officiique divini quotidianam recitationem copiosiùs eum laudare; tum per Sacramentorum administrationem, aliáque Pastoralis curæ ministeria gloriam illius etiam in alijs procurare posses.

Considera 2. Si Servus ad tantò majorem fidelitatem & diligentiam in Domini servitio adhibendâ incitatur, quantò plùs se à Domino dilectum & exaltatum, quantóque plura bona ab eodem fidei, curæque commissa advertit, quàm fideliter tu DEO servire, atque adeò vocationi tuæ satisfacere debeas, qui ab ipso tantopere te amatum, animásque velut pretiosissimum suum thesaurum curæ tuæ, fideique commendatas fuisse agnoscis? an non, quoties ad peccatum, aut inordinatum rei cujuspiam creatæ amorem alliceris, in illa Josephi Ægyptiaci Patriarchæ verba erumpes: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, quo modo ergo possum hoc facere, & peccare in DEVM meum?* Gen. 39.

Considera 3. An & quomodo tu hactenus fidelitatem istam præstiteris, & præstare deinceps tantò impensiùs velis, quantò minùs dignum te tam sublimi vocatione fuisse cognoscis. Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

De peccatis alienis.

Hæc Meditatio à S. Ignatio Exercitium trium potentiarum vocatur, eò quòd in eo velut practico Exemplo ostendatur, quomodo per memoriæ, intellectûs, & voluntatis exercitium

citium circa aliquam materiam discurrere, solidámque
ctrinam & affectus eruere debeamus; unde hic modus ac
ratè perpendendus est, & in reliquis quoque primæ hebd
madæ Exercitijs usurpandus. Finis autem hujus Medita
nis est cognoscere, quàm graviter DEVS peccata in nob
simis Creaturis puniverit, quámque adeò meritò quisque
mere debeat, ne, sicut in dignitate longissimè cedit creat
ejusmodi, ita multò minùs quoque ipsi parsurus sit DE
atque adeò alieno malo sapere, ac peccata seriò vitare di

Textus S. Ignatij.

*Oratio præparatoria est, quâ petimus à Domino gra
ut cœpti atque operationes nostræ omnes sincerè ad ejus
riam tendant.*

*Primum præludium est, ratio quædam componendi
Pro qua notandum est, quòd in quavis Meditatione seu
templatione de re corporea, ut puta de Christo, effingen
erit nobis secundùm visionem quandam imaginariam l
corporeus, id, quod contemplamur, repræsentans, ve
templum aut domus, in quo reperiamus Christum IES
vel MARIAM Virginem, & cætera, quæ spectant ad Con
plationis nostræ argumentum. Sin autem speculatio
est res incorporea, ut est consideratio peccatorum nost
ta, poterit loci constructio talis esse, ut si per imaginat
cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili
in carcere constrictam; hominem quoque ipsum in hac
ria & valle inter animalia bruta exulantem.*

*Secundum erit præludium, ut à Domino id postulem
exopto juxta propositæ Contemplationis argumentum, n
rum si de Christi Resurrectione fuerit meditandum, pet
erit latitia, quâ gaudenti Christo congaudeam: sin de pa
ne, lacrymas, pœnas, & angores petam ad compatien
Christo patienti. In præsenti ergo Meditatione pudorem
fusionémq; meiipsius debeo exposcere, attendens, quàm m
homines ob peccatum mortale vel unicum damnati fuer
& quòd ego toties damnationem sim commeritus. Notan
adhæc, quòd omni Meditationi seu Contemplationi præm
debent tam Oratio præparatoria, quàm præludia duo, sc

ratio quidem semper sit eodem modo, præludia verò pro diversitate rerum sunt diversa.

Punctum I.

Primum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatum omnium, quod fuit ab Angelis commissum, adhibito statim discursu intellectûs, atque voluntatis motu, instigante me ad volvenda & intelligenda ea, per quæ erubescam, & confundar totus, factâ unius tantùm peccati Angelorum cum tot meis comparatione. Vnde colligere liceat, cùm illi ob unum crimen addicti sint inferno, quàm sæpe ipse supplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primùm in statu gratiæ, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem) non volentes per arbitrij libertatem, Creatori suo reverentiam & obsequium præstare, at contra eum insolescentes conversi fuerint ex gratia in malitiam, & de cœlo ad infernum præcipitati. Consequenter discurrendum erit per officium intellectûs circa hæc pensiculatiùs, nec non concitandis simul voluntatis affectibus, acriùs insistendum.

Ut hic discursus tantò fructuosiùs instituatur, proderit 1. dignitatem Angelorum tum ex natura ipsa (quod nempe fuerint purissimi Spiritus) tum ex præstantissimis donis tam naturalibus, quàm supernaturalibus, qualia nulli puro homini (exceptâ fortè B. Virgine) sunt communicata, colligere. 2. Pariter Statum miserrimum & deformationem, in quem per peccatum unicum dejecti sunt, perpendere. 3. Cogitatione ad nos conversa, naturam nostram cum Angelica, vilitatem nostram cum illorum dignitate, nostram inopiam cum illorum dotibus comparare, & salutarem inde timorem, odiúmque peccati concipere erumpendo cum pio Asceta l. 3. de imit. c. 14. in sequentes affectus: *Intonas super me judicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valde. Sto attonitus, & considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? ceciderunt stellæ de cœlo, & ego pulvis quid præsumo?* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Secundum est punctum, eadem potentias tres, circa *catum primorum Parentum (quod secundum appellabi* *exercere, tractando memoriâ, quam diuturnam ob illud* *nitentiam egerunt: quanta humanum genus corrupt* *vasit: quot hominum millia ad inferos deturbata sunt.* *morandum est videlicet, quomodo Adam in Dama* *campo de limo terræ factus, positúsq; in terrestri Para* *& Eva formata ex una costarum ejus, cùm de fructu* *ris scientia boni & mali prohibiti essent comedere, & nih* *minùs comedissent, post peccatum subitò ejecti sint, ve* *pelliceis induti, & originali justitiâ privati, reliquum* *sua tempus, in laboribus & ærumnis maximis, pœnit* *traxerint. Super his etiam ratiocinio intellectûs, &* *ctibus voluntatis utendum erit, sicut priùs.*

In hoc puncto tria iterum præcipuè consideranda sun Status Adami ante peccatum cum eo, quem post pecc sortitus est, comparandus erit. 2. Speciatim perpen dum erit, quod eadem pœna in omnes Adæ posteros fit pagata, ita ut, quidquid ab orbe condito ad hoc usque t pus homines sunt passi, & in æternum patientur, sint q scintillæ ab hac prima culpa originali provenientes, æ næque justitiæ clarissima testimonia; quis enim non gra simè offensum Principem illum crederet, qui ob pecca Rebelli Subdito commissum, universam stirpem pa graviſſimè, & exscinderet? 3. Unicum peccatum Ad in solo pomi esu prohibito consistens, & ex affectu ul blanditijs cedente factum, de quo tamen statim dolui severam pœnitentiam egit, cum nostris innumerabilibu deliberata malitia commissis comparare, & inde ex una p te infinitam DEI benignitatem, dum propter tot pec necdum nos ad infernum deturbavit, agnoscere, & ad ri; ex altera verò salutarem timorem concipere, ne, sicut ratione pastoralis curæ susceptæ etiam Pater es Paroch rum tuorum, aut aliorum Subditorum, ita peccatum quo tuum in illos, ob pravitatem exempli saltem, redunde que adeò graviùs etiam à DEO castigetur.

Punctum III.

Tertium est, ut exerceamur pari modo circa peccatum mortale, & particulare quodlibet (ipsum nos tertium peccatum dicemus, ut à duobus suprapositis distinguatur) considerando, quòd peccato tali vel semel duntaxat commisso, fortè detrusi sint multi ad infernum, quódque praterea propè innumeri ob delicta mea pauciora atq; leviora fortè crucientur aternis pœnis. Vnde memoriâ versandum erit, quanta sit peccati gravitas & malitia, DEVM omnium Conditorem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque est, supplicium aternum peccato justè irrogari, utpote adversus infinitam bonitatem DEI perpetrato. Postremò suscitandi sunt affectus, sicut jam dictum est.

In hoc puncto cùm S. Ignatius gravitatem peccati ex dignitate Personæ offensæ ostendat, proderit bene considerare tres titulos, ob quos specialiter DEVS per peccatum offenditur, quorum primus est titulus *Dominij*, quòd scilicet sit Rex Regum, & Dominus Dominantium. Secundus *Conditoris*, ratione cujus plùs quàm Pater amandus est, cùm ipse non corpus duntaxat, sed etiam animam dederit. Tertius *Benefactoris* maximi, specialiter propter factam Redemptionem; ex quibus consideratis facilè gravitas peccati deprehendetur; si enim in hoc Mundo tam gravia censentur læsæ Majestatis, & parricidij crimina, quàm grave esse debebit peccatum in tantum Dominum, Patrem, & Benefactorem commissum, ut non immeritò S. Augustinus dixerit: *Domine, qui te non amat, quia creatus est, infernum meruit, qui verò non amat te, quia redemptus est, meretur, ut novus pro ipso infernus fiat.* Unde 2. perpendendum erit, si tam multi propter unicum peccatum grave commissum, mox ad infernum detrusi sunt; quantum tibi beneficium iterum collatum sit à DEO, dum tot, támque gravia peccata committentem non modò non detrusit ad infernum, sed insuper tam bonam pœnitentiæ occasionem per hæc Exercitia offert, imò ultro ad eandem per tot stimulos invitat; an non vel ex hoc solo capite novum detestandi peccata, & tam bonum Dominum amandi impulsum recipies, & Sacerdotem illum imitaberis, qui, ut in vitis Patrum legitur, cùm Fi-

liam Sacerdotis Ethnici deperisset, eámque sibi in Conjugem dari petijsset, &, quia Sacerdos Ethnicus ex idoli sui mandato sic requisiverat, etiam DEVM, omnésque Cælites adjurasset, postea, ubi idolum quòd Sacerdos Ethnicus, an non Filiam suam desponsare deberet, interrogaverat, responsum audivit: *Non des illi, nec enim DEVS illum adhuc derelinquit:* adeò hoc responso compunctus est, ut in amarissimas lacrymas effusus ex illo momẽto firmissimè statuerit, Deum qui se tam graviter delinquentem, & abjurantem necdum deseruerat, nunquam ampliùs derelinquere, ídque re præstiterit.

Colloquium fiet imaginando IESVM Christum coram adesse in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem qua Creator ipse infinitus fieri creatura, & ab aterna ad temporariam mortem venire pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper meipsum percontans, quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo? quid agam tandem aut agere debeam? & in eum intuens sic cruci affixum proloquar, qua suggeret mens & affectus. Porro Colloquium proprium est, ut fiat sicut Amici sermo ad Amicum, vel servi ad Dominum, nunc gratia aliquid petendo, nunc culpam aliquam meam incusando, interdum propria, qua libet communicando, ac petendo consilium super illis, sive auxilium. Vltimò dicatur Pater noster.

Consideratio.

Prima hæc consideratio erit inspectio Status sui; ut examen instituetur inprimis circa peccata & defectus potiores, quibus adhuc obnoxius es, ut deprehensis morbis animæ, eorúmque radicibus, tantò faciliùs media adhibeantur, quæque perfecta sanitas obtineri possit.

II. Facto hoc Examine considerari breviter potest quantopere Sanitas spiritualis seu liberatio à morbis huius spiritualibus necessaria sit Sacerdoti curam Animarum gerenti; id ex eo deprehendere facilè poteris, quòd, sicut Operarijs & Artificibus temporalibus quivis morbus, vel ex etiam capite molestissimus est, quòd à sperato lucro & mercede operum ac laborum suorum impediat, ita Operario spirituali tantò gravior ac molestior accidere morbus ani-

seu peccatum debeat, quantò graviori à lucro & augmento eundem impedit, videlicet primò à lucro & incremento *gloriæ divinæ*, cujus pars minima omnibus alijs lucris etiam collectivè sumptis præferenda est: dein à lucro *propriæ salutis & meritorum*, quod itidem pluris, quàm alia lucra omnia temporalia, faciendum, cùm nihil prosit homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum faciat: & tandem *alienæ salutis* lucro, quod tanti faciendum est, quanti æstimandæ sunt ipsæ animæ, quæ omnes res alias mundi longissimè antecedunt.

III. Quia verò morbi efficaciter curari non possunt, nisi radix morbi tollatur, ideò hæc specialiter indaganda est, deprehendésque, eam tibi jam pridem à S. Jacobo c. 4. fuisse indicatam, dum dixit: *Vnde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris. Vnusquisque enim*, ut idem c. 1. ait, *tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus; deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Vide proin cujus rei concupiscentia hactenus in tantum malum te præcipitârit, an honoris, aut voluptatum, aut divitiarum? & quomodo hanc radicem extirpare possis, scilicet eâdem fermè ratione, quâ concupiscentiam noxij cujuspiam cibi tollere solemus, ut scilicet, sicut hoc in casu inprimis damna ex cibi talis sumptione oriri solita demonstramus, & postea ad cibum longè meliorem, saniorémque à nobis oblatum comedendum hortamur, ita ad internam quoque concupiscentiam rei hactenus inordinatè concupitæ tollendam, falsitatem bonitatis & damna bene perpendamus, simúlque, quàm omnis hæc apparens bonitas infinities perfectiùs in DEO possideatur, consideremus, illud sap. 13. ad præsentem materiam accommodantes: *Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant, quantò his Dominator eorum speciosior est; speciei enim Generator hæc omnia constituit.* Claudatur hæc consideratio brevi oratiunculâ, quâ & venia præteritorum peccatorum suppliciter petatur, & gratia ad eadem deinceps cum radice extirpanda flagitetur, eundémque in finem etiam SS. Patronorum & B. Virginis patrocinium imploretur.

Meditatio III.

DE PECCATIS PROPRIIS.

Finis hujus Meditationis geminus est, nimirum ut & pe
catorum nostrorum multitudinem cognoscamus, & e
rum gravitatem, ut par est, æstimare discamus. Quem
finem tria à S. Patre Ignatio motiva suggeruntur, videlic
fœditas peccati, offendentis vilitas, & offensi dignitas. Un
meritò hæc meditatio utilissima & efficacissima judicatur
peccata detestanda, utpote quæ continet præcipua moti
ad illius horrorem incitantia. Cæterùm in ipsis peccat
rememorandis rectè monent Ascetæ, ne, in materia præ
tim lubrica, personæ in memoriam accersantur, eò quòd
mor facile regrudescere soleat.

Textus S. Ignatij.

Præparatoria Oratio eadem, quæ supra.

*Prius præludium exigit constructionem loci, ut in præ
denti Meditatione.*

*Posterius verò fiet, poscendo id, quod hic quærimus, dol
rem scilicet intensum, de peccatis, atque abundantem fl
tum.*

Punctum I.

*Punctum primum sit processus quidam, per quem pecc
ta totius vitæ in memoriam revocantur, percursis gradatim
discussisque annis, & spatiis temporum singulis. Quâ in re
triplici juvamur compendio, consideratu videlicet locis ha
bitationis nostræ, conversationum modis, & officiorum sc
negotiorum, quibus functi sumus, generibus diversis.*

Punctum II.

*Secundam est, peccata ipsa perpendere, quanta sit fœdi
tas & iniquitas ex naturâ suâ, si vel prohibita non essent.*

Hæc fœditas ex tribus capitibus colligi potest. I. Quòd
peccatum sit *aversio à summo bono, & ultimato suo fine*;
unde sicut summa cujusque rei perfectio & pulchritudo in e
consistit, quod fini suo conformiter operetur, ita è contrari
si à fine suo aberret, summam fœditatem sortietur, maxim
si finis

si finis sit summus, qualis homini præfixus est. II. Quòd sit *conversio ad creaturam*, eámque loco Dei pro ultimo fine constituat; quæ inordinatio meritò fœdissima censeri debet; quis enim non fœdissimum facinus ab eo commissum diceret, qui relictis cibis optimis, ad siliquas porcorum & stercora comedenda se converteret? aut relicto fonte limpidissimo sitim ex turbidæ, fœtidæque lacunæ aquis levaret? aut amorem à specioßima Virgine ad leprosam Æthiopissam converteret? Hinc meritò Deus tam patheticis verbis hanc inordinationem & fœditatem describit, dum Jerem. 2. dicit: *Obstupescite cœli super hoc. & porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt: fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas:* III. Quòd summam gloriam suam, id est, rationis in cæteras potentias & membra imperium abjiciat, & brutorum in morem cupiditatibus serviat, quam fœditatem indicavit *S. David ps.* 48. dicens: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Punctum III.

Tertium est, considerare meipsum, quisnam aut qualis sim. additis exemplis. quæ me in majorem mei contemptum trahant, ut si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium cœtum comparatus: quid deinde sit multitudo universa mortalium, si cum Angelis, Beatisq; omnibus conferatur: post hæc attendendum est, quid rei sit tandem, quidquid est creatum præ ipso creatore. Iam quid homuncio ego unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius; pravitatem animæ, atque corporis fœditatem; ac me tanquam ulcus sive Apostema esse dicam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantáq; vitiorum lues effluxerit.

Juvabit etiam pro hoc puncto in memoriam revocare compendium brevissimum, quo hominis vilitatem S. Bernardus complexus est, dum dixit: *Quid fuit homo? sperma fœtidum. Quid est? saccus stercorum. Quid erit? cibus vermium.* An non enim hæc perpendens meritò in illa verba erumpes cum Jobo c. 14. *Et dignum ducis super hujus-*

cemo-

cemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in ju-
cium?

Punctum IV.

Quartum est, cogitare quid sit Deus, quem ita offen-
collectis, comparatisq; perfectionibus attributis Dei, ut p-
prijs, cum oppositis meis vitijs, summam scilicet ejus pot-
tiam, sapientiam, Bonitatem, & Iustitiam cum extrem-
mea infirmitate, ignorantia, malitia, & iniquitate.

Pro hoc puncto meritò S. Bernardi sententia ob oc-
habenda est s. 16. in Cant. sic loquentis: *Pensa cujus sit*
midinis & horroris tuum atque omnium contempsisse Fa-
rem, offendisse Dominum Majestatis. Majestatis est tim-
Domini est timeri, atque maximè hujus Majestatis, &
jus Domini. Nam si reum Regiæ Majestatis, quamvis
mana, humanis legibus plecti capite sancitum est, quis
contemnentium Omnipotentiam divinam erit? tan-
montes, & fumigant, & tam tremendam Majestatem
irritare vilis pulviſculus, uno levi flatu mox dispergend-
& minimè recolligendus?

Punctum V.

Quintum, in exclamationem prorumpere ex commotio-
affectus vehementi, admirando valde, quomodo creatur-
mnes (discursu facto per singulas) me sustinuerint tam-
& hucusque vivum servaverint: quomodo Angeli dirum
Iustitiæ gladium ferentes, æquo animo me tulerint, custodi-
rint, suisque etiam juverint suffragijs: quomodo pro me
tercesserint Sancti: quomodo cœlum, sol, luna, & alia sid-
ra, elementa, cunctaque animantium genera, & terra ge-
mina, debitæ vindictæ loco mihi servierint: quo demi-
modo non absorbuerit me dehiscens tellus, & mille infern-
reserans, in quibus perpetuas pœnas daturus essem.

Nec tamen in hoc solo affectu consistere debet hujus m-
ditationis fructus, sed insuper etiam efficax detestatio pr-
teritorum peccatorum, & serium propositum cavendum f-
tura eliciendum est, unde majoris facilitatis causa medit-
tio hæc in tria puncta dividi posset, & in primo quidem ip-
peccata, ut supra dictum, in memoriam revocari, eorúmq-
multitudo peculiariter perpendi, cui considerationi commo-

dè affectus admirationis supra in ultimo puncto propositus subnecti posset. In secundo puncto peccati gravitas ex triplici motivo in tribus intermediis punctis explicato indagari posset, quantopere hæc gravitas augeatur, si à sacerdote ejusmodi peccatum committatur. Primò quidem ratione *dignitatis*; sicut enim macula quævis in Attalica aut alia pretiosa veste multò fœdior censetur, quàm in crassa & rudi materia, ita peccatum quoque tantò fœdius, gravíusque reputatur, quò dignior est persona, quæ illud admisit. Secundò ratione *officij*; cùm enim ratione muneris sacerdotalis ad majorem sanctitatem, quam alij homines sectari solent, procurandam obligetur, ut dicere possit cum Christo: *Quis arguet me de peccato?* aliósque tantò liberiùs, efficaciúsque corrigere possit; hoc ipso tantò gravior erit peccati ab eo commissi malitia, quantò major erat obligatio ad eandem devitandam. Tertiò ratione *Beneficij*; cùm enim, quò majora & plura quis ab offenso beneficia accepit, tantò major censeatur offensa, quâ tantum Benefactorem lædere non horruit, meritò Sacerdotis peccata tantò graviora, fœdioráque æstimari debent, quantò majus est beneficium vocationis ad altissimum Sacerdotij statum. Quartò ratione *advertentiæ* majoris, cùm enim Sacerdos ob scientiam Theologicam magis penetrare, & æstimare peccati malitiam didicerit, hoc ipso tantò culpabilior est, si illam committat, quantò perfectiorem de ea cognitionem hausit. Unde meritò Deus ad Sacerdotem peccatorem illa Psalmistæ ps. 54. verba usurpare potest: *Si inimicus meus mihi maledixisset, sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis, Dux meus,* (id est, meo loco, ut alios duceres, constitutus) *notus meus* (ob majorem familiaritatem) *qui dulces mecum capiebas cibos* (per quotidianam cibi Eucharistici sumptionem) quòd tantopere me offenderis, meritò mihi summopere displicet.

Terminanda demum erit hæc meditatio per colloquium, extollendo infinitam Dei misericordiam, gratias pro viribus agendo, quòd vitam ad hunc usque diem prorogaverit: unde proposita in futurum mei emendatione recitabo semel Pater noster.

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione Christi legi potest lib. 4. c. 7.

Ex libro Ascetico, & historico aliquot capita.

Ex libello exercitiorum legi possunt priores Regulæ animi motus, quos diversi excitant spiritus, discernendos, boni solùm admittantur, & pellantur mali; quæ proin tantò considerativs legendæ sunt, quantò majorem inde Sacerdos notitiam hauriet, non ad se duntaxat, sed alios etiam dirigendos, ut ambo observare studeant Apostolicum monitum Joan. 1. c. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Unde pro meliori intellectu harum regularum supponendum est ex communi Ascetarum doctrina, duo esse principia, à quibus animi motus oriuntur, *internum* scilicet, quod est ipsa cujusque hominis natura, cujus motus pulchrè & fusè Thomas Kempensis l. 3. c. 54. explicat; & *externum*, quod iterum in *bonum*, quale est Deus vel Angelus, & in *malum*, quale est diabolus, subdividitur; ad quæ proinde discernenda sequentes regulæ in compendium brevitatis causâ redactæ à S. Ignatio in libello Exercitiorum sunt præscriptæ.

Regula I.

Quòd spiritus malus per illecebras carnis objectas, eos qui facilè peccant mortaliter, ad nova peccata allicere; bonus verò spiritus conscientiam pungere, & à peccato abstrahere soleat.

Regula II.

Quod homines perfectionis studiosos malus spiritus per scrupulos, tristitias, aliásque perturbationes à profectu impedire nitatur; bonus verò spiritus per consolationes, mentísque illustrationes roborare, & ad progressum incitare conetur.

Regula III.

Quòd consolatio spiritualis sit lætitia quædam animæ ex amore Creatoris sui exorta, vel certè ad eundem impellens; quæ proin, si etiam in corpus redundet, sensibilis vocatur, sin minùs, rationalis appellatur. Etsi verò ejusmodi consolationes per se bonæ sint, & meritò appetendæ, eò quòd, ut P. Petrus Faber dicere solebat, non obscurum sint gratiæ præsentis indicium, efficaciántque, ut anima hoc pabulo roborata

borata impensiùs se divino servitio mancipet; rectè tamen monent Ascetæ, non esse ijsdem nimiùm innitendum, eò quòd veniant, & vadant. Unde *verus amator* Christi, ait Thomas Kemp. l. 2. c. 9. *& studiosus sectator virtutum non curat super consolationes, nec quærit tales sensibiles dulcedines, sed magis fortes exercitationes, & pro Christo duros sustinere labores.*

Regula IV.

Quòd desolatio sit tristitia quædam animi, & obtenebratio torporem in amore & servitio Dei inducens, & ad res terrenas amplectendas instigans. Unde utiles plerumque ejusmodi desolationes esse, unanimiter docent Ascetæ, eâsque theatrum & arenam virtutis vocant, in quo præclara occasio majoris meriti, victoriæ sui, & amoris erga Deum demonstrandi offertur. Id quod egregiè more suo Thomas Kempensis l. 2. c. 9. indicavit, dum dixit: *Non est grave, humanum contemnere solatium, cùm adest divinum; magnum est, & valde magnum tam humano, quàm divino posse carere solatio, & pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere.*

Regula V.

Quòd tempore desolationis nihil, aut innovandum sit circa propositum animi, aut vitæ statum (intellige, si bonus sit hic status; si enim malus sit, utique ad emendationem impelli debebit animus, ut cum Deo in gratiam redeat) Ratio autem hujus Regulæ rectè à S. Ignatio hæc assignatur, quòd tali tempore homo à spiritu malo agitetur, cujus instigatione nunquam rectè aliquid agitur.

Regula VI.

Quòd tempore desolationis adhibenda sint media, quæ contra desolationis impulsum tendunt, qualia sunt oratio, humilitas, patientia, discussio sui, ut si per culpam quandam fortè causam dederit tali desolationi, sublatâ causâ ipse etiam effectus tollatur. Sic Christus in horto orans docuit; sic Joannes Berckmannus Societatis nostræ Scholasticus, qui, cùm desolatus erat, animum non demittebat, nec orationes, aliáque pietatis exercitia negligebat, sed ferventer Deum inter-

interpellans, redde mihi, clamabat, lætitiam salutaris tui emitte lucem & veritatem tuam. Quòd si quis putet, se ora re non posse, suadent Ascetæ, ut saltem imitetur Mendicu ulceribus plenum, qui se in terram abjicit coram Medico, v misericordi homine, &, licet verbum nullum dicat, oculi vultu, & ipsis ulceribus perorat.

Regula VII.

Quòd, quamdiu desolatio præsens est, cogitandum s nos probationis causâ nobis ipsis relinqui, ut per naturale quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus. Quod men Riccius p. 3. tr. 3 c. 8. rarò contingere putat, eò quo non soleat Deus imbecillibus humeris tam grave onus i ponere. Sed & illud firmiter persuadendum est, non soli naturalibus viribus in tali casu hominem relinqui, sed ver etiam gratiam & auxilium divinum adesse, licet ob defe ctum fervoris & consolationis non ita sentiatur.

Regula VIII.

Quod ad desolationes, ut par est, sustinendas, singulariss prosit patientiæ studium, & spes secuturæ brevi iterum con solationis; uti jam olim etiam pius Asceta suasit l. 2. c. dicens: *Cùm ablata fuerit consolatio; non statim desperes sed cum humilitate & patientia expecta cælestem visitatio nem, quoniam potens est Deus ampliorem tibi redonare con solationem. Illud non est novum, nec alienum viam Dei ex pertis, quia in magnis Sanctis: & in antiquis Prophetis fa sæpe talis alternationis modus.* Hinc Riccius l. c. monet ejusmodi desolatum, etsi speret redituram consolationem sẽper tamen paratum esse debere ad novas desolationes, in persuadere sibi debere, plures fore desolationes, quàm con solationes, eò quòd ejusmodi desolationes sint singularia s gna divinæ providentiæ, & maximi erga nos amoris indicia nostræ humilitatis fomenta, virtutis experimenta, seges me ritorum, & præcipuum adjumentum ad perfectionem.

Regula IX.

Quòd tres sint præcipuæ causæ desolationis, nempe castigetur tepiditas in spiritualibus Exercitijs: ut probetu hom

homo, num gratis velit servire Deo: & ut agnoscat consolationes, & fervorem devotionis gratuita esse dona Dei, non nostris meritis debita. Unde sæpe citatus pius Asceta l. 2. c. 9. ait: *Cùm igitur spiritualis à Deo consolatio datur, cum gratiarum actione accipe eam, sed Dei munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimium gaudere, nec inaniter præsumere, sed esto magis humilior ex dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio.* Ex his tamen tribus causis posteriores duæ plerumque in ijs duntaxat, qui virtuti impensiùs student, locum habent, prima verò potissimam causam desolationibus præbet, maximè si ad teporem, uti communiter fieri solet, etiam inordinatus amor ad res aliquas creatas accedat; uti iterum bene advertit Thomas Kempensis, l. 1. c. 21. dum ait: *Quòd divinas* (consolationes) *non habemus, aut variùs sentimus, nos in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas omnino abjicimus.*

Regula X.

Quòd is, qui consolatione fruitur, prospicere debeat, quomodo gerere se velit, si desolatio succedat, ut ad illam debito modo supportandam præparare se possit; quod consilium jam olim etiam pius Asceta l. 3. c. 7. approbavit dicens: *Consilium bonum est, ut fervoris spiritu concepto, mediteris, quid futurum sit abscedente lumine.*

Regula XI.

Quòd affluente consolatione meminisse debeat, quàm ignavus sit & pusillanimis desolatione ingruente, ne complacentiam, quæ consolationes plerumque sequitur, admittat, sicque collatum gratuitò donum amittere mereatur; *qui enim pacis tempore nimis securus esse voluerit, sæpe tempore belli nimis dejectus & formidolosus reperietur.* Ait iterum Thomas Kempensis loco cit. Hinc mox in Persona Dei addit: *Si scires semper humilis & modicus in te permanere, nec non spiritum tuum bene moderari & regere, non incideres tam citò in periculum & offensam.* Sicut autem tempore consolationis animum deprimere, ita, ubi desola-

tio ingruit, eundem per ſpem adfuturæ gratiæ divinæ erige re debet, memor, quòd non patiatur tentari Deus homine ſupra id, quod poteſt, ſed faciat etiam cum tentatione pro ventum.

Regula XII.

Quòd dæmon conſuetudinem imbellis mulieris imitetur quæ mox abjicit animum, ſi maritum erecto animo, vultúq advertit obſiſtere; ſecus, ſi timidum eſſe cognoſcat. Sic nempe & dæmon, eſt leo, ſi cedas: ſi ſtas, ut muſca recedit. Hinc S. Jacobus c. 4. hortatur: *Reſiſtite Diabolo, & fugie à vobis.*

Regula XIII.

Quòd idem dæmon vehementer laboret, ne fraudulent ſuæ ſuggeſtiones Viris ſpiritualibus detegantur, perinde ac impuri amatores virginem ſeducere volentes ſummopere procurant, ne ſua conſilia parentibus innoteſcant, quia unu que hoc pacto de conatibus ſuis actum putat. Hinc alijs pe dorem ac verecundiam, ſeu præpoſteram reverentiam eo rum, quibus ſecreta eſſent aperienda, alijs ſuſpicionem, diffi dentiam & timorem objicit: nonnullos abalienat ab ijs quos deberent conſulere, alios vanâ ſui fiduciâ fallit, ut ex ſtiment hujusmodi detectionem ſibi non adeò eſſe neceſſa riam.

Regula XIV.

Quòd idem dæmon iterum imitetur belli ducem, qui ar cem quampiam oppugnaturus, explorat, quænam pars mu nium præ cæteris ſit maximè debilis, & ex eo loco arcem op pugnat, ut proin circa illa vitia, in quibus vincendis max mè ſe adhuc debilem eſſe advertit, præcipuè vigilandum fortitérque contra inſultus Adverſarij pugnandum ſit.

Materia Scriptionis.

Cùm totus hic dies in indagandis proprijs peccatis, eo rúmque radicibus conſumendus ſit, atque adeò ad confeſſi nem etiam generalem ab ultima ſaltem ſimili confeſſione ſ ctam præparatio ſuadeatur, utiliter quoque hodie pro ma teria ſcriptionis hæc ipſa peccatorum annotatio cum remed

ex meditatione hauſtis, aſſumetur, ut vel ex ipſa ſcriptione peccatorum ſuorum cumulum clariùs cognoſcat, atque adeò ad majorem pudorem & dolorem excitetur.

SECUNDA DIES.

SCopus hujus diei eſt, ſalutaria media contra peccatum præparare; quia verò inter hæc media non poſtremum jure merito cenſetur noviſſimorum conſideratio, uti Deus ipſe per Siracidem c. 7. indicavit dicentem: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Et iterum Deut. 32. c. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent.* hinc poſt peccatorum conſiderationem communiter meditationes de prioribus ſaltem tribus noviſſimis, utpote quæ magis ad compunctionem & horrorem peccatorum ingenerandum conducere videntur, morte videlicet, judicio, & inferno inſtituuntur. Etſi verò S. Ignatius nec de morte, nec de judicio ullam meditationem libello exercitiorum inſeruerit, expreſsè tamen poſt quintum Exercitium monet, ſi viſum fuerit expedire ad profectum eorum, qui exercentur, poſſe alias meditationes de morte, & judicio adjici.

Theſſera.

Eſtote parati, quia horâ quâ non putatis, Filius hominis veniet. Luc. 12.

MEDITATIO I.

DE MORTE SACERDOTIS

Præludium I. eſt, proponere ſibi ob oculos, hominem in lecto jacentem, & morti vicinum, atque ex una parte quidem Angelum Cuſtodem, ex altera verò cacodæmones aſſtantes, & animæ egreſſum ſollicitè expectantes.

Præludium II. Eſt petere à Deo gratiam, quâ & mortis acerbitatem ritè cognoſcere, &, quænam ad eam ſanctè obeundam præparatio adhibenda ſit, ritè cognoſcere queas.

Punctum I.

Conſidera I. tres primarias conditiones mortis, videli-

cet quòd I. *sit certissima quoad substantiam*; cùm statutum sit omnibus hominibus semel mori, teste Apostolo c. 9. ad Hebr. & sicut in Adamo omnes peccavimus, ita per peccatum quoque illius mors in omnes transierit. II. Quòd non *certissima sit quoad circumstantiam* temporis, loci, & modi; unde rectè Thomas Kempensis l. 1. c. 23. ait: *Ah stulte, quid cogitas, te diu victurum, cùm nullum diem habeas securum? quàm multi decepti sunt, & insperatè de corpore extracti? Quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interijt, & sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam umbra subitò pertransit. III. Acerbissima quoad præsentiam*, quia corpus morbis & doloribus, anima per conscientiam præteritorum, & metu futurorum usque adeò angustiabitur, ut meritò cum S. Davide ps. 17. exclamare possit moribundus: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me: præoccupaverunt me laquei mortis*; nec immeritò aliqui cum Aristotele, mortem omnium terribilium terribilissimum dicant, maximè si quis priùs opibus, voluptatibus, honoribus, aut caris hominibus inordinato amore adhæserit, & hæc omnia tunc derelicta quenda esse cognoverit, tunc enim verè implebitur, quæ Siracides c. 41. dixit: *O mors, quàm amara est memoria tui, homini pacem habenti in substantia sua.*

Considera II. Quàm meritò proinde Christus Luc. 12. mortem semper præ oculis habendam, & dignam præparationem suscipiendam hortatus sit dicens: *Estote parati, quia horâ, quâ non putatis, Filius hominis veniet*; cùm planè morte pendeat felix aut infelix æternitas; nullâque sit magna satis securitas, ubi periclitatur æternitas.

Considera III. An & quomodo tu mortem ob oculos habueris, & deinceps habere velis, saluberrimum S. Bernardi consilium med. c. 3. sequens: *Quoniam igitur mors te ubique exspectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam exspectabis*: Sic enim mors ipsa, cùm venerit, vincetur, & priùs, quàm venerit, semper timeatur, ut sapienter S. Gr[illegible]

gorius hom. 33. in Evang. advertit. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Qualem præparationem ad mortem Christus suaserit, nimirum ut sint lumbi nostri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus nostris, id est, ut & ab omni rerum terrenarum inordinato usu, atque adeò ab ipso etiam peccato abstineamus, & magno fervore, caritatis opera tam erga Deum, quàm erga proximum exerceamus; hoc enim est lumbos præcinctos habere, & lucernas ardentes in manibus tenere.

Considera II. Quàm solida & apta sit hæc præparatio ad beatam mortem obtinendam, cùm mors sit Echo ipsius vitæ, ideóque *non possit*, teste S. Augustino de doctr. Christ. *male mori, qui bene vixerit*; unde meritò Thomas Kempensis l. 1. c. 23. ait: *Quàm fœlix & prudens, qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte.* Quis enim in morte non optaret optimè, sanctissimèque vixisse?

Considera III. Quàm felix ex hoc capite sit Sacerdotum status, ut qui ob dignitatem talis status tam præclaram offerat occasionem, & obligationem tam ad charitatem erga Deum, quàm ad charitatem erga proximum exercendam, quàmque adeò solicitè vocationi suæ satisfacere, nec se tantum prædicto modo ad beatam mortem præparare, sed etiam alios ad eundem finem juvare, sícque moribundis promptè & constanter assistere debeat, ut Deus illi pari mensura remetiatur, beatámque mortem perinde concedat, ac alijs ipse procuravit. Colloquium ad B. Virginem rogando, ut, sicut Mater Machabæorum olim septem Filios ad mortem fortiter obeundam animavit, ita ipsa quoque in terribili mortis agone fideliter assistere, atque ad extremam luctam fortiter peragendam animare, & juvare dignetur.

Punctum III.

Considera I. Quàm pretiosa in conspectu Domini futura sit mors, quàm talis præparatio præcessit; *pretiosa planè*, inquit D. Bernardus in Epist. *Quia finis laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.* unde etiam Apocalypsis 14. dicitur: *Beati mortui, qui in*

Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requ
scant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur il
Et verò etiam ipse Christus in Parabola Luc. 12. de ser
vigilante proposita indicavit, dum dixit: *Beatus ille serv*
quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem. Am
dico vobis super omnia bona constituet eum.

Considera II. Si tantò jucundior est quies, quantò g
viores labores præcesserunt: si tantò glorioſior & jucund
victoria, quantò difficilius certamen præcessit: si tantò d
nique merces amplior, quantò præstantiora obsequia s
exhibita; quàm beata, quam jucunda, quàm glorioſa m
Sacerdotis esse debeat, quam tam laborioſa vita inter pr
stantissima geminæ caritatis exercitia feliciter exacta
tam multiplex ac difficile certamen tam ante, quàm in m
te præcessit. An non cum insigni lætitia in illa S. Paul
Tim. 4. verba erumpet: *Bonum certamen certavi, fid*
servavi, cursum consummavi; de reliquo reposita est m
corona justitiæ &c.

Considera III. An non hæc ipsa causa sufficiens tibi e
possit, ut totis viribus deinceps vocationi tuæ satisfacere
omnia boni Sacerdotis officia singulari studio implere
neris, illud Balaami num. 23. usurpans: *Moriatur an*
mea morte justorum, (& zeloſorum Sacerdotum) *& fi*
novissima mea horum similia.

Colloquium instituetur ad Christum, rogando illum p
beatissimam mortem suam, ut & tibi priùs gratiam rectè
vendi, & postea etiam bene moriendi concedere dignetur.

Meditatio II.

De extremo judicio.

Punctum I.

Considera I. Quòd quatuor præcipuè capita judicium
liquod metuendum faciant, severitas scilicet Judicis, acc
santium vehementia, adstantium multitudo & authorit
sententiæ pronuntiatio; quódque hæc omnia speciali qu
dam ratione in extremo judicio concurrant. Nam I. Ju
erit severissimus triplici ex capite, nempe quia de om
ver

verbo & cogitatione, ac opere rationem reddet, & ipsas etiam justitias judicabit: deinde quia severissimam pœnam exiget, de omni delicto: & tandem quia inflexibilis est, &, ut S. Augustinus l. 3. de symb. loquitur, nec gratiâ prævenitur, nec misericordiâ flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec pœnitentiâ mitigatur. II. Accusantes erunt non tantùm dæmones, qui tantò ferocius insultabunt, quantò majori in hominem quemvis odio, invidiâque flagrant; sed etiam SS. Angeli Custodes, imò ipsa propria conscientia, quorum salutaria monita ac stimulos tam imprudenter negleximus, ut verè adeò de his dici nunc queat: *Inimici hominis domestici ejus.* III. Adstantes erunt omnes Sancti sed & omnes reliqui homines ad infernum damnati, qui non modò propria sua, sed tua etiam opera, quæ occultissima olim putabas, cognoscent, justissimúmque Dei judicium approbabunt. IV. tandem sententia vel ex eo capite singulariter metuenda erit, quod per eam quisque ad æternitatem vel felicissimam, vel miserrimam sit damnandus, nec ulla ab ea appellatio, vel mutatio unquam sit speranda, sed, ut Ecclesiastes c. 11. prædixit, *si ceciderit lignum ad Austrum vel Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* per totam æternitatem, ut adeò verè de hoc die dixerit Propheta Joel c. 2. *magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?*

Considera II. Si dies hic tam metuendus sit futurus etiam ijs, qui de se ipsis tantùm rationem reddere debebunt, quantopere eum timere debeant Sacerdotes curam animarum gerentes, atque adeò de omnibus istis animabus rationem reddituri? cùm unius animæ salus tanti facienda sit, teste S. Chrysostomo hom. 3. in c. 1. act. ut nulla ratio possit existimare.

Considera III. quàm æquum sit, ut deinceps tibi illam Servatoris admonitionem Luc. 21. applices: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt.* Vide ergo, quomodo te ad hoc Judicium præparare debeas, & velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quæ potissimùm media conducant ad leniendum judicem & favorabilem sententiam obtinendam,

nimirùm si bonam causam, bonos Advocatos, & amicum Judicem habeat.

Considera II. quæ sit bona causa respectu supremi Judicij, si videlicet aut nulla culpa committa sit, aut certè per debitam pœnitentiam deleta; cùm Deus judicare non soleat illos, qui seipsos in hac vita per pœnitentiam dijudicare solent, uti S. Paulus 1.Cor. 11. dixit. Quinam item optimi Advocati, nempe B Virgo, aliíque Cœlites, quos pio & constanti cultu, aliísque obsequijs demereri nobis studuimus. Quæ denique amicitia Judicem lenire maximè soleat, si videlicet nostrum erga ipsum amorem tum per varias tribulationes pro & cum ipso toleratas, tum per varia opera charitatis & misericordiæ proximo exhibita ostenderimus; sic enim quoad primum amicitiæ indicium testatus est Thomas Kemp. l. 2. c. 12. dum dixit: *Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes servi crucis, qui se crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum Iudicem cum magna fiducia.* Quoad alterum verò indicium id satis clarè Christus ipse confirmavit, dum Matt. 24. dixit, se ideò electos ad beatitudinis regnum vocaturum, eò quòd misericordiæ opera erga alios exercuerint, ipse autem, quod Uni ex minimis suis præstitum fuit, sibi factum reputet.

Considera III. Quàm vel ex hoc etiam capite Sacerdotum status felicissimus sit judicandus, quòd tam præclaram habeat occasionem & sanctiùs vivendi, & cælites, quorum laudes & honorem varijs modis celebrare & promovere soleat, sibi demerendi, & opera misericordiæ non solùm corporalia, sed etiam spiritualia utpote longè præstantiora exercendi. Vide proin, quomodo hæc media hactenus usurpata & usurpare deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quanta gloria & honor Sanctis sit obventurus ex eo, quòd tota eorum vita inter tam præclaras victorias, aliáque præstantia facinora transacta omnibus hominibus & Angelis manifestabitur: quando stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Et hi ipsi videntes tâm

bitam

bitam mutationem turbabuntur timore horribili in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam (ſed ſeram, & infructuoſam) agentes, & præ anguſtia Spiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter Filios DEI, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Sap. 5.

Conſidera II. Si Homines tanta agunt, & patiuntur in hoc Mundo, ut gloriam falſam, vanam, & brevem apud paucos homines, ad quos fama facti perventura eſt, ſibi comparent, quid te facere oporteat, ut gloriam veram & immortalem, apud DEVM & Angelos, ac Homines omnes obtinendam promereatis.

Conſidera III. Cùm Sacerdotalis Status ſicut dignitate & officio longè Statibus alijs præcellit, ita opera quoque longè præſtantiora exercendi occaſionem multò crebriorem offerat, quantopere tu iterum ob vocationem ad hunc Statum gaudere, DEO gratias agere, atque ut Sacerdotum optimorum glorioſum exitum conſiderans, veſtigiis eorundem acriter inſiſtas, in illa Joſephi & Azariæ Machabæorum l. 1. c. 5. verba erumpere debeas: *Faciamus & nos nobis nomen, & eamus pugnare adverſus Gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt,* gloriámque DEI, & noſtram, aliorúmque ſalutem impedire moliuntur.

Colloquium ad Chriſtum illa Eccleſiæ verba cum affectu ſingulari uſurpando: *Iuſte Iudex ultionis, donum fac remiſſionis ante diem rationis. Ingemiſco tanquam reus, culpâ rubet vultus meus, Supplicanti parce DEVS. Recordare IESV pie, quòd ſum cauſa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Quærens me ſedisti laſſus, redemiſti crucem paſſus, tantus labor non ſit caſſus.*

Conſideratio.

De Linguæ Cuſtodia.

In hac conſideratione, quæ ideo hîc præſcribitur, quòd experientiâ conſtet, nullo ferè membro frequentiùs & gravius delinquere Sacerdotes quàm lingua, cùm tamen ut infrà mox dicetur, illi præ alijs in linguæ cuſtodia ſeu arte lo-

quendi excellere deberent, tria præcipuè perpendenda su

Primò in quibus præcipuè capitibus linguæ custodia co sistat, videlicet in sequentibus tribus. 1. Ut *considerate* l quaris; quem in finem aliqui suadent, ut os perinde ut loc los pecuniâ plenos aperiamus, atque adeò, sicut antè, qua pecuniam ex loculis promamus, priùs, an necessitas, utilit aut charitas id exigant, perpendimus, ita idipsum antè, qui os referemus, consideremus; unde sicut Religiosus quidam ne temerè è cella exiret, ostio cellæ hæc tria verba: *Neces tas, Vtilitas, Charitas:* inscripsit, ut hac ratione semper m miniſſet, quæ causa ad cellam deserendam impellere debe ita Sacerdos quoque eadem tria verba ori suo quasi insc imaginari, per eáque ad consideratè loquendum impell se debet. 2. Eadem ars loquendi requirit, ut *graviter* l quaris, id est, ut ab omni verbo vano, levi, minùs hone & ædificatorio studiosè abstineas; nam, ut sapienter adve Hugo l. 2. de anima, *Vanus sermo Vanæ conscientiæ in dex, mores hominis lingua pandit; qualis sermo ostendit talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cor loquitur.* Nimirum sicut, si dolium vini percussum, alte sonet, signum est, parùm aut nihil vini in eo contineri, Sacerdos in levia & vana verba prorumpere solitus clar indicium præbet, parùm se de virtute ac perfectione possi re, atque adeò authoritatem suam, famámque non modi imminuit. 3. Ut *charitativè* loquaris, atque adeò, sic alios tecum & de te loqui optares, ita & tu cum & de alio nimirum mansuetè, & honorificè, sermonem misceas, qu in finem cavendum erit, ut neque divinum Numen blasp mijs aut juramentis illicitis, neque Proximum convitijs, d tractionibus, murmurationibus, mordacibúsve, aut aspe verbis lædas, memor semper sapientissimi moniti à Tob Seniore Filio dati c. 4. *Quod ab alio oderis fieri, vide, ne a quando alteri facias.*

Secundò perpendendum est, quare Sacerdos specialit linguam diligenter custodire, artémque loquendi studio addiscere debeat, nempe quia hoc ipso, quòd Sacerdotij O dinem & curam pastoralem susceperit, etiam obligatione offerendi Sacrificij, Officij divini recitandi, Verbi div prædicandi, & Sacramenta administrandi susceperit, qu

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mnia munera cùm per linguam velut primarium membrum peragantur, an non meritò dici potest, illius linguam specialiter DEO consecratam, atque adeò indecens esse, ut ad profana & mala verba adhibeatur. Id quod bene S. Bernardus agnovit, dum sequentem notatu sanè dignissimam sententiam pronuntiavit: *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: inter Sacerdotes blasphemiæ. Consecrâsti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuefacere sacrilegum.* Sacerdotibus ergo præ omnibus alijs illud Eph. 4. observandum est: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem, ut det gratiam audientibus.* Atque adeò vera manet S. Jacobi c. 1. sententia: *Si quis putat se Religiosum* (& Sacerdotem) *esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio.*

Tertiò tandem perpendendum erit, quodnam sit Medium ad artem hanc addiscendam. Unum vel alterum suggero. Primum est, Spiritum sanctum in Magistrum eligere, ejúsque gratiam frequenter, sed tum maximè, cùm loquendum est, per breve suspirium invocare. Quàm bene namque, & quàm celeriter hanc artem doceat, S. Lucas Act. 2. indicavit dicens: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* Quàm necessarium verò sit hoc medium, ipse jam olim Salomon Prov. 16. ostendit dicens: *Hominis est animam preparare, & Domini gubernare linguam,* utpote quam, teste S. Jacobo c. 3. nullus hominum domare potest; atque adeò ad DEVM confugiendum est, qui domet illam, ut rectè S. Augustinus concludit. Secundum est *Silentij accurata observatio*; hinc enim duo habentur commoda, nempe ut, dum alios libentiùs audimus, artem rectè loquendi ab ipsis addiscamus; &, dum veloces ad loquendum non sumus, spatium considerandi verba habeamus, sícque tam facilè non delinquamus. Hoc remedium jam olim pijssimus Asceta l. 1. c. 20. docuit dicens: *Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet; in multiloquio namque non deerit peccatum*, teste Salomone Prov. 10. Tertium esse potest *fervoris in divino servitio augmentum*; cùm enim causa potissima, cur tam libenter loquamur, teste eodem Asceta l. 1. c. 10. sit ista, quòd, cùm per amorem DEO minùs perfectè adhæreamus, per mutuas locutiones invicem consolari quæramus, & cor

diver-

diversis cogitationibus fatigatum relevare optemus, cau-
hæc seu radix per fervorem talem penitus tollitur; tunc enim
sicut cor DEO, & divinis rebus plenum erit, atque in ijs so-
lis consolationem suam quærit, & quiescit, ita quoque e
abundantia hac cordis nonnisi divina loqui discet. Unde s.
ctè cit. Author dixit: *Malus usus & negligentia cordis no-
stri multùm facit ad incustodiam oris nostri.*

Meditatio III.

IN INFERNO.

Textus S. Ignatij.

*Præludium primum hic habet compositionem loci, subje-
ctà oculis imaginationis, inferni longitudine, latitudine
& profunditate.*

*Præludium secundum consistit in poscenda intima pœna-
rum, quas damnati luunt, apprehensione, ut, si quando mi-
ceperit amoris divini oblivio, saltem à peccatis supplicij ti-
mor coërceat.*

*Punctum I. Est spectare per imaginationem vasta infe-
rorum incendia, & animas igneis quibusdam corporibus
velut ergastulis inclusas.*

*Punctum II. Audire imaginariè planctus, ejulatus, bla-
siferationes, atque blasphemias in Christum, & Sanctos
ejus, illinc erumpentes.*

*Punctum III. Imaginario etiam olfactu fumum, sul-
phur, & sentinæ cujusdam seu facis atque putredinis gravo-
lentiam persentire.*

*Punctum IV. Gustare similiter res amarissimas, ut lacry-
mas, rancorem, conscientiæq; vermem.*

*Punctum V. Tangere quodammodo ignes illos, quorum
tactu anima ipsa amburuntur.*

*Colloquendo interim cum Christo, in memoriam adducen-
da erunt illorum animæ, qui ad inferni pœnas damnati
sunt, vel quia credere noluerunt adventum Christi; vel, li-
cet crederent, non tamen conformem præceptis ejus vitam
exegerunt, idq; vel ante adventum Christi, vel eodem tem-
pore, quo vixit Christus in hoc Mundo, vel post illud deincep-
Gratia postremò agenda sunt eidem Christo quàm maximè
quòd

quòd in tale quodpiam exitium non permiserit me corruere, sed potius ad hunc usque diem summa pietate ac misericordia me prosecutus sit. Finis imponetur dicto Pater noster.

Circa hanc Meditationem duo obiter sunt notanda. Primum est, quòd S. Ignatius infernum hîc proposuerit secundùm illam constitutionem, quam post diem judicij sortietur; procedit enim per pœnas sensuum corporeorum, ex quibus in pœnas animæ commodiùs descendere licebit.

Alterum est, eundem S. Patrem in hoc Exercitio specialem quendam modum meditandi, qui *applicatio sensuum* vocatur, adhibuisse, qui modus in eo consistit, ut propositâ certâ quâpiam materiâ, imaginemur nos oculis videre Personas, de quibus agitur, & notatis, quæ circa eas occurrunt, circumstantijs utilitatem aliquam elicere: deinde audire, quid loquantur, aut loqui eas deceat: postea interiore quodam gustu & olfactu sentire, quæ sit suavitas vel fœtor illarum Personarum: & tandem per internum tactum attrectare, & vel venerari, vel detestari loca, vestigia, aliáque ad tales Personas spectantia, omnia in usum nostrum & utilitatem trahendo, ut ipse S. Pater in alia materia, nempe in quinta Contemplatione secundæ hebdomadæ ostendit.

Etsi verò hæc Meditatio copiosam suggeret meditandi materiam, quia tamen unam duntaxat pœnam, sensûs videlicet, continet, ideo ut Sacerdos totam Inferni constitutionem clariùs cognoscat, sibíque applicare sciat, poterit sequentia tria puncta considerare.

Punctum I.

Considera 1. Quid propriè sit Infernus, videlicet locus, in quo damnati debitas scelerum suorum pœnas luunt, & in quo est *omnis mali præsentia, omnis boni absentia, omnis pœnæ indesinentia*, quibus tribus versiculis breviter simul, & sufficienter tota Inferni constitutio explicatur, ut consideranti patebit.

Considera 2. Quàm gravia sint mala, quæ in Inferno damnati patiuntur, videlicet talia, quibus omnia tormenta & dolores, quos omnes homines collectivè accepti passi sunt, aut patientur in hoc Mundo comparati, merissima refrige-

frigeria censeri debeant; de quibus jure dici possit, quòd ne oculus ea viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis a cenderint, unde meritò Hugo l. 4. de anima dixit, Infernum esse lacum sine mensura profundum sine fundo, plenum ardore incomparabili, plenum fœtore intolerabili, plenum dolore innumerabili, ubi miseria, tenebræ, ordo nullus, horror æternus, nulla spes boni, nulla mali desperatio. Et verò ob hoc sit intolerabilis gehenna, tamen si mille, inquit S. Chrysostomus, gehennæ fingantur, nihil erunt in comparatione pœnæ, quæ omnis boni absentiam affert, & damnatos à visione beatifica Deitatis arcet; si enim Anna Tobiæ Vxor absentiam Filij irremediabilibus lacrymis deplorabat dicens: *Heu, heu me, Fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ. Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Quantò magis damnati irremediabilibus lacrymis absentiam perpetuam summi boni deplorabunt. Verùm & hæc pœna, licet maxima, tolerabilis adhuc foret, si non tertia scilicet indesinentia & æternitas accederet; cùm enim omnium malorum levamen sit spes finis secuturi, hâc profectò sublatâ tantò magis aggravari necesse est malum, quantò certiùs est, nunquam desiturum, uti in pœnis damnatorum certissimum est; nam ut rectè S. Gregorius in moral. dixit: *ad districti Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careat supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; & ut nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.*

Considera 3. Quàm graves tibi jure meritò hæc considératio stimulos addere debeat, ut non ipse modò has pœnas studiosè devites, sed etiam, ne animæ tuæ curæ commissæ aliæque in easdem pœnas veniant, sedulò cooperandi; si enim dives Epulo tam sollicitus fuit, ne Fratres sui carnales sui in hunc locum venirent, quantò magis tu sollicitus esse debebis, ut Fratres tui spirituales, quorum cognatio longè præstantior est, in pœnas has intolerabiles ruant. Colloquium ad SS. Patronos.

Pur-

Punctum II.

Considera 1. Quàm magnum beneficium tibi à DEO collatum sit, dum, postquam toties hactenus Infernum meritus fuisses, non modò ad Inferos non detrusit, sed tempus adhuc pœnitentiæ tam benignè concessit. Ut verò hujus beneficij magnitudinem meliùs agnoscas, finge hominem quempiam ob gravissima scelera morti crudelissimæ adjudicatum, quovis momento destinatum supplicium exspectare; ad hunc verò subitò Famulum à Rege mitti, qui nuntiet, Regem illius misericordiâ tactum, paratum esse omnem pœnam ei remittere, si veniam delicti pœnitens petat, & loco acerbissimæ mortis unicum colaphum patienter sustineat; quin imò si hoc fecerit, omnia ei bona ablata restituenda, aliáque plura conferenda, ac denique in Filium adoptivum & Hæredem Regni assumptum iri; quo gaudio putas hunc Nuntium à captivo tali acceptum iri? quantâ alacritate colaphum exceptum? quàm grato animo beneficium hoc agniturum? quanto amore in Regem talem exarsurũ? quàm sedulò cauturum, ne tantum Benefactorem unquam ampliùs offenderet?

Considera 2. An non eadem tibi gratia modo tantò perfectiori à DEO facta sit, quantò gravius erat supplicium ad quod ob peccatum mortale fueras destinatus; & quantò præstantiora sunt bona, quæ tibi sunt restituta, vel de novo collata; & quantò nobilius est regnum, cujus possessio tibi promissa est: & quantò sæpius denique post repetitos lapsus iterum in gratiam susceptus es.

Considera 3. Quàm æquum proinde sit, ut & tu beneficium tale animo gratissimo agnoscas, in Benefactorem singulari amore exardescas, nunquam deinceps ampliùs offendas, & omnes adversitates, in quas æternam pœnam commutavit, magna cum patientia, gaudióque sustineas. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera 1. Quæ remedia adhibere debeas ad Inferni pœnas devitandas. An non sequentia tria placebunt. 1. *Voluntatis propriæ abnegatio*: hoc enim medium velut optimum S. Bernardus ser. 3. de Resurr. suasit dicens: *Cesset voluntas*

luntas propria, & infernus non erit. In quem enim de
viet ignis ille, nisi in propriam voluntatem? 2. *Record*
tio crebra gehennæ: sic enim, ut Psalmista Psal. 76. ait, d
scendes in Infernum vivens, ne mortuus descendere coga
non enim sinit in gehennam incidere gehennæ recordatio
ste S. Joanne Chrysostomo. 3. *Zelus animarum:* c
enim hoc opus sit præstantissimum genus Misericordi
Eleemosynæ, de illa meritò verificatur, quod Tobias c.
pronuntiavit: *Eleemosyna à peccato, & à morte liberat,*
non patietur animam ire in tenebras. Cùm enim per
lum hunc tot animas à gehenna liberare studeas, & alium
Christus, quod uni ex minimis factum est, sibi factum rep
tet, æquum sanè est, ut, quod beneficium sibi toties exhi
tum censet Christus, hoc etiam vicissim exhibeat, ut, q
mensurâ mensi fuerimus, eâdem remetiatur iterum, ut ja
olim Luc. 6. promisit. Hinc S. Jacobus c. 5. dixit: *Qui co*
verti fecerit peccatorem ab errore suo, salvabit animam ej
à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Considera 2. Quàm apta & efficacia sint hæc media a
optatum finem liberationis à gehenna obtinendum, qua
que adeò vel hoc titulo iterum in animarum salutem incu
bere studiosè debeas, maximè cùm ipse Christus S. Catha
Senensi Dial. c. 29. dixerit: *Ego vos affectuosè deprecor,*
assiduè me rogetis pro salute peccatorum, quorum à vobis ex
go sudores atque lacrymosas orationes, ut eis impendam,
opto, misericordiam gratiosam.

Considera 3. Quomodo hæc media hactenus adhibue
& adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum,
suprà.

Materia Lectionis.

Ex libello de Imitatione Christi l. 1. c. 21.

Ex libro ordinario, quantùm tempus, & occupation
aliæ patiuntur.

Ex libello Exercitiorum ea, quæ S. Ignatius de utroq
Examine Conscientiæ, generali scilicet & partiali scrip
reliquit, & statim Fundamento subjunxit, ut indicaret, cu
qui exercetur, maturè circa hæc bina Examina instruend
atque ut ea velut præcipua media ad purgationem anim

studio

studiosè usurpet, seriò admonendum esse. Ut autem ea, quæ ibi dicuntur, meliùs intelligantur, hæc, quæ subijcio breviter notanda sunt.

Primò per Conscientiam hoc loco nihil aliud intelligi, quàm dictamen & judicium intellectûs, quo aliquid bene vel malè factum esse judicamus. Hinc cùm hoc dictamen nos malè fecisse dictat, Conscientia nos reprehendere dicitur: cùm imperatum quid esse dictat, ligare: cùm scrupulum commissi peccati ingerit, remordere: cùm denique nihil nos peccâsse judicat, absolvere censetur.

Secundò notandum, hanc Conscientiam tunc examinari censeri, quando per intellectum & memoriam super actiones à nobis perpetratas, itémque super verba & cogitationes nostras non nudè duntaxat nos reflectimus, sed insuper etiam errores, quos à nobis commissos fuisse deprehendimus, detestamur, propositúmque firmum concipimus deinceps sedulò eosdem devitandi, & corrigendi. Unde meritò Examen hoc judicio simile dicitur, in quo nos ipsos coram DEO dijudicamus, ut in altera vita ab eodem ampliùs non judicemur, quoad culpam intellige. Hinc rectè S. Augustinus in l. de utilit. agenda pœnit. monet: *In tribunal mentis tuæ ascende, & reum te constitue ante te. Noli te ponere post te, ne DEVS ponat te ante te.*

Tertiò notandum duplex ejusmodi Examen à S. Ignatio hic præscribi, *generale* scilicet, quod ad omnium delictorum purgationem adhibetur; & *particulare*, quod ad singularis alicujus delicti emendationem instituitur; quæ utraque, quanti æstimanda, & quomodo facienda sint, suprà in primæ partis primo capite fusiùs ostensum est, quæ proinde hoc loco utiliter legi possunt.

Materia Scriptionis.

Materiam Scriptioni hoc die accepta à divina bonitate beneficia dabunt, quæ quidem ut sedulò annotentur, & suo tempore relegantur, sequentes quatuor rationes persuadere possunt. 1. Quòd talis annotatio ad negotiationem spiritualem vel maximè pertineat; ut enim Mercatores, ut faciliùs lucrum vel damnum suæ negotiationis faciliùs cognoscant, non tantùm expensum, sed etiam acceptum diligen-

ter annotant, ita eandem induſtriam à Negotiatore quoq ſpirituali adhiberi convenit. 2. Quòd eadem annotatio gratias DEO pro tot beneficiis frequentet & ferventer age das vehementer impellat, & hoc ipſo ad plura beneficia i petranda diſponat; cùm, ut Caſſiodorus epiſt. 4. rectè adve tit, *invitet ad magna, qui gratanter ſuſcipit modica; ſpem de futuris recipiat, qui tranſacta beneficia recogno* Ideò certè non poſſunt in nobis dona gratiæ fluere, quia grati ſumus Authori, nec totum refundimus fontali origi ſemper enim debetur gratia dignè gratias agenti, teſte Th ma Kemp. l. 2. c. 10. 3. Quia Charitas etiam erga Deu non modicè inflammatur per ejuſmodi memoriam, cùm hil æquè alliciat ad amorem, quàm amor, amor autem lo magis judicio, quàm operibus & beneficiis demonſtre Hinc exclamare cum S. Bernardo cogitur, qui tam mul plicia, imò innumera beneficia ſe accepiſſe agnoſcit. *A charitas, amat immenſitas, & nos rependimus cum me ra?* 4. Quòd fiducia quoque non poſtremum animæ D ſervire volentis bonum per ejuſmodi beneficia ſæpiùs in moriam vocata tanquam vivos carbones mirum quant accenditur, cùm per talia beneficia DEVS agro fertili, ſi lis eſſe cognoſcatur, cui tantò libentiùs ſemina noſtra co mittimus, quantò liberaliùs eadem nobis cum fœnore ab lo reſtitui advertimus. Proderit ergo, Catalogum brev ejuſmodi beneficiorũ, ſpecialium maximè, conficere, cu ſæpiùs per annum relegere, ut ſuprà indicati quatuor ſ ctus obtineantur. In quo tamen Catalogo non tantùm ſ ſpera, ſed etiam adverſa notanda ſunt, cùm & hæc me inter beneficia numerentur, ut bene S. Chryſoſtomus tr. Symb. advertit dicens: *Admoneo vos, ut Dominum ſem benedicatis. Si venerint mala, benedicite, & diſſolve mala. Si proſpera venerint, benedicite, & perſevera bona.* Poterit autem talis Catalogus hoc vel ſimili mo confici.

Catalogus Beneficiorum ſpecialium à DEO acceptorum.

Hoc anno, menſe, die (ſingula diſtinctè explicari co nit) ex ſingulari bonitate & providentia DEI, à Paren

Christianis natus, in hunc Mundum cum integris membris & corpore prodij, & salutari sacri baptismatis undâ feliciter ablutus, S. Angelum Vitæ meæ Custodem, & hos Sanctos (notandum nomen, quod geris) Patronos accepi; multis item à DEO tam supernaturalibus gratiæ & virtutum, quàm naturalibus ingenij & aliorum talentorum donis sum donatus. Ob quæ proinde benedicam Dominum omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

Hoc die, mense, anno, Sacrosancti Chrismatis Sacramento initiatus, militiæque Christianæ adscriptus sum. Hinc exclamabo cum Davide Psal. 22. *Dominus protector* ℣ *vitæ* (& fidei) *meæ, à quo trepidabo. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*

Hoc anno ad literas, & artes liberales addiscendas, beneficio innumeris non concesso applicatus, fundamenta pro Sacerdotali Statu jacere cœpi. Quare iterum exclamo cum Davide Psal. 70. *DEVS docuisti me à juventute mea: & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

Hoc anno, mense, die in Congregationem B. Virginis Annunciatæ susceptus, non modicum ad virtutem plantandam adjumentum, & stimulos accepi. O utinam, Christe, sicut tradidisti tu Matrem tuam mihi dicens: *Ecce Mater tua:* ita ego eandem revererer, & colerem, ut jure de me quoque dici posset: *Et accepit eam ex illa hora in suam.*

Hoc anno primos ad Sacerdoralem Statum stimulos sentiens, eisdem acriùs quotidie stimulantibus, cum Confessario de Vocatione agere cœpi, & post seriam deliberationem, tandem cum consilio dicti Confessarij amplecti statui. *O Domine, quid est homo, quòd memor es ejus? aut Filius hominis, quia innotuisti ei?*

Hoc anno post multas difficultates ad ipsam Presbyteratûs dignitatem promotus sum: *Propterea, ô Domine,* ℣ *voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum est.*

Hoc anno ad Beneficium Ecclesiæ N. assumptus, curam Animarum suscepi. O utinam tecum, O Christe, dicere possim: *Pater Sancte, quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit.*

Hoc anno sat gravi morbo benignissimè à DEO visitatus,

tus, post sex vel septem hebdomades feliciter iterum eo… liberatus sum. *Ideo omnia membra mea confitemini mer… Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum miseric… ejus.*

Hoc anno grave per grandinem damnum in frugi… passus sum; sed si bona à Domino recipimus, mala quare … pari patientia sustineamus; *Sicut Domino placuit, ita … ctum est. Sit nomen Domini benedictum.*

Hoc anno graves ab Inimicis meis persecutiones sustin… gravitérque ab ijsdem, licet falsò accusatus sum. Sed … ma mea, DEI providentiæ, & suæ innocentiæ confisa, … passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus … & nos liberati sumus. Simili ergo modo vel brevioti … quoque beneficia annotari poterunt.

EXERCITIA
SECVNDÆ HEBDOMADÆ

Proœmium.

POstquam in priori hebdomade cognovit Exercitans, q… finis illi à DEO præfixus sit, & quàm longè ab illo … raverit, ideóque in viam, quæ ducit ad vitam, redire stu… ante omnia de perito Duce prospiciendum est; nam, ut … S. Franciscus Xaverius dicere solebat, nulla est certior, … tiórque ratio, rectà ac sine errore ad perfectionis apicem … veniendi, quàm peritum itineris sequi Ducem; quem … aptiorem Ducem eligere poterit, quàm illum, quem ipse … ter æternus assignavit Matth. 17. dicens: *Hic est Filius … dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Qu… seipso Joan. 8. dixit: *Ego sum lux Mundi, qui me sequ… non ambulat in tenebris.* Et iterum Joan. 14. *Ego sum … Veritas, & Vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Sc… quæ verba eleganter S. Augustinus in Psal. 109. *Parum … DEO*, inquit, *ut Filium suum daret demonstratorem … eum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, … lantem per te.*

Finis ergo & Scopus hujus & posterioris hebdomad… Imitatio Christi secundùm Apostoli ad Rom. 13. consili… dic…

dicentis: *Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitiis; non in contentione & æmulatione, sed induimini IESVM Christum.* Quid autem sit Christum induere, pulchrè explicat S. Chrysostomus super cap. 13. epist. 1. ad Corinth. dum ait: *Induere Christum est undique in nobis per sanctimoniam & mansuetudinem Christum in nobis conspicuum esse; homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est: appareat itaque in nobis Christus.*

Quid autem in specie imitari præcipuè debeamus in Christo, ipsemet velut in brevi quodam compendio Luc. 9. declaravit dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis tria officia vel capita, in quibus eum imitari debeamus, complexus est, scilicet *abstinere* per verbum *abneget*, *sustinere* per verba *tollat crucem suam*, & *agere* per verba *sequatur me* indicatum; in his namque totam perfectionem Christiani hominis consistere, ex ipsa natura perfectionis facilè colligitur, cùm enim hæc in amore DEI consistat, ut alibi dictum est, amor autem hic per perfectam unionem voluntatum demonstrari debeat, ut scilicet faciat amans semper, quod amato placere novit, hoc ipso primum Christiani hominis officium, *agere* videlicet, & facere voluntatem DEI exurgit; nam, ut ipse Christus Matt. 7. dixit: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quia verò *peccata omnia*, atque adeò etiam transgressionem voluntatis divinæ, teste S. Augustino in Psal. 38. *facit aut malè ardens cupiditas, aut malè jacens timiditas*, hinc reliqua duo officia exurgunt, scilicet *abstinere* seu moderari concupiscentiam rerum illicitarum, & *sustinere* seu moderari timorem adversitatum occurrentium, de quibus duobus officijs eleganter iterum S. Augustinus in serm. de S. Vincentio sic discurrit: *Duplicem aciem producit Mundus contra Milites Christi; blanditur enim, ut decipiat: terret, ut frangat. Non nos teneat voluptas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est Mundus. Ad utrosque aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus.*

Porro quia Christus hæc tria officia per totam vitam q
dem docuit, sed *abstinentiæ* tempore vitæ suæ privatæ, *act*
nis ultimo triennio, & *sustinentiæ* denique in Passione pr
clariora exempla & specimina dedit, ideo S. Ignatius quo
in hac hebdomade Christum, prout abstinere & agere
cuit, proposuit; in sequenti verò eundem, prout sustinen
exempla reliquit, aspiciendum dedit. Finis ergo hujus
cundæ hebdomadæ est, Christum in abstinendo & age
imitari, prout ex Meditationibus mox subijciendis cla
patebit.

TERTIA DIES.

SCopus hujus diei est, perfectam imitationem Christi in
ta privata rectè instituenda procurare; nam, ut S. Basil
serm. de renunc. dixit, *propter hoc Naturam nostram sus*
pit, ut in se velut tabulam quandam veram nobis veritatem
virtutem depingeret, eámque nobis omnibus tanquam Arc
typum imitandum proponeret. Hinc ad hanc similitudin
alludens S. Gregorius Ep 1. de perf. Christ. *Quisque*, ait,
tæ suæ est Pictor, & Artifex huius operis est voluntas, co
res autem sunt virtutes, Exemplar Christus esse debet, ut
ipse de se Joan. 13. dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quem*
admodum ego feci, ita & vos faciatis.

Tessera:

Gloria magna est sequi Dominum. Eccl. 13.

MEDITATIO I.

DE REGNO JESU CHRISTI.

Hæc Meditatio, ut Ludovicus de Palma in proœm. n
continet partim finem totum Incarnationis, vitæ, & doct
næ Christi, partim summam totius perfectionis Christian
quæ est Christi imitatio; hinc, ut S. Bernardus ser. 4. de a
dixit, *omnis nostra virtus tam longè est à vera virtu*
quàm longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo co
mendavit Christus præsens in carne. Ut enim origo fonti
& fluminum mare est, ita scientiarum & virtutum Domi
JESVS Christus, inquit idem ser. 13. in Cant. Quis enim D
mi

minus virtutum, nisi Rex gloriæ? incassum ergo laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Christo quærit; id quod ipse Christus S. Birgittæ suasit dicens l. 6. c. 27. *Quid te delectat audire opera Mundanorum, & bella Procerum, & cur tali auditu inani occuparis, cùm ego sim omnium Dominus, nullâque delectatio sine me in pretio habenda sit. Si cupis audire facta magni Domini, si considerare opera magnalia, debes utique audire & considerare facta mea, quæ intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatione stupenda, & auditu admiranda.*

Ut autem titulus hujus Meditationis rectè intelligatur, dicendum priùs, quid sit regnum DEI, nempe illud nihil aliud esse, quàm voluntariam & liberam subjectionem creaturæ rationalis ad Creatorem suum; ita enim pijssimus Author l. 3. c. 53. indicavit, dum in Persona Christi dixit: *Perfecta victoria est, de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & Dominus Mundi.* Et hoc videlicet est regnum, de quo Christus Luc. 17. locutus est dicens: *Regnum DEI intra vos est.*

Textus S. Ignatij.

Præludium primum ad constructionem loci nunc erit, ut spectare nos imaginemur Synagogas, villas, & oppida, quæ prædicans Christus pertransibat, & sic de locis aliis.

Secundum ad gratiam poscendam pertinens, in hac parte erit, petere à DEO, ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum, ac obtemperandum prompti simus.

Punctum I.

Punctum primum esto, proponere mihi ob oculos humanum Regem divinitùs electum, cui Principes & Populi omnes Christiani reverentiam & obsequium præstare debeant.

Punctum II.

Secundum est, imaginari, quòd audiam illum Regem loquentem ad omnes Subditos: In animo mihi est regiones infidelium universas ditioni meæ subjicere. Quicunque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio uti victu, vestitu, rebusque aliis, quàm me utentem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis, & casibus cæteris mecum

persistendum erit, ut particeps fiat victoriæ & felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socius extiterit.

Punctum III.

Tertium erit, considerare, quidnam respondere debeam Regi amantissimo & liberalissimo fideles Subditi, & quam promptè ad omnem ejus voluntatem offerre se accinctos. Contrà verò siquis non obaudiret, quanto apud homines universos vituperio dignus esset, atque quàm ignavus miles ejiciendus.

Pars secunda hujus Exercitij consistit in collatione similitudinis inter dictum Regem & Dominum IESVM Christum circa triplex punctum.

Primò sic applicabimus Exemplum: Si terrenus ille Rex cum bellica evocatione sua dignus est, cui attentio & obsequium præstetur, quantò magis Christus Rex æternus, Mundóq; toti conspicuus? qui singulos ad se invitat his verbis: Mea hæc est justissima voluntas, totius Mundi Dominum mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare; proinde quisquis eò mecum venire cupit, laboret mecum necesse est; labori enim præmium respondebit.

Secundò ratiocinabimur, neminem fore sanæ mentis, qui non cupidissimè servitio Christi se totum offerat & addicat.

Tertiò judicandum erit, quòd ij, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantùm ad laborum tolerantiam, verùm etiam majora & præclatiora quædam munera oblaturi sint, expugnatâ carnis, sensuum, & morisque proprij & mundani rebellione. Vnde respondebit quisq; in hunc ferè modum: En, ó Rex Supreme, ac Dominus universorum, tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meáq; omnia tua subjicio voluntati, attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiúsq; curiæ cœlestis hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut (dummodo in majorem laudis tuæ, & obsequij mei proventum cedat) quàm possim proximè te sequar, & imiter in ferendis injuriis & adversis omnibus, cum ver-

tum

tum spiritus, tum etiam rerum paupertate, si, inquam, sanctissimæ Majestati tuæ placeat ad tale me vitæ institutum eligere, atque recipere.

Hæc meditatio, ut patet, eò præcipuè tendit, ut in genere statuamus, Christum sequi, & imitari; ad quem finem etsi textus S. Ignatij hactenus propositus sufficiens videatur, ut tamen eundem faciliùs sibi applicare possit Sacerdos, poterit supradicto textui hæc, quæ sequuntur, adjungere.

Punctum I.

Considera I. Ad quid invitet Christus, nempe ad Regnum Dei dilatandum, & conservandum, id est, majorem gloriam Dei in omnibus nostris actionibus quærendam, ita ut ipsum non solùm perfectè cognoscamus & æstimemus, sed etiam perfectè serviamus, semper faciendo, quod ipsius sanctissimo beneplacito magis conforme esse cognoverimus; sic enim Deus verè in nobis regnare, & dominari dicitur. Hunc autem finem Christo propositum fuisse, ipse Jo. 8. indicavit dicens: *Ego non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me Patris.*

Considera II. Quàm altus, & verè appetendus sit hic finis; cum cognosces, si infinitam dignitatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, immensitatem, & æternitatem Dei accuratiùs ponderaveris; ex harum enim perfectionum consideratione intelliges, quemadmodùm nihil excellentiùs reperiri, imò nec excogitari potest, quàm Deus, ita nec finem excellentiorem appeti posse, quàm gloriam & beneplacitum illius. Hinc præclarè S. Chrysostomus l. 2. de compunct. cord. ait: *Si omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, aliam adhuc præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris? verè ignoras, quàm bonum sit placere Deo: si enim scires, nunquam aliquid mercedis aut muneris extrinsecus appeteres.*

Considera III. Si Aulici hujus mundi tanta cum fidelitate & alacritate Regibus & Principibus mundanis serviunt, eorumque beneplacitum quærunt, quid te facere par sit, qui Domini infinities dignioris servitio te mancipásti. An non te ipsum eisdem, quibus olim duo Aulici, teste S. Augustino l. 8. Confess. c. 6. se alloquebantur, verbis ad Deo perfectiùs

deinceps ſerviendum excitabis: *Dic, quaſo te omnibus iſ laboribus noſtris quò ambimus pervenire? quid quærimus cujus rei cauſa militamus? majorne eſſe poterit ſpes noſt in palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? & ibi, qu non fragile, plenúmque periculis? & per quod periculapo venitur ad grandius periculum? & quamdiu iſtud eri amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio.* Colloqui ad SS. Patronos.

Punctum II.

Conſidera I. Quòd aliud adhuc efficaciſſimum medi tibi Chriſtus offerat ad ſupra dictum finem obtinendu gloriámque ac regnum Dei quærendum, ſcilicet Exempl ſuum, quo tibi oſtendit, quomodo & in quibus potiſſim gloriam Patris ſui quærere debeas, nam, ut S. Auguſtinus vera Relig. rectè advertit, *tota vita Chriſti in terris per h minem, quem geſſit, diſciplina morum fuit; omnia cont bona mundi Chriſtus contempſit, quæ contemnenda docu & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit, ut nec illis quæreretur felicitas, nec in iſtis infelicitas timeretu*

Conſidera II. Si S. Auguſtinus l. 1. Conf. c. 2. de ſe ip fatetur: *Exempla ſervorum tuorum, quos de nigrâ lucid & de mortuis vivos feceras, congeſta in ſinum cogitatu meæ urebant, & abſumebant gravem torporem, ne ima vergeremus, & accendebant nos valde.* Quant majorem efficaciam apud te habere debeat exem plum Chriſti, qui omnes illos ſervos ſanctitate & fervo infinities ſuperat, & præterea per imitationem ſuam ad tan ſublimem dignitatem promovere te cupit. An non meri ad illius imitationem te S. Gregorij Naz. orat. 40. in Pa præclarâ ſententiâ excitabis: *Simus ut Chriſtus, quoni Chriſtus quoque ſicut nos: efficiamur Dij propter ipſum, qu niam ipſe quoque propter nos homo factus eſt.*

Conſidera III. Quomodo hactenus exemplum hoc imi tari ſtudueris, & imitari deinceps velis. Exclama proin Ethai Gethæo 2. Reg. 15. *Vivit Dominus, & vivit Dom nus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domi mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* Co loq. ad B. Virg.

Pu

Punctum III.

Considera I. Cùm plerique homines ad serviendum dominis temporalibus spe lucri incitentur, quomodo nec hoc motivum tibi deesse patiatur Christus, sed liberalissimè promittat, te quemadmodum laborum & tolerantiæ socius fueris, ita præmium quoque, gaudiúmque secum participaturum; id quod S. Paulus quoque Corinthijs 2. c. 1. in memoriam revocavit dicens: *Sicut socij Passionum estis, ita & consolationis eritis.*

Considera II. Si famuli terrenorum dominorum pro tam vili mercede tam graves labores suscipiunt, aliáque difficillima opera tam alacriter perficiunt, quantò majori alacritate ac constantia tu jugum suave Domini & onus leve Domini Dei tui, qui est ipse merces tua magna nimis suscipere, & portare debeas; ne illam pij Authoris in persona Christi factam increpationem audire debeas: *Vile pretium quæritur, prevanare, & parva promissione, diu noctúque fatigari non timetur. Sed proh pudor! pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce ergo serve piger & querulose, quòd illi paratiores inveniantur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Equidem sua spe nonnunquam frustrantur, sed mea promissio neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem.* l. 3. c. 3.

Considera III. Si tria motiva hactenus proposita quemvis meritò movere possunt ad Christum sequendum, quantò magis te movere debeant, ut qui inter primarios Famulos, quibus officium omnium divinorum diviniſſimum commissum est, scilicet cooperari Deo in salute animarum ex speciali gratia & beneficio assumptus es. Vide proin, quâ ratione vocationi & beneficio tanto respondere velis, téque iterum Deo per colloquium à S. Ignatio suprà in textum formatum in perpetuum servum consecra.

Meditatio II.

De Nativitate Christi.

In priori Meditatione factum quidem fuit propositum imi-

imitandi Christum, sed in genere duntaxat ; quare cùm magis efficacia sint decreta, quæ ad particulares actiones se extendunt, in hac & sequentibus meditationibus paulò apertiùs demonstrandum est, quibus in rebus Christum præcipue imitari debeamus, & quomodo tria officia hominis Christiani, scilicet *abstinere, sustinere,* & *agere* docuerit. Quia autem primum officium, *abstinere* videlicet, in Nativitate, quæ prima illius in mundum ingressi doctrina fuit, potissimùm docuit, ideò omissâ, brevitatis causa, meditatione de Incarnatione, quam S. Ignatius meditationi de regno Dei subjecerat, de Nativitate duntaxat velut solemni Christi principio meditatio instituetur.

Textus S. Ignatij.

Præludium primum ex historia dependet, quæ recensenda est ab egressu B. Virginis ex oppido Nazareth. quo scilicet modo jam nono mense gravida, & insidens asinæ (ut piè meditari licet) ac Ioseph comes cum ancillula & bove profecti sunt Bethlehem, tributum à Cæsare exactum pro se soluturi.

Secundum verò deducendum erit ex consideratione itineris, æstimatâ ejus longitudine, obliquitate, lenitate, vel asperitate passim occurrente. Deinceps etiam Nativitatis locum mirabimur, speluncæ similem, latum vel angustum, planum vel erectum, commodè vel incommodè paratum.

Tertium continet gratiæ postulationem, ut intimè cognoscam, quo pacto Filius Dei, meâ causâ, sit homo factus, ut ardentiùs ipsum amem, & abhinc sequar studiosius.

Punctum I.

Punctum primum est, aspectus personarum, ut Virginis Deiparæ & Conjugis Ioseph cum Famula & Christi Domini, ut Infantis nunc primùm nati : inter quos me adesse fingam tanquam pauperculum, eorum utcunque necessitatibus cum reverentia maxima famulantem, ac inde, quid ad meritò re emolumenti è tali spectaculo possit, despiciam.

Punctum II.

Secundum conficitur ex verborum, quæ ibidem fiunt, apprehensione fructuosa.

Pun-

Punctum III.

Tertium ex negotiorum, quæ illic geruntur, inspectione, puta itineris, laborum & causarum, ob quas summus omnium Dominus in summa natus sit egestate, laturus quoque in hac vita cum perpetua paupertate labores, famem, sitim, æstum, frigus, opprobria, verbera, & crucem tandem subiturus, idq; mei causa, unde per singulas studebo proventum aliquem spiritualem colligere. Hæc demùm concludenda erunt inito colloquio, & finito cum Pater noster.

Hactenus textus S. Ignatij, ex quo ut fructus Sacerdoti proprius hauriri queat, poterunt sequentia puncta adjungi.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus præcipuè in hunc mundum venerit, & cum talibus circumstantijs nasci voluerit, videlicet ut, quia ipse est æterna Patris sapientia, homines quoque cœlestem sapientiam tam paucis cognitam, & quasi nihili æstimatam doceret. Hinc Luc. 2. Sapientia & ætate crevisse, id est, magis quotidie ostendisse dicitur.

Considera II. Qualem sapientiam docuerit Christus, illam videlicet, de qua pius Asceta l. 1. c. 1. dixit: *Ista est summa Sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia*; nam, ut l. 3. c. 32. ait, *valde vilis & parva, & pene oblivioni tradita videtur vera cœlestis sapientia, non sapiens alta de se, nec magnificari quærens in terra, quam multi ore tenus prædicant, sed vitâ longè dissentiunt, ipsa tamen est pretiosa margarita à multis abscondita.*

Considera II. Si, ut S. Ambrosius in S. de B. Virg. dixit, *primus discendi ardor est nobilitas Magistri*; quanta cum alacritate tu sapientissimum hunc Magistrum audire debeas, qui ultrò te & alios homines ad scholam suam illis sapientiæ verbis prov. 8. invitat: *Nunc ergo filij audite me, Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie* (considerando vitam & doctrinas meas) *& observat ad postes ostij mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Colloq. ad SS. Patronos.

Pun-

Punctum II.

Considera I. Quàm præclarè contemptum mundi Christus in Nativitate sua docuerit, dum scilicet omnia, quæ mundus tantoperè suspicit, quærit, & amplectitur, repudiavit, & paupertatem pro divitijs, tribulationes & labores pro voluptatibus, vilipensionem pro honoribus elegit, uti omnes Nativitatis circumstantiæ testantur.

Consideta II. Quas ob causas hæc omnia præ mundi delicijs elegerit, scilicet quia per infinitam sapientiam suam clarissimè cognoverat vanitatem rerum mundanarum, et altera verò parte pari claritate inteliexerat, quàm longè aptiora media ad gloriam divinam, propriámque ac alterius nam salutem procurandam forent, paupertas, afflictio, contemptus, & similia, ut quæ hoc ipso, quòd hominem à terrenis rebus abstrahant, ad cœlestia bona desideranda, quærenda, & amplectenda inclinant, ut adeò meritò cum Salomone sap. 7. dicere queat: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*

Considera III. An non hæ causæ sufficientes meritò æstimari debeant ad te quoque permovendum, ut cum S. Paulo ad Philip. c. 3. omnia, quæ tibi mundus hactenus obtulit aut etiamnum offert, detrimentum facias, & arbitreris stercora ut Christum ac ejus similitudinem lucrifacias, nam ut rectè S. Augustinus S. 1. de convers. S. Pauli pronuntiavit, *quisquis in Christum credidit, ipsum intueri debet, cetera creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Cur Christus primo loco Nativitatem suam Pastoribus manifestare, eósque ad præsepe evocare voluerit, videlicet ut hoc facto indicaret sapientiam, quam ipse, ut dictum, in Nativitate sua docuerat, Pastoribus spiritualibus specialiter necessariam, atque adeò ab his ante alios addiscendam esse, ut qui olim post suum ex hoc orbe discessum veram sapientiam homines docturi sint, atque adeò primi eandem bene didicisse debeant.

Considera II. Si illi discipuli, qui meliora ad artem al-

quam

quam addiscendam talenta sunt nacti, ideóque à Magistris plenis æstimantur, & amantur, atque in successores deputantur, meritò non leves stimulos habere creduntur, ad majorem in ea arte addiscenda diligentiam adhibendam; quanto cum fervore tu à Christo sapientiam hanc cœlestem, & scientiam Sanctorum addiscere debeas, ut qui ex tot millibus electus es ab illo, ut ei in officio Magistri succederes, & tam præclara eum in finem talenta & media accepisti.

Considera III. Quomodo te hactenus in hac schola gesseris, & quantùm profeceris; & si quidem negligentem te fuisse deprehenderis veniam supplex pete, & emendationem seriam firmiter promitte, per colloquium ad Christum.

CONSIDERATIO
DE CURA SUIIPSIUS.

Considera I. Quid requirat hæc cura, scilicet in genere, ut tuæ animæ salutem ante omnia cures; in specie verò sequentia diligenter observes. Et primò quidem puritatem conscientiæ maximam procures, atque adeò ab omni non mortali duntaxat, sed veniali etiam peccato pro viribus abstineas. II. Ut virtutes statui tuo convenientes scias, & studiosè exerceas, quales respectu Sacerdotis sunt charitas Dei, Zelus animarum, Devotio, Castitas, Temperantia, Humilitas, Constantia. III. Ut Exercitia spiritualia, puta Missæ sacrificium, Oratio vocalis, lectio spiritualis, Examen Conscientiæ, Preces matutinæ & vespertinæ cum omni diligentia, id est, integrè, devotè, & reverenter peragantur. IV. Ut quotidianæ à te actiones cum purissima intentione fiant, ne serò nimis cum Apostolis queri debeas: *Præceptor, totanocte laborantes nihil cepimus.* V. Ut suo tempore diligenter recollectiones instituas, retiáque reficias, audiens Christi imperium Marc. 6. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Examina proinde, quomodo hæc quinque capita observaveris, & observare deinceps velis.

Considera II. Cur istam tui ipsius curam strenuè suscipere, & gerere constanter debeas, videlicet I. Quia sic Deus requirit, mandans, ut proximum tuum, sicut te ipsum diligas, quod

quod minimè profectò præstares, si illius salutem, tuâ negl
ctâ, procurares. II. Quia sic Christus docuit Matt. 16. d
cens: *Quid prodest homini, si mundum universum lucret
animæ verò suæ detrimentum faciat?* III. Quia ad ipsu
graviter SS. Patres hortantur. Inter quos præclarè S. Bern
dus lib. 1. consid. c. 5. ad Eugenium Papam scribens sic lo
quitur: *Si totus vis esse omnium, instar illius, qui omni
omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena est; q
modo autem plena te excluso? & tu homo es, ergò ut integ
sit & plena humanitas, colligat & te intra se sinus, qui o
nes recipit, alioquin quid prodest tibi juxta verbum Do
ni, si universos lucreris, te unum perdens? quid solus fr
daris munere tui? memento proinde; non dico semper, n
dico sæpe, sed vel interdum reddere teipsum tibi.* Q
ipsum alibi similitudine conchæ eleganter declarans, lo
18. in Cant. sic loquitur: *Quamobrem si sapis, concha
exhibebis, & non canalem; hic siquidem penè simul, &
cipit, & refundit; illa verò, donec impleatur, exspectat.
sic, quod superabundat, sine damno communicat.* In eo
dem sensum Eucherius in epist. Paræn. loquitur, dicen
*Primas apud nos curas, quæ prima habetur, obtineat, s
másque sibi sollicitudinis partes salus, quæ summa est, ve
dicet. Hæc nos occupet in præsidium ac tutelam sui; jam n
planè prima, sed sola. Omnia vincat eo studio, quo præc
omnia.* IV. Quia & salus aliena hanc propriam cur
suadet; cùm enim, qui sibi nequam est, nemini bonus
possit, ut commune proverbium habet, quomodo alter
salutem procurabit efficaciter, qui suam negligit? an
audiet ab illis, quibuscum agit: *Medice, cura teipsum*
V. Quia & ipsa ratio eam exigit, dictans, charitatem à se
incipere. Unde præclarè iterum S. Bernardus s. 18. sup
Cant. *Ego, inquit, nullum ad salutem pietatis gradum
gradui anteponendum censeo, quem sapiens Eccl. 30. pos
dicens: Miserere animæ tuæ placens Deo. Propterea
quit Apostolus ad Hebr. 13. abundantiùs observare opor
nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus. Benig
prudensque charitas affluere consuevit, non effluere.* VI
tiam Filij sæculi eandem doctrinam passim exemplo suo
cent, ut qui, teste quotidianâ experientiâ, proprium luc
& co

& commodum velut omniũ actionum suarũ cynosurã spectant, unde meritò potest Sacerdos timere, ne, si suiipsius curam negligat, iterum Christum audiat objicientem sibi, filios seculi prudentiores esse lucis filijs. VII. Denique natura ipsa in omnibus plantis & alijs viventibus id confirmat, ut quæ non antè, generare, aut semen communicare incipiunt, quàm ipsa perfectionem suam intrinsecam acceperint. Meritò ergò Sacerdos salubre Siracidis c. 29. consilium sequitur: *Recupera proximum secundùm virtutem, & attende, ne incidas*, in errorem scilicet eorum, qui præpostero Zelo sic alienæ salutis curam suscipiunt, ut suæ vel nullam, vel exiguam gerant.

Considera III. Quænam hactenus impedimenta te impediverint, quò minùs accuratam tui ipsius curam gereres. Tria præcipuè reperies. Primum est, *defectus luminis*, quo perfectè cognoscas, & bene ponderes, ac apprehendas, in quo ordinata charitas consistat; unde motiva in priori puncto proposita diligenter consideranda sunt, & aliàs etiam in meditationibus cum Deo frequenter de hac materia agendum erit, ut experiaris in te, quod sponsa Cant. 1. de se ipsa fatetur dicens: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Secundum est, *Inordinatus zelus*, quo scilicet multa opera suscipimus, non ut proximo prosimus, sed ut laudem & famam nobis conciliemus; hinc enim fit, ut totos nos ejusmodi operibus impendamus, aliáque opera ad propriam salutem pertinentia vel omnino negligamus, vel certè decurtemus, aut obiter duntaxat, & sine fructu peragamus. Quod impedimentum proinde per rectificationem intentionis removendum est; si enim nihil aliud in omnibus actionibus nostris, quàm Dei beneplacitum quæramus, hoc ipso etiam non alio modo, quàm qui ipsi placet, proximi salutem procurare desiderabimus, qualis modus autem utique non est, ut proximo cum detrimento nostræ salutis serviamus. Unde verus Operarius prudentes Virgines Matt. 25. imitatur, quæ, cùm fatuæ oleum peterent, quod ipsæ sine dispendio suo se dare non posse advertebant, audacter id negârunt dicentes: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Tertium est, quòd multa nimis negotia simul suscipiantur; hinc enim

fit, ut, quemadmodum S. Gregorius l. Past. c. 4. adverti
impar inveniatur ad singula, qui confusa mente divid
ad multa. Quare pro hoc impedimento removendo be
advertenda, & observanda est doctrina Ludovici de Po
tom. 3. tr. 4. c. 9. asserentis, fervorem non tam in eo po
tum esse, ut multa quis complectatur, quàm ut officium e
ctè fiat. Hinc cùm Moyses in hoc genere excedere vide
tur, à socero suo Jetro Exod. 10. audire debuit: *Non bon*
rem facis, stulto labore consumeris. E contrario verò De
ipse, licet mundum unico momento creare potuisset, ma
per sex dierum intervallum absolvere, ut vel hoc suo exe
plo doceret, quantopere cupiat ab ijs, qui minorem mu
dum, id est, hominem creare, seu in primævum suum statu
reducere desideret, nihil præproperum & inordinatum, s
omnia in mensura & ordine fieri, ne locũ alioqui habeat
lud Salomonis effatum: *Totum spiritum suum profert s*
tus, sapiens differt, & reservat in posterum. Certè hæc i
ter primas fraudes dæmonis, quibus fructum & salutem n
stram impedire conatur meritò numeranda est; quam ja
olim Exod. c. 5. Pharaoni quoque inspiravit, dum eidem su
gessit, ut Israëlitas multitudine laborum opprimeret, n
Deo sacrificarent. Ne ergo in hanc fraudem incidat Sacer
dos, dicat cum S. Davide ps. 21. *Erue à framea Deus a*
mam meam, & de manu canis (infernalis) *unicam mea*
itáque deinceps sui ipsius curam gerat, ut verè dicere c
eodem Psalmista ps. 119. possit: *Anima mea in manib*
meis semper: quia, ut bene notat S. Bernardus s. 3. de vig
Nat. *sicut, quod in manibus tenemus, non obliviscimur fa*
lè, sic nunquam oblivisci debemus negotium animarum n
strarum, & illa cura principaliter in cordibus nostris vige
debet.

Meditatio III.

DE VITA PRIVATA CHRISTI.

Etsi S. Ignatius pro ijs, qui Exercitia longiori tempore f
cturi sunt, plures meditationes de vita Christi, puta de pr
sentatione illius in templo, de fuga in Ægyptum &c. pr
scripserit, quia tamen hæc divisio pro octo diebus d
tan

tarit est facta, ideò, cùm omnes meditationes hujusmodi tam arcto tempore absolvi non queant, in compendio quodam omnes illæ meditationes sub titulo privatæ vitæ tradi possunt. Unde sicut in priori meditatione perpensum est, quomodo Christus primum Christiani hominis officium docuerit, scilicet *abstinere*, ita in hac considerandum est, quomodo etiam alterum officium, *agere* videlicet, monstraverit. Quia verò duplex Christi actio fuit, privata scilicet, & publica, priorem in hac mediatione, posteriorem sequenti die considerabimus.

Præludium I. erit, Christum nunc circumcisum, nunc in templo oblatum, nunc in Ægyptum fugientem, nunc in templum Jerosolymitanum ascendentem, nunc in Nazareth cum Patre laborantem intueri.

Præludium II. Petere gratiam, ut vitam Christi occultam ritè cognoscere, ac æstimare, & pro viribus imitari queas.

Punctum I.

Considera I. Quid Christus à primo instanti Nativitatis usque ad trigesimum annum egerit, id nempe, quod S. Lucas c. 2. tribus verbis istis: *& erat subditus illis*: indicavit; verè enim, si totam hanc illius vitam (quam, quia cum proximo adhuc publicè conversari non cœperat, occultam voco) nihil magis, quàm obedientiam æterno Patri, & Parentibus terrenis exhibere studebat, uti ex circumcisione, oblatione in templo, fuga in Ægyptum, ascensione ad templum Jerosolymitanum, commoratione tam diuturna in Nazareth patet.

Considera II. Quibus in rebus potissimùm hanc obedientiam exercuerit, nempe ut faceret semper, *qua* Patri cœlesti & parentibus terrenis placere cognoverat, & *quomodo* placebant, & *quia* illis placebant, & ideò meritò Encomium illud: *Bene omnia fecit*: Marc. 7. postea audivit.

Considera III. Quàm præclarum sit hoc elogium, & quàm à te quoque & omnibus hominibus appetendum, utpote in quo summa perfectio continetur, cùm, sicut arbor bona ex fructibus bonis cognoscitur, ita perfectus quoque Christianus ex quotidianis actionibus ritè peractis dignoscatur, ut adeò meritò illuminatus quidam Asceta dixerit,

ſummam Chriſtiani hominis perfectionem in hoc conſiſ
re, ut quotidianas actiones bene perficiat. Unde ad hanc
perfectionem ipſe quoque Chriſtus Matt. 12. invitavit di
cens: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus*
eſt: per quæ verba utique non voluit nos in ſubſtantiali
perfectione ſimiles eſſe, ſed ut ſicut ille cuncta, quæ creavit
viderat eſſe valde bona. G. c. 1. ità & nos illum in hoc imi
tari ſtuderemus. Vide proin, quomodo hac in parte Chri
ſtum imitari ſtudueris, & deinceps velis. Colloquium
SS. Patronos.

Punctum II.

Conſidera I. Quem fructum Chriſtus ex hac ſua vitæ
culta tulerit, ſcilicet quòd creverit ætate, ſapientia & gra
apud Deum & homines, non quidem augmentum veræ
ſapientia & gratia capiendo (cùm à primo vitæ inſtanti ſu
in gradu hæc omnia poſſederit) ſed eam pro noſtra in
matione magis in dies manifeſtando.

Conſidera II. Quàm verè hunc fructum ſperare etiam
poſſis, ſi omnia tua opera bene facere ſtudueris; nam veri
iam creſces I. *Ætate* non materiali duntaxat, ſed etiam ſpi
rituali, de qua S. Gregorius l. 4. mor. c. 12. dixit: *Vita Chri*
ſtiana dies ſunt virtutes ſingulæ; menſes autem mandata
cia facta virtutum. Unde, ut idem l. 21. moral. c. 13.
Electis, cùm foris ætas corporis, intus, ſi ita dicere licet,
creſcit ætas virtutis. Senectus quippe *venerabilis eſt*
diuturna, teſte Salomone ſap. 4. *Neque annorum numero*
computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſe
nectutis vita immaculata. II. Pariter creſces *ſapientiâ*:
hæc nihil aliud ſit, quàm rerum cœleſtium *ſapida ſcien*
id eſt, non in nuda cognitione earum conſiſtens, ſed
ſtudio ſectandi conjuncta; quis autem hanc ſapientiam
gis poſſidet, quàm qui opera quotidiana, quæ ſola ſequ
nos poſt mortem, & præmium cœleſte ſollicitant, bene
re ſtudet? Sed & III. *Gratiâ apud Deum* & Cœlites cre
cùm perpetuam illis laudem per talia opera, gratiſſimum
obſequium præſtet, ut bene S. Auguſtinus in pſ. 150.
vit dicens: *Vis ſemper laudare Deum? benefac omnia,*
facis, & ſemper laudâſti Deum. Unde hi potiſſimùm
ju

judicio *Benedicti* vocabuntur, & ad regnum Patris possidendum à Christo citabuntur. IV. denique etiam *gratiâ apud homines* crescet; tum quia si talia opera pro ipsis & defunctis offerat, magna & multa illis beneficia à Deo impetrabit, atque adeò hoc ipso etiam amorem & gratiam merebitur; tum quia, ut Thomas Kemp. l. 1. c. 25. bene advertit, jucundum valde & dulce est, videre fervidos & devotos Fratres, bene morigeratos & disciplinatos. Quos omnes fructus breviter & bene complexus est, qui dixit per talem occultam vitam summum Deo & Cœlitibus obsequium, summum ipsi operanti in hac & altera vita gaudium, summum defunctis & viventibus auxilium exhiberi, & procurari.

Considera III. Quàm rectè triplex hoc motivum triplici funiculo, qui difficilè rumpitur, comparetur, atque adeò & te, qui ratione vocationis ad majorem perfectionem teneris meritò obligare debeat ad singulare studium bonis operibus ritè perficiendis impendendum. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere possis, & debeas ad vitam hanc occultam ritè addiscendam, nempe ut Christum in omnibus suis actionibus & vita *Spectatorem, Adjutorem, Instructorem seu Magistrum, Consolatorem, & Præmiatorem* adhibeas, dicásque cum pio Poëta:

Tu Consolator, Merces, Spectator, JESU,
Tu meus Adjutor, túque Magister eris.

Considera II. Quàm efficax sit hoc medium ad actiones tuas quotidianas summa cum perfectione obeundas: Si enim spectatorem, & talium maximè, à quibus copiosum præmium sperari potest, præsentia & aspectus, tantopere excitat Actores aut Artifices, ad personam suam aptissimè repræsentandam, operáque sua exactissimè facienda, quantò magis tu opera tua perfectissimè absolvere conaberis, si memineris, te Christum, cujus solius præsentia & præmia, omnium hominum præsentiam & mercedem infinities superat, non Spectatorem & Præmiatorem solùm, sed etiam Adjutorem, qui gratiâ suâ & cooperatione juvet; & Magistrum,

qui exemplo suo præeat, & instruat : & Consolatorem, in difficultatibus occurrentibus præsentiâ suâ & consolatione roboret, & soletur, habere.

Considera III. Cùm opera Sacerdotis hoc ipso, quòd divino Ministerio immediatè sit consecratus, ex se præstantiora longè sint, quàm aliorum hominum, quàm æquum ut, quemadmodum etiam sæculares Artifices majorem longè diligentiam in pretiosioribus operibus adhibent, in quoque omnem conatum in quotidianis tuis actionibus perfectè obeundis præstes, illud S. Davidis 1. Paralip. c. 29. modo usurpans: *Totis viribus præparavi impensas domus Domini* (seu opera mea quotidiana perfeci) *non enim homini præparatur habitatio* (& actio) *sed Deo.* Colloquium ad Christum, pro Spectatore, Adjutore, Magistro, Consolatore, & Præmiatore denuò ipsum eligendo.

Materia Lectionis.

Ex libro 2. de imitatione legi hoc die poterit cap. 1.

Ex libello Exercitiorum verò legi possunt Regulæ de electione; non quidem eo fine, ut status (si quidem jam electus sit) de novo eligatur, sed ut in alijs etiam occurentibus negotijs adhibeantur; modò omnia semper eligens meto ex Dei honore, nullo habito respectu ad proprias commoditates, maximè temporales, ut intentio semper in Deum directa sit, nec ob aliquid terrenum inflectatur.

Præcipuè autem S. Ignatius has regulas circa emendationem & ordinationem status observandas esse ait, ita, ut is qui matrimonio junctus, vel officio dignitatis Ecclesiasticæ adstrictus est, regularum harum adminiculo, sedulò colligat, quàm amplam domum & familiam æquum sit habere: quibus eam modis tractare & administrare conveniat, quibus instruere verbis & exemplis: quantum præterea possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios vel domesticos: quid rursum pauperibus erogare, vel impendere pijs operibus deceat, nihil affectando aliud, nihil quærendo, nisi quod honorem Dei, & salutem suam præ. Hoc enim unusquisque sibi persuasum habeat, tantùm se in studijs spiritualibus promoturum esse, quantùm ab amore suiipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit.

Ca

Cæterùm ipsas regulas, modùmque eligendi, & alia ad electionem ritè instituendam pertinentia partim in ipso libello Exercitiorum, partim in parte prima hujus instructionis fusiùs legi possunt.

Materia Scriptionis.

Cùm nihil æquè necessarium & decens videatur, quàm ut dignitatem status sacerdotalis, & vocationis suæ excellentiam ritè cognoscat Sacerdos, ne alioqui de ipso dici queat, quod S. David de homine dignitatem suam non cognoscente ps. 48. dixit: *Homo* (& Sacerdos) *cùm in honore esset, non intellexit*, propterea *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Meritò consultum videtur, ut semper in memoria, aut certè ad manum habeat breviusculas quasdam sententias, quibus SS. Patres sacerdotalis dignitatis magnitudinem exprimere sunt conati, quare non inutilem laborem suscipiet, si hodie paucas ejusmodi sententias sibi conscribat, quales exempli gratiâ sequentes esse possunt.

I. Sacerdotium est summa bonorum omnium, quæ in hominibus consistunt. S. Iguatius ad Smyrn.

II. Qui bene præsunt, Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina: S. Paulus 1. Tim. c. 5.

III. Tantùm interesse debet inter Sacerdotem & quemlibet virum probum, quantùm inter cælum & terram discriminis est. S. Isidorus Pelus. l. 2. ep. 205.

IV. Quantò anima corpore præstantior est, tantò est sacerdotium Regno excellentius. S. Clemens l. 2. c. 34.

V. Aurum non tam pretiosius est plumbo, quàm regia potestate altior est dignitas sacerdotalis. S. Ambrosius l. 2. de dign. dist. 36.

VI. Verè veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero matris incarnatur. S. Augustinus hom. 2. in ps.

VII. Omnium quidem bonorum magna est gratia, inter omnes autem maxima est sacerdotalis dignitas, si quis eam immaculatè custodiat. S. Chrysostomus hom. 15. in Matt.

VIII. Honorate Sacerdotes, ut Patres, ut Dominos, ut beneficos,

neficos, & benevivendi Authores. S. Clemens l. 7. con
Apost. l. 32.

*IX. Sacerdotes meritò non modò plùs verèri debem
quàm vel Principes & Reges; verùm etiam majore honor
quàm parentes proprios honestare.* S. Chrysostomus l. 3.
Sacerdotio.

X. O Sacerdos Dei altissimi, si altitudinem cœli cont
pleris, altior es: si pulchritudinem solis & lunæ, pulch
es: si discretionem Angelorum, discretior es: si omni
Dominorum sublimitatem, sublimior es: Solo Deo & C
tore tuo inferior es: Cassand. in Cathal. gloriæ.

XI. Quod datum non est Angelis, concessum est Sacer
tibus; hi enim ineffabile efficiunt sacrificij mysterium,
Angeli conficientibus velut famuli assistunt. S. Augusti

XII. Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruin
peccant: lætæmur ad ascensum, sed timeamus ad lap
S. Hieronymus super Ezech. lib. 2.

DIES QUARTA.

SCopus hujus diei est Christum in vita publica, id est,
conversatione cum proximo rectè instituenda imit
quæ est altera pars secundi officij ad Christianum, & Sac
dotem maximè pertinentis, & in *agendo* constitui; unde
ritò Sacerdos operam dare debet, ut omnia hujus diei Ex
citia magnâ cum diligentiâ peragat, scopúmque illis pra
xum obtinere conetur.

Tessera.

Non degeneremus ab excelsis cogitationibus Filij Dei
inferamus crimen gloriæ nostræ. 1. Mach. c. 9.

Meditatio I.

DE DUOBUS VEXILLIS.

Hæc Meditatio eò potissimùm tendit, ut, sicut in medi
tione de Regno Dei Sacerdos statuit Christum in genere
qui, ita nunc armilustrium veniat, discátque, contra q
hostes in specie, & quibus armis sub vexillo Christi pug
debe

debeat, fortitérque se ad bellum accingat. Unde S. Ignatius hanc Meditationem maximi semper faciebat, utpote ex qua ideam totius perfectionis Religiosæ, ipsiúsque Societatis JESU fundandæ concepit, ideóque ab alijs quoque eandem Meditationem magna cum contentione & fructu, & quidem, si fieri posset, mediâ nocte, ut tantò collectior mens maneret, instituì optabat.

Textus S. Ignatij.

Præludium primum erit historica quædam consideratio Christi ex una parte, & ex altera Luciferi, quorum uterque omnes homines ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.

Secundum est, ad constructionem loci, ut repræsentetur nobis campus amplissimus circa Ierosolymam, in quo Dominus IESVS Christus tanquam bonorum omnium summus Dux assistat. Rursum alter campus in Babylonia, ubi se Lucifer malorum & adversariorum Ducem exhibeat.

Tertium ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali ducis invocata simul divina ope ad eas devitandas; veri autem, optimiq; Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.

Punctum I.

Punctum primum est, imaginari coram oculis meis, apud Campum Babylonicum Ducem impiorum in cathedra ignea & fumosa sedere horribilem figurâ, vultúq; terribilem.

Punctum II.

Secundum est, advertere, quomodo convocatos Dæmones innumeros per totum orbem spargat ad nocendum, nullis civitatibus & locis, nullis Personarum generibus immunibus relictis.

Punctum III.

Tertium, attendere, cujusmodi concionem habeat ad Ministros suos, quos instigat, ut correptis, injectisque laqueis & catenis homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in Superbiæ barathrum deturbari queant.

Atque ita tres sunt præcipui tentationum gradus in vitijs, honoribus, & Superbia fundati, ex quibus in alia tiorum genera omnia præceps fit decursus.

Similiter ex opposito considerandus est summus, optim que Dux noster, & Imperator Christus.

Primum Punctum erit, conspicari Christum in amp campo juxta Ierosolymam, humili quidem constitutum l sed valde speciosum formâ, & aspectu summè amabilem.

Secundum autem est, speculari, quo pacto ipse Mi Dominus universi electos Apostolos, Discipulos, & Minis alios per orbem mittat, qui omnium hominum generi, tui, & conditioni doctrinam sacram, ac salutiferam pertiant.

Tertium, auscultare concionem Christi exhortantis ad servos & amicos suos omnes in opus tale destinatos, eis præcipit, ut juvare studeant, quemlibet, ac primis cendum curent ad spiritualem affectum paupertatis, & super (si divini obsequij ratio, & electio cælestis eò ferat) sectandam actu ipso veram paupertatem; deinde ut al probrij, contemptûsq; desiderium alliciant, unde humil tis virtus enascitur. Et ita consurgunt tres perfectionis dus, videlicet paupertas, abjectio sui, atque humilitas, ex diametro divitijs, honori, & superbiæ opponuntur, ac tutes omnes statim introducunt.

Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam implorandáq; est per eam à Filio gratia, ut recipi possim, manere sub vexillo, idq; primò per spiritualem tantùm p pertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam (si dem ad eam me vocare atque admittere dignabitur) dein per abjectionem quoque seu ignominiam, ut ipsum imi vicinius, deprecando tamen culpam aliorum, ne contem mei tam in alicujus detrimentum, quàm in offensam D cedat. Terminabitur primùm hoc colloquium per A MARIA.

Secundum Colloquium ad Christum dirigitur, ut mis Patre impetret illud idem, subdetúrq; in fine Oratio Dom ma Christi.

Tertiam ad Patrem, ut annuat petitioni, cum Pa noster.

Pro meliori intellectu hujus Meditationis duo obiter notanda sunt. Primum est, quòd S. Pater Ignatius hac similitudine duorum vexillorum usus sit, eò quòd illam præ aliis ideoneam valde judicaverit, ad Spiritus contrarios detegendos, qui intra nos pugnant, primámque nobis lucem ingenerandam pro Spirituum discretione necessariam, ut tantò meliùs inter bonum & malum distinguere, & huic quidem resistere, illud verò eligere, & sectari valeamus. Alterum est, quòd idem Sanctus Pater in hac Meditatione nullam concupiscentiæ carnis, quæ tamen inter potissimos animæ hostes numeratur, mentionem fecerit, eò quòd ea duntaxat (ut Suarez to. 4. de Relig. l. 9. c. 5. n. 29. putat) enumerare voluerit, quæ maximè perturbant rectam electionem, súntque divitiæ, honor, & superbia; non autem carnis concupiscentia, cùm, quidquid in hoc genere vitiosum est, non cadat sub electionem, sed per se notum sit, eam compesci & frangi debere. Porro ut & hanc Meditationem faciliùs sibi applicare possit Sacerdos, poterit eam in tria puncta ad hunc ferè modum dividere.

Punctum I.

Considera 1. Quales sint Duces, qui te ad suum vexillum attrahere conantur, videlicet ex una parte Christus Creator, Redemptor ac summus Benefactor tuus, Dux potentissimus, felicissimus, & amantissimus suorum Militum, honestissimum belli sui finem, majorem scilicet DEI gloriam, & tuam ac aliorum salutem habens, & amplissimum denique ac perenne proœmium promittens. Ex altera verò parte Dæmon infensissimus DEI, & tuus, omniúmque hominum Hostis, atque adeò pro fine horum omnium perditionem constituens, & præmij loco milites suos inexplicabilibus tormentis per totam æternitatem excrucians.

Considera 2. Si juxta S. Job testimonium, Militia est vita hominis super terram, atque adeò necessariò sub alterutro Duce pugnandũ est, an non æquius sit, ut sub Christo omnes optimi Ducis conditiones habente, ex fine tam glorioso, & pro tam magno proœmio, quàm sub Dæmone contraria omnia habente, & promittente, stipendia merearis.

Considera 3. Si ob allatas rationes quivis homo Christi vexil-

vexillum jure merito sequi debet, quantò potiori jure & a
critate tu Christi castra sequi debeas, utpote quem non m
dò ad bellum vocare, sed etiam inter præcipuos suos Co
taneos adlegere dignatus est. Vide proin, quomodo te h
ctenus gesseris; & si quidem te Vexillum Christi desen
deprehenderis, vel nunc veniam supplex à Duce Christo p
te, atque, ut probrum ex imbecillitate & infidelitate con
ctum fortissimis facinoribus, & generosis victorijs eluas
dulò te conaturum promitte. Colloquium etiam ad SS.
tronos instituì potest.

Punctum II.

Considera 1. Contra quos præcipuè hostes pugnandum
sub vexillo Christi, videlicet contra triplicem Exercitu
quem inimicus Dæmon contra te & omnes homines edu
divitiarum scilicet, voluptatum, & honorum inordinat
amorem & concupiscentiam; nam, ut rectè S. Jacobus
advertit, *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abs
ctus & illectus.*

Considera 2. Quantopere timendus sit hic hostis, ob tr
plicem causam. 1. Quia tam multas jam victorias à fo
tissimis quibusque Heroibus reportavit. 2. Quia intr
nus & domesticus hostis est, atque adeò declinari nequ
cùm, teste S. Scriptura Gen. 8. *Sensus & cogitatio huma
cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* 3. Q
perpetuum cum eo bellum gerendum est; nam, ut bene a
vertit pius Author l. 1. c. 13. *non est homo securus a tent
tione, quamdiu vixerit, quia in nobis est, unde tentam
ex quo in concupiscentia nati sumus.*

Considera 3. Si generosi Milites tantò ampliùs gaudent
de hostis potentia & fortitudine, quantò meliorem sibi o
casionem oblatam advertunt, insignem Victoriam, præcla
que reportandi, quantopere tu quoque gratulari debeas t
de tam multiplici & glorioſa certandi & vincendi occasio
oblatâ; quòd proinde reipsũ ad certamen illis S. Chrysostom
ser. de Mart. verbis animare debeas: *Vnde tu Christiane
Sacerdos) delicatus es Miles, si putas, te posse sine pug
& vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortis
dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pati
con

conditionem attende, militiam noſce: pactum, quod ſpopondiſti: conditionem, qua acceſsiſti: militiam, cui nomen dediſti. Colloquium ad B. Virginem, rogando illam, ut, quoniam ipſa terribilis fuit, & etiamnum eſt, ſicut caſtrorum acies ordinata, ita te quoque tuis hoſtibus terribilem, ſua intercelſione facere dignetur.

Punctum III.

Conſidera 1. Quàm præclaro exemplo tibi præiverit Dux tuus Chriſtus in certamine contra triplicem hunc Hoſtem ſuſcipiendo, dum ſcilicet poſt quadraginta dierum in deſerto commorationem, triplicem cum hoſte conflictum ſuſcepit, & in primo quidem concupiſcentiam carnis, in altero concupiſcentiam honoris, in tertio concupiſcentiam divitiarum generosè ac feliciter ſuperavit, ita ut Dux ipſe Diabolus cum triplici ſuo Exercitu eum derelinquere coactus ſit, nec unquam ampliùs redire auſus.

Conſidera 2. Quibus armis potiſſimùm uſus ſit ad hoſtes hos ſuperandos, videlicet *gladio ancipiti Spiritûs, quod eſt Verbum DEI*, cùm, quoties Diabolus ipſum tentavit, eundem ſententiâ aliquâ ex S. Scriptura velut Verbo DEI petita eluſerit, & fugârit.

Conſidera 3. Quàm aptus & efficax ſit hic gladius ad ſimilem de ijſdem hoſtibus victoriam reportandam, cùm directè jugulum petat triplicis concupiſcentiæ, & oblatis ſeu oſtenſis bonis melioribus falſam & apparentem divitiarum, honoris, & voluptatum bonitatem vileſcere & deſipere faciat. Quàm ſedulò proinde ac conſtanter à te maximè, velut Sacerdote clavem ad Armamentarium Verbi divini ſeu S. Scripturæ habente uſurpari, aliiſque tibi ſubjectis Militibus diſtribui debeat. Maximè verò unam ex ſequentibus ſententiis uſurpando: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid voluì ſuper terram? DEVS cordis mei, & pars mea in æternum.* Pſ. 72. *Renuit conſolari anima mea, memor fui DEI, & delectatus ſum.* Pſal. 76. *Delectare*, O anima mea, *in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Pſal. 36. *Abſit mihi gloriari* (& delectari) *niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Gal. 6. Excita proinde te ad prælium pulchrâ illâ pij Authoris

ris l. 3. c. 56. sententiâ: *Eja Fratres, pergamus simul, IESV erit nobiscum. Erit Adjutor noster, qui est Dux noster, & præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnat pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores, simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à Cruce.* Colloquium ad Christum accendo cum memorato Asceta: *Domine IESV, sicut dixisti & promisisti, sic fiat, & mihi promereri contingat. Suscepi suscepi de manu tua Crucem* velut vexillum, & Verbum tuum velut gladium ancipitem ac sanctum, in quo deijciam omnes Adversarios meos: *portabo, & portabo eam usque ad mortem.*

Meditatio II.

De tribvs classibvs.

Etiam hæc Meditatio percommodè subjungitur Meditationi de duobus vexillis; cùm enim Miles, postquam Hostis fraudes & Machinationes cognovit, & contra eundem fortiter pugnare decrevit, nihil magis necessarium sit, quàm ut arma alacriter corripiat, & suum in ipsa acie Ordinem & locum à Duce assignatum teneat, rectè S. Ignatius in hac Meditatione diversitatem eorum, qui Christum sequi volunt, proponit, ut cognitâ priorum graduum insufficientia ad finem optatum obtinendum; ad tertium & perfectissimum gradum pervenire contendamus, sícque S. Pauli consilium ad æmulanda charismata meliora adhortantis sequamur.

Textus S. Ignatij.

Præludium primum fiat, propositis historiæ tribus hominum classibus distinctis, quarum unaquæq; decem mihi vocatorum alio, quàm divini cultûs & amoris studio fervere, nunc autem placatum habere DEVM, & salutem exoptet, sublato utcunque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento.

Secundum est, imaginaria constructio loci cujusdam, in quo videam, meipsum coram DEO, Sanctisq; omnibus assistantem atque perseverantem, cum desiderio intelligendi quonam pacto ipsi DEO placere queam potissimùm.

Tertium est, optatæ rei petitio, nimirum gratiæ, per quam id eligam, quod & DEO acceptissimum, & mihi saluberrimum futurum sit.

Prima igitur Classis optat quidem acquisitæ rei acquirendæ effectum, ut conciliari DEO possit, sed media, debita adminicula toto vitæ tempore non admovet.

Secunda itidem affectum malè ordinatum auferre cupit, sedem interim mordicus tenere, ac DEVM potiùs trahere ad votum proprium, quàm relicto impedimento, per conducibiliorem Statum ad illam tendere.

Tertia postremò affectum insincerum volens abijcere, rem ipsam vel tollere, vel tenere æquè parata est, prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit, ac interim omnia relinquens integra, illud tantùm versat, & inquirit, nec aliam admittit relinquendæ aut retinendæ rei acquisitæ causam, præter rationem ac desiderium divinæ gloriæ, ut quam maxima sit.

Colloquia tria subsequentur, ut nuper facta sunt in Meditatione de duobus vexillis.

Hæc Meditatio, ut ex contextu apparet, eò potissimùm collimat, ut cognoscat Exercitans, non posse se perfectam paupertatem spiritualem consequi, nisi etiam ad actualem sit dispositus, atque adeò paulatim ad Electionem Statûs faciendam disponit. Quia tamen Sacerdos, qui hîc præcipuè instituitur, Statum sacerdotalem jam elegisse supponitur, ideo ut debitum fructum ex hac Meditatione ipse quoque referat, poterit eandem in sequentem modum peragere.

Punctum I.

Considera I. primam Classem Sacerdotum in eo consistere, quòd Ordinem quidem Presbyteratus, curámque animarum susceperint, sed nulla ad geminum hunc finem obtinendum media adhibere volunt; hinc SS. Missæ Sacrificium, Officium divinum, & similia Exercitia spiritualia tepidè & sine fructu peragunt, Verbi divini prædicationem, & Sacramentorum administrationem obiter & sine legitimo Zelo obeunt, verbo, solo nomine Sacerdotis & Pastoris contenti sunt.

Con-

Considera II. Quàm periculosum sit in hac Classe versari. Quis enim Dux toleraret Militem, nunquam ad vigilias, bellum, aliáque officia militaria prodire volentem? quis Dominus retineret Famulum, solo titulo Famuli contentum, nunquam autem ad debita servitia præstanda animum applicantem? quantò minùs ergo DEVS toleraret Sacerdotem, si vitam & opera Vocationi suæ congrua non gerit? an non jure ad Sacerdotem ejusmodi illa Apocalyp. c. 3. verba repetet: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant.* Et iterum c. 2. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem venio citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo.*

Considera III. An non & tu hac in Classe fueris; & si quidem in ea te fuisse deprehendas, emendationem seriò propone, & sicut olim Alexander Militi nomen quidem Alexandri gerenti, sed nulla egregia facinora præstanti dixit: *aut nomen Alexandri depone, aut Alexandro digna gere:* ita tu similibus verbis te adhortare: *aut Sacerdotis nomen depone, aut Sacerdote digna age:* nihil enim prodest, quòd liquis Sacerdos vocetur in nomine, si hoc non ostendit re pere, ut rectè olim in simili casu S. Augustinus ser. 3 Sanctis pronuntiavit. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Secundam Classem Sacerdotum in eo esse, quòd media quidem ad suam, aliorúmque salutem curandam adhibere velint, non autem ea, quæ DEVS, periores, recta ratio præscribant, sed potiùs, quæ prop amor & voluntas dictat. Hinc in functionibus suis consolationem & laudem ac formam propriam, quàm ctum quærunt.

Considera II. Quàm parùm honorificum, imò nec etiam sit, in hac quoque Classe consistere. Quis enim Militem retineret, suo magis, quàm Ducis arbitrio ac tione pugnare volentem? an non defectu directionis xilij à Duce offerendi infeliciter pugnabit? idem autem cerdos timere debebit, si media à se potiùs excogitata, à DEO & Superioribus præscripta adhibeat. Tunc enim

titò de eo verificabitur, quod Christus Joan. 15. dixit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

Considera III. An non & tu in hac classe adhuc hæreas, atque adeò meritò illa Apoc. 3. verba applicare queas: non invenio opera tua plena coram DEO meo. *In mente ergo habe, qualiter acceperis* (vocationem tuam) *& audieris* (media, quæ adhibere debeas) *& serva, & pœnitentiam age.* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Tertiam Classem Sacerdotum in eo consistere, ut tam suam, quàm Proximi salutem non tam juxta suum, quàm DEI & Superiorum arbitrium procurare, omniáque ab ijs præscripta media sollicitè usurpare velint, illud Christi præceptum Joan. 15. semper ob oculos habentes: *Ego sum vitis, vos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, sic nec vos, nisi in me manseritis.*

Considera II. Quàm multa & efficacia motiva habeas, ut ad hanc Classem pervenire totis viribus contendas. Nam 1. Liberalitas DEI ad hunc Statum te vocantis id exigit, cui par utique mutua liberalitate respondere. 2. Proprium tuum commodum id suadet; quò enim liberaliorem erga summam Majestatem te præstiteris, tantò eum in te liberaliorem etiam experieris, & in dies magis idoneus eris ad gratias & dona spiritualia uberiora percipienda, ut S. Ignatius suos p. 3. constit. c. 1. §. 22. hortatus est. 3. Ad salutem quoque Proximi promovendam mirè conducit hæc Classis, cum Christus apertè dixerit Joan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum:* quis autem magis in eo manet, quàm qui ad exemplum illius non suam in omnibus suis actionibus, sed ejus qui misit illum, voluntatem ac gloriam quærit. 4. Exempla sæcularium quoque non modicè impellunt, quis enim non quotidie videt, quàm efficacia media ad finem sibi præfixum excogitent? quàm fortiter & constanter ea exequantur? potuerunt ergo illi & isti, & tu non poteris?

Considera III. Quomodo hactenus conatus sis ad hanc classem pervenire, & conari deinceps velis, illam tibi S. Pau-

li ad Eph. 4. sententiam ab Ecclesia dictam credens: *Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia &c. sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Colloquium Christum.

Consideratio

De Cura Animarum.

Considera I. In quo consistat Cura Animarum, nimirum in hoc, ut veri Pastoris officium impleas, atque adeò 1. O ves tibi commissas *pascas* SS. Eucharistia, & Verbo divi tam in Concionibus & Catechesi, quàm in privata conve tione. 2. Ut eas Oves tuas pro viribus *custodias*, comm dando eas frequenter protectioni divinæ, repellendo lu malarum occasionum, eásque à fraudibus Furis infera seu Dæmonis defendêdo, ut dicere aliquando possis cum v Pastore Christi Joan 17. *Cùm essem cum eis, ego servab eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & n mo ex eis periit.* 3. Ut ægrotas oves *sanet* per confes nes auditas, per opportunas correptiones, per salutaria media præscripta. Vide proin, quomodo hæc omnia hab nus observaveris, & observare deinceps velis.

Considera II. Quas ob causas hanc curam Pastoralem benter suscipere, & sedulò administrare debeas, videlicet Quia DEVS easdem tibi commisit, severam olim ration exacturus, &, ut S. Joannes Apostolus olim Episcopo, cui dolescentem educandum commiserat, dixit, ad te dictum Redde depositum meum. 2. Quia tam caro sanguinis vitæ Christi pretio sunt redemptæ, unde meritò S. Car Borromæus l. 3. c. 2. act. Mediol. f. 837. *Si*, inquit, *tanta erga pecora diligentia impendunt Pastores illi* (qui oves m teriales custodiunt) *quam, quæso, excusationem habebim quibus rationales animæ creditæ sunt, quòd profundi hunc somnum dormimus?* 3. Quia ampliſſima merc promissa pro tali custodia; *si enim magna merces est, si* Gregorius l. 19. mor. c. 16. *à morte eripere carnem quæ que morituram, quanti est meriti à morte animam libera in cœlesti Patria sine fine victuram?* Pondera proin h

mo

motiva, & per eadem Zelum tuum sub cinere amoris proprij sopitum exsuscita.

Considerà 3. Quibus mediis & industriis uti debeas ad eiram hanc Pastoralem dignè & fructuosè gerendam, videlicet ijsdem, quibus Pastores ovium materialium uti consueverunt. Et primò quidem Amorem specialem erga oves tuas concipiendo; si enim Dæmon olim, cùm à Christo in judicio rogatus, cur dicere ausus sit, quòd majori impetu in perniciem animarum feratur, quàm torrens violentus per campos rapi consuevit, respondit: *quia tu illas tantopere amas*: quidni eundem amorem tu quoque considerans simili amore accendaris, atque adeò & simili impetu rapiaris ad eas diligentissimè custodiendas. Secundò Vigilantiam velut canem secum semper habendo, sícque diligenter pericula, quæ ingruere possunt, sollicitè prævidendo, & fortiter removendo. Tertiò Baculum fortitudinis & invictæ constantiæ in manibus semper tenendo, illud Christi Matth. 10. semper ob oculos habendo: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, nisi per vestram timiditatem & socordiam eis aditus ad illam permittatur. Vide proin, quàm efficacia sint hęc media, & quomodo tu ea hactenus adhibueris, aut adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum.

Meditatio III.

DE VITA PUBLICA CHRISTI.

Per Vitam publicam Christi hoc loco nihil aliud intelligitur, quam tres anni ultimi Vitæ Christi, quos in salute Proximi per publicas actiones, puta conciones, sanationes, conversationes &c. procuranda consumpsit, unde Scopus hujus Meditationis erit addiscere, quomodo Christus cum hominibus egerit, & quibus industriis eorum salutem procuraverit.

Præludium primum erit, Christum in tertis obambulantem, & prædicantem, aliáque beneficia tam corporalia, quàm spiritualia conferentem intueri.

Secundum erit, petere gratiam, ut hoc Exemplar bene aspicere, & quàm proximè imitari queam.

Punctum I.

Considera I. Quomodo Christus se ad vitam hanc publicam præparârit, & quid ante curam animarum susceptam observârit, videlicet 1. Per baptismi Peccatoribus præcipuè a pœnitentiâ administrati susceptionem, perfectissimam humilitatem exercuit, ut, quo altius futurum erat prædicationis Evangelicæ ædificium, tantò profundius priùs fundamentum jaceret. 2. Non antè, quàm à Patre cælesti intereretur, illáque vox: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*; de cœlo audiretur; ut adeò meritò illa Isaiæ c. 61. verba usurpare potuerit: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem.* 3. Orationi & jejunio per quadraginta dies vacavit, ut gratiam ad tantum opus necessariam petere, & impetrare doceret. 4. Diabolum ter tentantem fortiter repulit, & vicit, ut iterum exemplo suo doceret, neminem securè alios ad pugnam cum Dæmone & vitijs suscipiendam efficaciter hortari posse, nisi non priùs ipse generosam de hoste victoriam reportâsset.

Considera II. Quàm aptæ sint hæ industriæ ad curam animarum fructuosè suscipiendam, eò quòd per easdem Operarius Evangelicus cum DEO arctiùs conjungatur, atque adeò optatum successum, & gratiam vocationis jure meritâ sperare queat.

Considera III. Quomodo tu hactenus has industrias observâris, & observare deinceps velis. Colloquium ad S. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quomodo Christus se gesserit, quando ad curam animarum suscepit; videlicet quòd 1. hanc curam suscepterit *prudenter*, præmittendo orationem; & bonam intentionem præmittendo omnibus actionibus, ut, dum ipse rigaret, & plantaret, DEVS incrementũ daret. 2. *Universaliter*, omnes æquali amore complectendo, ita ut jure usurpare potuerit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. 3. *Efficaciter*, beneficia tam corporalia, quàm spiritualia liberaliter conferendo, ita ut hoc quasi exemplo perinde, ac S. Joannes Disci-

los ad imitationem hortatus sit: dicens: *Filioli mei, non diligamus verbo, aut linguâ, sed opere & veritate.* 1. Joan. 3. 4. *Fortiter*, nulli difficultati aut murmurationi, alterive obstaculo cedens, nulli labori aut molestiæ succumbens, ita ut velut bonus Pastor animam suam dare non dubitaverit pro ovibus suis, ut per hoc indicium magnitudinem charitatis suæ probaret.

Considera II. Quàm bene & succinctè his quatuor proprietatibus tota Pastoralis curæ obligatio & perfectio comprehendatur; quàm æquum proinde sit, ut ad hoc exemplar oculos, mentémque assiduò reflectas, & quàm proximè æmulari studeas.

Considera 3. Quomodo id hactenus egeris, & agere deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quomodo Christus se post actiones in Proximi salutem susceptas gesserit, nimirum, quòd gratias Patri suo devotè egerit; nihil sibi de fructu, sed omnia Patri adscripserit, non quærens gloriam suam, sed ejus, qui miserat ipsum, Patris: non tristatus sit, si optatus successus & fructus non est secutus, sed placidè in divina ordinatione acquieverit.

Considera II. Quàm æquum sit, ut tu quoque simili modo te geras; & primò quidem gratias tantò ferventiùs persolvas, quantò majus tibi beneficium collatum esse agnoscis, dum te velut tam vile & inutile instrumentum ad tam excelsum opus assumere dignatus est. Deinde verò de fructu etiâ tantò tibiminùs adscribas, quantò clariùs cognoscis, te plantâsse & rigâsse duntaxat, incrementum autem à DEO datum esse, atque adeò meritò cum S. David. Ps. 113. exclames: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Denique quoad fructum etiam divinæ dispositioni plenissimè te conformes, sciens, quòd curam à te solùm exigat DEVS, non cutationem, & securus sit labor tuus, ut quem nullus defectus evacuare valet, ut bene S. Bernardus l. 4. de consid. c. 2. advertit.

Considera III. Quomodo hæc tria capita hactenus observâris, & observare deinceps velis. Colloquium ad Christum.

Materia Lectionis.

Ex lib. 3. de Imitatione legi potest c. 56.

Ex libello Exercitiorum verò legi possunt tres Gradus Humilitatis in hunc modum à S. Ignatio propositi.

Primus Humilitatis modus hic est ad salutem necessarius, ut me penitus subdam divinæ legi observandæ, itque ut Mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto, transgrediar ex deliberato Mandatum ullum divinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Secundus majoris est perfectionis, ut fixo animo ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitæ ac longitudinem, æquè sim propensus, ubi æqualis est divinæ laudis & salutis meæ occasio, itque nulla vel humana quantacunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propositâ adducar unquam, ut culpam, licet venialem tantum, admittam.

Tertius est modus humilitatis absolutissima, ut primum jam duos adeptus, etiamsi nullo superaddito laus DEI parere, ad majorem tamen imitationem Christi, eligam potius cum copaupere, spreto, & illuso, paupertatem, contemptum & insipientiæ titulum complecti, quam opes, honores, & sapientiæ æstimationem.

Porro circa hos tres gradus rectiùs intelligendos, sequentia breviter annotâsse proderit. Primò Finem eorundem esse, ut omnium præteritarum Meditationum fructus in compendium redigantur, & proposita in eis facta confirmentur: unde S. Ignatius eorum considerationem non pro speciali Meditatione præscripsit, sed solummodo per vices, toto decursu, recolere eos jussit.

Secundò totam perfectionem Christianam in his tribus gradibus contineri, atque adeò primum viæ purgativæ, secundum illuminativæ, tertium unitivæ respondere.

Tertiò. Eosdem gradus appellari à S. Patre modos humilitatis, eò quòd humilitas, licet immediatus ejus finis sit, effectum propriæ excellentiæ moderari, per hanc tamen moderationem conetur perfectè hominem subjicere DEO, & ad mandatorum perfectam observationem disponere. Alius

:ıſuper rationem, cur hos gradus ſic nominaverit, affert Ludovicus de Palma, quòd ſcilicet hi gradus contemptum omnium divitiarum & honorum, & vires, bonámque diſpoſitionem ad infamiam & vilipenſationem ſubeundam exigant, quæ omnia ſine profunda humilitate fieri non poſſunt.

Quartò hos gradus à S. Patre faciendæ electioni præpoſitos fuiſſe, eò quòd hæc electio maximè pendeat ex abſtractione à rebus temporalibus, animíq; ſubjectione ad Deum, quæ utraque diſpoſitio per hos tres gradus obtinetur.

Materia Scriptionis.

Pro hac hodie materiam copioſam axiomata quædam ſpiritualia dabunt; hæc enim ſunt quaſi firmi lapides, ex quibus fundamentum Chriſtianæ perfectionis conſtrui debet, ad quos in memoriam & animum jaciendos ſequentibus verbis hortatur Origenes hom. 26. in Lucam: *Antequam oriatur tempeſtas, antequam ventorum flatus conſurgant, & intumeſcant flumina, omne ſtudium ad ædificiorum fundamenta vertamus: ædificemus domum noſtram firmis lapidibus, ut, cùm durus turbo ſurrexerit, oſtendamus nos habere ædificium ſupra firmam petram Chriſtum IESVM.* Ut autem ejuſmodi axiomata in promptu habeas, ſequentem in modum annotari poſſunt.

Axiomata Vitæ Spiritualis.

I. *Nemo bonus, niſi ſolus DEVS*, Luc. 18. intellige ſubſtantialiter, & à ſe. Hinc DEVS Moyſi Exod. 33. *Veni, ego oſtendam omne bonum tibi.*

II. *Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* S. Auguſtinus l. 1. Conf. hinc DEVS triangulare cor fecit, ut innueret, à ſolo DEO uno & trino, non autem à circulari Mundo impleri illud poſſe.

III. *Dulciùs ex ipſo fonte petuntur aquæ*; quia ex illo puriùs, recentiùs, copioſiùs hauriuntur. Hinc DEVS Jerem. 2. queritur: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.*

IV. *Guſtato Spiritu deſipit omnis caro:* hinc S. David hortatur Pſ. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.*

V. *Nihil malum, niſi peccatum:* quia hoc ſolùm ſeparat

à summo bono, vel minuit possessionem illius. Hinc S. Petrus 1. c. 3. *quis est*, inquit, *qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis.*

VI. *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Thomas Kemp. l. 1. c. 25. quia, cùm sensus hominis ad malum proni sint, necesse est, ut, quantò violentiùs se à malo abstraxerit, tantò propinquiùs ad summum bonum accedat. Hinc SS. Ignatius, & Franciscus Xaverius nihil magis, quàm victoriam sui commendabant.

VII. *Si vis vitam, muta vitam.* S. Augustinus. quia mutando vitã tuã imperfectam, moreris tibi, quantũ autẽ mortis tibi, tantũ Deo vivis, qui est vita vera, jucunda, secura, perfecta.

VIII. *Omnis gloria Filiæ Regis ab intus.* Ps. 44. quia omnis gloria hominis in possessione summi boni, quæ per amorem obtinetur, consistit; amor autem intrinsecus est animæ. Hinc meritò DEVS per Prophetam Jer. c. 9. hortatur: *Non glorietur Sapiens in Sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nôsse me.*

IX. *Optima vita optimus DEI cultus.* Seneca in epist. quia optima vita est vita beneplacito & voluntati DEI conformis; nemo autem DEVM magis colit, quam qui ejus voluntatem perfectè implet; hinc S. Augustinus in Ps. 150. dicit: *Vis semper laudare DEVM? benefac omnia, quæ facis, & semper laudásti DEVM.*

X. *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* S. Augustinus ho. 40. quia duo media ad vitam rectè instituendam sunt necessaria, illustratio intellectûs, & motio voluntatis, hæc autem utrumque per orationem rectè institutam obtinet.

XI. *Tantùm DEVS apponit ad adjutorium, quantùm nos addimus ad studium.* Cæsarius hom. 3. ad Monach. Quia quando homo facit, quod in se est, tunc præparatio hominis ad gratiam habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a DEO, non quidem necessitatem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio deficere non potest, uti S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 3. discurrit.

XII. *Summa patientia, summa scientia*; quia hæc scientia, scilicet nôsse rectè pati, est summè necessaria, utilis, ho-

honorifica, unde S. Paulus apertè 2. Cor. 2. dixit: *Non judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.*

XIII. *Opinio, non tribulatio nos cruciat*: quia tribulatio mala in se non est, cùm summam rectè accipientibus utilitatem afferat; sed opinio de illa malam facit; cùm igitur turbamur ex earum adventu, non alios culpemus, sed nos ipsos, id est, opiniones nostras, ait rectè Epictetus. c. 10. Enech.

XIV. *Prima virtus Monachi est, hominum judicia contemnere.* S. Hieronymus in epist. ad Pammach. quia cùm humana judicia plerumque valde distorta sint, id est, contraria rectæ rationi, nihil unquam rectè aget, qui talibus judicijs velut regulæ suas actiones conformat. Hinc S Paulus 1. Cor. 4. dixit: *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Si enim hominibus placerem, Christi servus non essem.

XV. *Perfectio maxima in minimis.* Quia in his major difficultas superanda est, atque adeò amor Dei, in quo perfectio consistit, magis exercetur; hinc S. Ignatius, teste Nicolao Lyræo l. 1. apopht. 5. ad quendam sic scripsit: *Libentissime audimus, te inter fratres infima quærere, & ultima atque minima consectari; nam magnitudo humanæ mentis non in eo sita est, ut magna ex suo sensu quis eligat, & amplectatur, sed ut ad minima se extendat. Perge igitur exercerin minimis, ut maxima æternæ vitæ præmia promereari.*

XVI. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* prov. 21. quia, dum sanitatem corporis conservat, vitam quoque corporalem adjicit; & dum ad spirituales actiones ritè peragendas aptior per abstinentiam efficitur, spiritualem quoque vitam gratiæ & gloriæ non mediocriter auget.

XVII. *Qui se humiliat, exaltabitur* Luc. 14. nam I. exaltatur ad majorem amicitiam Dei, ut S. Augustinus in ps. 25. indicavit dicens: *Vis esse exaltatus? esto humilis, quia surgimus sancti, cùm fuimus humiles.* II. Exaltatur ad officia digniora: quia Deus infirma mundi eligit, ut confundat fortia. III. Exaltatur ad famam majorem, quia gloria sequitur fugientes.

XVIII. *Omnia nostra aliena sunt, solum tempus nostrum est.* Seneca. quia temporis solius perfectum dominium habemus; hinc tam sollicitè monet Apostolus ad Eph. 5. *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus.*

XIX. *Obediens loquetur victorias.* prov. 21. quia i. vincet *dæmonem*; quia per solas voluntates nostras propr nos impugnant, atque adeò, dum hæc aliis perfectè per obedientiam subjicitur, arma dæmonis infringuntur. Hinc Gregorius in 4. Reg. c. 4. *cæteris virtutibus*, inquit, *dæmones impugnamus, obedientiâ vincimus.* II. Vincet *carnem propriam*; *expedit enim inferius subjici superiori*, inquit S. Augustinus, *ut is, qui subjici vult id, quod inferius est, subjiciat se superiori suo. Tu majori, tibi minor. Ty Deus tibi caro.* Hinc Thomas Kemp. l. 2. c. 13. monet: *Dejectus gitur celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare.* III. *Vincet inimicos*; quia, cum placuerint Domino viæ ejus (id quod maximè per obedientiam fieri solet) etiam inimicos convertet ad pacem; certè, cùm sit vir secundùm cor Dei, brachium Dei confortabit eum. IV. Vincit *difficultates in actionibus occurrentes*: quia, cùm faciat cum Ezechia mandata, quæ præcepit Dominus, cum ipso quoque Dominus erit, & in cunctis, quæ processerit, sapienter se geret. V. Vincet *tribulationes*: quia obedienti perinde ut diligenti omnia convertuntur in bonum.

XX. *In Christianis non exordia laudantur, sed finis.* Hieronymus l. 1. contra Jovin. nam incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; & frustra velociter currit, qui, priusquam ad metas venerit, deficit, ut S. Gregorius l. 1. mor. rectè pronunciavit.

EXERCITIA
TERTIÆ HEBDOMADÆ.

HActenus in superiori hebdomada consideratum est, qua ratione Christus Dux & Magister noster prima duo officia hominis Christiani, scilicet *abstinere*, & *agere*, docu-

rit, superest, ut pariter nunc consideretur, quomodo tertium officium, videlicet *sustinere* docuerit, id quod in tertia hac hebdomada discetur. Unde facilè patet, quis sit scopus hujus hebdomadæ, nempe *artem patiendi* à Christo velut perissimo Magistro discere; quòd ut faciliùs obtineatur, sequentia de hac arte monita breviter notanda sunt.

Primum monitum est, artem hanc in tribus præcipuè regulis consistere, scilicet ut *patienter*, id est, absque murmuratione & contradictione: *libenter*, id est, eo animo, ut, si optio daretur inter auream & spineam coronam, hanc cum S. Catharina Senensi eligeremus; *ardenter*, id est, cum gaudio (juxta S. Jacobi c. 1. monitum dicentis: *Omne gaudium existimate, Fratres, cùm in varias tentationes incideritis*) tribulationes sustineantur. Quos tres gradus seu regulas S. Bernardus S. 1. de S. Andrea assignavit, dicens: *Triplicem hic considerare licet gradum, incipientium, proficientium, & perfectorum. Qui initiatur à timore, Christi crucem sustinet patienter: qui proficit in spe, portat libenter; qui verò consumatur in charitate, amplectitur jam ardenter. Solus etenim iste est, qui dicere possit: Amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Felix anima, quæ ad hunc pervenerit gradum.*

Secundum monitum est, plurima quidem esse objecta, circa quæ ars hæc, patiendi versari solet, sed ea omnia ad tres classes revocari posse, videlicet ad indigentiam, dolores & contemptum, quas classes P. Balthasar Alvarez Societatis Jesu sacerdos tres Comites Christi appellare solebat, eò quòd per totam vitam copiosas earum patiendarum occasiones habuerit, maximè verò tempore passionis suæ, uti ex meditationibus sequentis diei apparebit.

Tertium est, varia quidem media ad hanc artem addiscendam ab Ascetis & Patribus spiritualibus præscribi, sed primarium meritò censeri, ut fundamentum hujus artis bene apprehendat, quod est, certò sibi persuadere, imò firmissima fide credere, quòd nihil sine voluntate approbativâ, & permissiva Dei fiat; quidquid autem Deus fieri permittit, id ex singulari Providentia aç sapientia ipsius ad summam nostram utilitatem dirigi, vel ut castiget nos tanquam Pater: vel probet nos, tanquam Dux & Magister: vel perficiat nos, magis-

magísque uniat ſibi tanquam ſponſus, ex quibus ſimil
ſemper unum præfigit Deus, & proptera pſ. 28. *Filium u*
cornium vocatur, eò quòd non cæco impetu feriat, ut Ta
habentes cornua ſupra oculos facere conſueverunt, ſed ſi
unicornis, quòd cornu ſuum habet infra oculos, ut adeò
deat, quem & quâ ratione ferire velit ; ſed & cornu va
ſalutari ferit, utpote quod aquas venenatas à veneno li
rat, & purgat.

Quartum monitum eſt, hanc artem omnibus quidem h
minibus neceſſariam eſſe (cùm omnes oporteat per mul
tribulationes intróire in regnum Dei, act. 14. &, ut S. La
rentius Juſtin. c. 3. ligni vitæ advertit, *univerſum vitæ n*
ſtræ tempus ſit quædam vigilia ſolemnitatis æternæ; vigi
autem utique non ſit tempus deliciarum, ſed fletus) p
præcipuè tamen Sacerdotibus convenire, tum quia ipſi q
que ſunt vas à Deo electum, ut portent nomen Dei coram
gentibus & Regibus, atque adeò oſtendetur etiam illi
quanta oporteat eos pro Chriſti nomine pati ; tum quia
ſunt Capitanei Chriſti velut ſupremi Ducis, atque adeò m
ritò etiam majori fortitudine prædiți, atque ad adverſa m
ta perpetienda parati eſſe debent, cùm, ut S. Thereſia, re
Lancizio opuſc. 9. n. 13. dicere ſolebat, ſemper obſervatu
ſit, eos, qui Chriſto viciniores extiterunt, plus alijs labor
bus & adverſis lancinatos & vexatos fuiſſe. Unde Sacerd
curam animarum ſuſcipiens imaginari debet ſibi contin
re, quod S. Henrico Suſoni, teſte Nicolao Lyræo in apoph
S. Ignatij l. 1. apoph. 3. contigiſſe ſcribitur, dum ſcilic
juvenis quidam à Deo miſſus ocreas, ſcutum, & haſtam
tulit dicens: *Noveris, te hactenus inter pedites merui*
modò verò ad equeſtrem Ordinem vocari ; priùs enim,
lubuit, te caſtigaſti, nunc flagello iniqua lingua caderis; h
ctenus uberibus Chriſti lactatus, nunc felle potaberis: h
ctenus hominibus gratus eras, licet tibi inimicus, nunc h
mines contra te calcaneum levabunt. Unde meritò, ſi ta
experiatur, dicere poteſt Sacerdos, quod Seneca lib. de pr
vid. dixit: *Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretu*
quantùm humana natura pati poſſit: Optimi milites
duriſſima mittuntur.

DIES QUINTA.

SCopus hujus diei est, discere à Christo, quomodo se ad artem patiendi exercendam præparare debeat Sacerdos; ad hanc enim præparationem ipse Christus non semel discipulos suos hortatus est, maximè verò Jo. 15. dum dixit: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Etiterum c. 16. *Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis; qui interficit vos, arbitretur, obsequium se præstare Deo. Sed hæc locutus sum vobis, ut, cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Hinc etiam S. Augustinus in ps. 40. monet: *Ad tribulationes, pressuras, angustias, tormenta, dolores, abundantiam tentationum paremus animos; ne imparati deficiamus; hæc enim nobis scriptura in hoc sæculo promittunt.* Ne autem falli timeamus à scripturis, sic paulò ante locutus est. *Fratres mei; obsecro vos, attendite scripturas nostras, si aliquid fefellerunt, & si aliquid dixerunt, & aliter accidit, quàm dixerunt.* Quia verò Christus triplicem præcipuè præparationem adhibuit, scilicet lotionem pedum, Eucharistiæ institutionem, & orationem in horto, ideò quomodo eandem Sacerdos quoque imitari debeat, per triplicem hodiernæ diei meditationem ostenderur.

Tessera:

Ludam, & vilior fiam plùs, quàm factus sum, & humilis ero in oculis meis. 2. Reg. 6.

MEDITATIO I.

DE LOTIONE PEDUM, SUMMAQUE humilitate per eam à CHRISTO exercita.

Punctum I.

Præludia more consueto.

Considera I. Qua potissimùm de causa Christus se ad pedes

des Apostolorum abjecerit, pedésque laverit, nempe ut humilitatis profundissimæ exemplum pulcherrimum relinqueret; hoc enim ipse Jo. 13. indicavit, dum dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, quod utique non de lotione pedum, sed humilitate per eam exercita intelligendum est, ut scilicet, quemadmodum Matt. 11. dixit, discerent ab ipso mites & humiles corde esse, id est, non modo se minimos omnium per intellectus judicium æstimarent, sed etiam revera ut tales ab alijs haberi & tractari per voluntatis affectum appeterent.

Considera II. Quàm magnum & præclarum fuerit hoc exemplum; si enim magna prorsus, teste S. Bernardo I. *missus est*, & rara virtus est humilitas honorata, mirabile te apparere, & contemptibilem te reputare; quantam oportet fuisse Christi humilitatem, qui cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi, id est, hominis quoad conditionem status postremi & minimi, accipiens.

Considera III. An non S. Augustinus hoc exemplum considerans meritò to. 2. Epist. 56. dixerit: *Obsecro, & primum rogo, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renovamini spiritu mentis vestræ.* Vide proin, quomodo hoc exemplar hactenus secutus sis, & sequi deinceps velis, maximè cùm tam præclaram habeas occasionem, Parochianis tuis cum magna humilitate te subjiciendi & serviendi, si non materiali, spirituali certè pedum lotione, id est, absolutione sacramentali. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quas ob causas Sacerdos specialiter hoc Christi exemplum imitari, profundissimæque humilitatem studere debeat, videlicet I. *Ob summam suam dignitatem*, quâ omnes homines, etiam ipsos Reges, ut alibi ex SS. Patribus ostensum est, superat, unde meritò sibi applicare debet salubre Siracidis c. 3. Eccl. monitum: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* II. *Ob muneris sui qualitatem*: cùm enim sit

hujus muneris sit Dei gloriam suâmque & proximi salutem proviribus procurare, meritò humilitatem tanquam efficacissimum medium ad triplicem hunc finem obtinendum, arripere debet; cùm Deus infirma & humilia mundi eligere soleat, ut confundat fortia. Unde meritò Sacerdos S. Augustini sapientissimum consilium sequi debet, in serm. de verbis Domini dicentis: *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis* (qualis utique est gloria Dei major, & propria, proximique perfectio) *de fundamento priùs cogita humilitatis. III. Ob patientiæ necessitatem*: cùm enim ars patiendi Sacerdoti præ reliquis sit necessaria, æquissimum est, ut humilitati quoque specialiter studeat, quia, ut Deus ipse S. Catharinæ Senensi Dial. c. 154. dixit, humilitatis soror est patientia invicta, & hæc patientia est medulla charitatis, ac signum evidens, ac apertè demonstrativum, quòd anima sit in gratia consistens in Deo. Unde de ipso Christo S. Paulus ad Philipp. 2. dixit, quòd priùs humiliaverit seipsum, & posteà primùm factus sit obediens usque ad mortem crucis.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva ad humilitatem persuadendam, quamque adeò verè S. Joannes Evang. B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis in raptu dixerit (ut vitæ ipsius p. 4. c. 40. refertur) quòd anima, quæ in se habet perfectionem humilitatis, facillimè possidebit amorem absque eo, quod aliud exercitium adhibeat ad illum obtinendum; & nunquam inveniatur cor plenum humilitate, quin sit plenum amore.

Considera III. Quomodo tu deinceps virtutem hanc sectari velis, cúmque in finem semper meminisse, quòd S. Bernardus in Epist. non verè minùs, quàm præclarè dixit: *Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis* (& ob paritatem rationis, etiam cujusque sacerdotis) *quàm humilitas; nempe si amittitur, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est*; perit enim omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur, teste S. Gregorio l. 8. moral. Colloquium ad B. V. rogando, ut, sicut ipsa placuit ex virginitate, sed ex humilitate concepit, ita quoque similem humilitatem impetrare dignetur.

Pun-

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs uti debeas ad hanc tam n
cessariam humilitatis virtutem obtinendam, tribus vide
cet. *I. Assiduâ consideratione humilitatis Christi*; ita
nim S. Bernardus epist. 87. suasit dicens: *Exinanivit*
metipsum Christus, ut priùs præstaret exemplo, quod do
rus erat verbo, & ut non apponat se ultrò magnificare hu
super terram; intolerabilis enim est impudentia, ut, ub
exinanivit majestas, vermiculus infletur, & tumescat.
Sincera sui cognitio: ita namque S. Bernardus in per
Dei loquens indicavit: *O homo, si te videres, mihi pla*
res, & tibi displiceres: sed quia te non vides, tibi place
mihi displices. Hinc senex quidam interrogatus à fra
quomodo anima humilitatem adipisci posset? respond
Si sua tantummodo, & non alterius mala consideret. Ul
vitis PP. l. 3. n. 131. refertur. *Humiliatio crebra*: na
teste S. Bernardo in Epist. *Humiliatio est via ad humili*
tem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam.
ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias h
miliationis, nam, si non poteris humiliari, non poteris
humilitatem pervenire.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media, utpote
quæ tot & tam sancti Viri ad summam humilitatem per
nerunt, ita ut meritò de ijs usurpari possit verissima Joan
Climaci c. 2. & 3. grad. 15. sententia, quâ dixit: *Qui*
aliquem vel audieris, vel videris, intra paucos annos al
simam tranquilitatem (seu perfectionem, quæ est ma
tranquilitatis) *acquisivisse, noli hunc existimare, alia*
quàm hanc beatam, celeremque viam humilitatis pe
ambulâsse:

Considera III. Quomodo deinceps hæc media usurp
velis, diceréque ad Christum per colloquium cum S. Ber
do S. 2. de ascens. Dom. *Domine IEsu, beatus, qui ha*
te Ducem habet, non illum refugam spiritum, qui sc
ascendere voluit, & tota divinitatis dextera percussu
Nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ, sequamur te
te, ad te, quia tu es via, veritas, & vita: via in exem
veritas in promisso, vita in præmio.

Me

MEDITATIO II.

DE SS. EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE.

Præludia consueta.

Punctum I.

Considera I. Quæ fuerit causa primaria Eucharistiæ à Christo institutæ, scilicet, ut per eandem sacrificium perpetuum ipse per Sacerdotes velut Ministros æterno Patri suo offerret; ob hanc enim causam S. David ps. 109. dixit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Considera II. Quàm præstans, Deóque gratum sit hoc sacrificium; si enim sacrificia pecorum, aut thymiamatis olim in veteri testamento oblata tam suavem Deo odorem exhibant, id est, tam grata Deo extiterunt, ut & placari se tam facilè permitteret, & tam multiplicia dona offerentibus conferret; quantò magis gratum eidem Deo Patri oportet fuisse hoc sacrificium, quod sive offerentē, sive rem oblatam, sive intentionem offerentis spectes, omnia sacrificia alia etiam collectivè accepta infinities dignitate sua excedit, ita ut meritò dicatur à Theologis, etiamsi omnes omnium Sanctorum actus virtuosi in uno cumulo, Deo cum omni possibili devotione offerrentur, nunquam eos tam gratos eidem futuros, quàm sit unicum sacrificium Missæ à sceleratissimo etiam Sacerdote oblatum.

Considera III. Quàm magnum beneficium tibi sit collatum, dum præ innumeris alijs hominibus electus es; ut Christi personam in sacrificio hoc offerendo sustinere, támque gratum quotidie æterno Patri obsequium offerre, simúlque ut Thomas Kemp. l. 4. c. 5. loquitur, Angelos lætificare, Ecclesiam ædificare, vivos adjuvare, defunctis requiem præstare, & teipsum omnium bonorum participem efficere possis, ita ut meritò idem Author præ admiratione exclamet: *Grande mysterium, & magna dignitas Sacerdotum, quibus datum est, quod Angelis non est concessum. Certè si haberes Angelicam puritatem, & S. Ioannis Baptistæ sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere & tractare.* Itaque *attende tibi, & vide, cujus ministerium tibi*

traditum est per manus Episcopi; ecce Sacerdos factus e
& ad celebrandum consecratus; vide nunc, ut fideliter
devotè in suo tempore Deo sacrificium offeras, & te ipsu
irreprehensibilem exhibeas. Colloquium ad SS. Patronu

Punctum II.

Considera I. Quæ sit altera causa hujus institutio
nempe ut esset memoriale Passionis suæ; ita enim ipse in
cavit, dum statim institutioni subjunxit dicens: *Hæc fac*
in meam commemorationem. Hinc & ipsa panis & v
consecratio seorsim facta, & cæremoniæ, quæ adhibentur
scripto Ecclesiæ, ad Passionem Christi in memoriam re
candam conducunt; ideò námque Sacerdos, teste pio Aut
re l. 4. c. 5. *habet ante se, & retro Dominicæ crucis signu*
ad memorandam jugiter passionem. Ante se crucem su
sula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, Qui
cruce signatus est, ut adversa qualibet ab alijs illata clemen
ter pro Deo toleret.

Considera II. Quantas hinc vires accipere queas ad c
cem cum Christo fortiter & constanter portandam; si en
teste S. Gregorio, *Nihil est, quod non æquanimiter tolerem*
si Christi Passio ad memoriam revocetur; quantò magis
patientiam tu excitaberis, qui quotidie Christi passion
modo tam perfecto in hoc sacrificio recolis.

Considera III. An hactenus hoc medio usus sis ad am
patiendi addiscendam, & uti deinceps velis. Colloqui
ad B. V. orando, si placet, hymnum: *Stabat Mater.*

Punctum III.

Considera I. Quæ sit tertia causa institutionis hujus
scilicet ut Eucharistia esset cibus animæ, eandem ad om
labores exantlandos, adversitatésque fortiter perferen
confortans; ita enim S. David ps. 22. indicavit dicens: *Pa*
rasti in conspectu meo adversus omnes, qui tribulant m
Eâdem de causâ Christus hunc cibum paulò antè principi
suæ Passionis instituit, sumpsítque ipsemet, & Discipu
suis distribuit, ut se quidem apparenter atque ad exemple
Discipulos verò reipsa roboraret, atque ad societatem Pas

tis excitaret; si enim alias in fortitudine cibi, qui tantùm figura erat Eucharistiæ, ab Angelo oblati quadraginta dierum & noctium molestissimum iter tam facilè superavit, quantò majores vires ipsum figuratum, nempe Eucharistia, communicabit, ut non ad montem Horeb, ut Elias, sed ad montem Calvariæ cum Christo ambulemus, eidémque compariamur, & commoriamur.

Considera II. Quàm vel ex hoc titulo iterum te felicem censere debeas, quòd tam præclarum medium tibi ad artem patientiæ juxta exemplum Christi Magistri ac Ducis tui exercendam, oblatum sit, quàmque adeò æquum sit, ut, quoniam sive supra, sive infra, sive intra, sive extra te converteris, ubique crucem inventurus es, quotidie hoc cibo cum magna aviditate fruaris, eúmque in finem salubrem S. Augustini super c. 28. Matt, adhortationem tibi applices: *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie mereàris accipere*; ne alioqui de te dici queat, quod de Juda infelici S. Hieronymus super Luc. dixit, quòd scilicet *biberit* (& comederit) *sed non saturatus sit; nec sitim extinxe, vit ignis aterni, quia indignè sitivit mysteria Christi.*

Considera III. Quomodo hactenus hunc cibum desideràris, & sumpseris, & summere deinceps velis; nam, ut rectè iterum pius Asceta l. 4. c. 3. notavit, *hæc est una principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur in mortali corpore, ut sæpius memor Dei sui, dilectum suum devotæ suscipiat mente.* Colloquium ad Christum cum congruis affectibus.

Meditatio III.

De Agonia Christi, et Oratione in horto.

Præludia more solito.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus tam gravem agoniam & tristitiam in monte Oliveti sustinere voluerit, ita ut repræsentatio sola sanguineum ipsi sudorem expresserit, nimirum ut solidam iterum præparationem ad secuturam passionem do-

ceret, & sic levius adversa tolerare faceret; *minùs enim eula feriunt, quæ prævidentur; & nos tolerabilius ma mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum nimur*, ut rectè S. Gregorius ho. 35. in Evang. notavit.

Considera II. In quibus capitibus hæc præparatio stiterit, nempe in sequentibus I. Quòd firmis sibi persuaserit, se secundùm puram naturam humanam ctatum, ejusmodi adversitates & tribulationes perpeti, u cebat, non posse, sed omnem suam sufficientiam ex Deo II. Quòd ad montem Oliveti, id est, misericordiam Dei fugerit, ab eâque per rer repetitam ardentissimam on nem aut translationem calicis seu passionis, aut certè riam & auxilium ad eundem exhauriendum petierit. Quòd voluntatem suam Dei voluntati plenissimè confo rit, atque ideò calicem, ubi transferre eum, Deum cognovit, promptissima mente acceperit; hoc enim cant verba illa Matt. 26. *Pater, si non potest transire ist e, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*

Considera III. Quàm solida sit hæc præparatio, dign quam omnes artem patiendi discere volentes adhibeant pote omnes eos actus, qui in simili casu à sapientissimo que præscribi, aut requiri potest, continentem. Vide p quomodo tu eam hactenus usurpaveris, & usurpare, ceps velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Cur Christus ad suam hanc agoniam ctandam tres dilectissimos suos Discipulos, quibus an monte Thabor gloriam suam ostenderat, secum accep videlicet ut per hanc assumptionem significaret, se eos magis diligit, magisque gloriæ suæ olim participes e pit, priùs etiam tristitiæ & passionis Socios habere Hinc postea aliquando B. Baptistæ Veranæ, ut in Chron Franc. p. 4. tr. 2. l. 7. c. 24. refertur, dixit: *Recordare, gis me tibi ostendisse signum amoris, dum te affixi, dum tenerem arctissimè in dulcissimis brachiis meis.*

Considera II. Cùm tu, veluti Sacerdos pariter inter scipulos, & intimos Dei amicos adlectus sis, an non tu que deinceps tribulationes omnes pro speciali bea

agnoscere, atque adeò per præparationem in priori puncto indicatam ad easdem disponere, liberalitérque offerre velis, memor & te ipse inter illos, quibus à S. Paulo ad Philipp. 1. dictum est: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Quod etiam S. Augustinus in lib. de patient. confirmans, *Virtus animi*, inquit, *quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, ut etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur.*

Considera III. Ad quas præcipuè tribulationes in specie te præparare & offerre debeas, videlicet ad eas, quas S. Gregorius ho. 7. sup. Ezech. sequentibus verbis indicavit: *Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet; alia namq; sunt, quæ à Deo; alia, quæ ab antiquo adversario; alia, quæ à proximo sustinemus. A proximo namq; persecutiones, damna, & cõtumelias sustinemus; ab antiquo Adversario tentamenta; à Deo autẽ flagella toleramus. Sed in his omnibus vigilanti animo semetipsam debet mens circumspicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tentamenta Adversarij seducatur ad delectationem vel consensum delicti: ne contra flagella opificis prorumpat in excessum murmurationis.* Vide ergo, quomodo in his te hactenus gesseris, & gerere deinceps velis. Colloquium ad B. Dei Matrem.

Punctum III.

Considera I. Quem fructum Christus ex hac sua præparatione reportârit, scilicet ut cælestis Pater per Angelum de cœlo missum, ipsum consolaretur, atque ad crucem fortiter sustinendam animaret, id quod verba illa: *Surgite, eamus*: indicant.

Considera II. Quomodo Angelus eundem confortârit, nempe non aliter, quàm ostendendo, cœlestem Patrem omnino velle, ut calicem Passionis exhauriat, eò quòd talis passio maximè conducat ad gloriam Dei, ad exaltationem Christi, & aliorum hominum salutem.

Considera II. Quàm solida & efficax sit hæc confortatio, utpote quæ præcipuum motivum Christo obtulerit ad voluntatem suam cum Dei voluntate conformandam, crucémque cum gaudio amplectendam, scilicet aptitudinem & efficaciam ad triplicem finem, qui ipsi in Incarnatione præfixus

erat, obtinendum; hinc adeò exarsit hoc motivo in cru amorem, ut quondam postea Religioso cuipiam ex fami S. Birgittæ revelârit, se tanto patiendi ardore affici æterni Patris sui gloriam & honorem, ut etiamnum ad de teram Patris sui sedens animas quærat pias & benevol quæ sua ei corpora velut commodatò donent, ut ipse in multa pati, & desiderium glorificandi Patrem suum crucem amore plenam continuare possit. Vide proin modo & tu hac confortatione te roborare, Christóque pus & animam tuam ad multa patienda pro simili fine modare velis. Colloquium ad Christum.

Consideratio

DE CHARITATE ERGA ALIOS HOM nes Curæ Pastorali tuæ non subjectos.

Considera I. Et examina, quid charitas ista à te rat, videlicet I. ut neminem unquam cogitatione (puta spicionibus vanis, temerarijs judiciis, & fastuosis contem bus) nec verbo (puta, murmuratione, detractione, m daci aut contumelioso sermone) nec opere (puta percus ne illicita, damno in opibus illato; aut honore, auxil negato) lædas; hoc enim est primum charitatis offici quod Tobias senior filio suo juniori c. 4. commendavit cens: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri fe ris.* II. Ut proximum tuum pro viribus tuis diligas gitatione (puta honorificè & bene de ipso sentiendo; ipsius excusando, & meliorem in partem interpretando ubi excusationem non patiuntur, cum patientia & com condolentia sufferendo) verbo (puta, suaviter ipsum quendo: leniter, si opus est, corrigendo: honestè de loquendo, & detractiones aliorum adversus illum facta ptis remedijs avertendo) opere (puta, petita obsequ benter concedendo; debitum honorem exhibendo, & necessitatibus illius hilariter & promptè succurrendo proin, quomodo hæc omnia præstiteris, & præstare ceps velis.

Considera II. Cur tu velut Sacerdos specialiter ad

charitatẽ exercendam obligeris, videlicet ob sequentes tres causas. 1. Quia, cùm tu quoque ob officij similitudinem Apostolum, & Discipulum Christi te profitearis, tibi quoque propriè convenit illa Christi Joan. 13. adhortatio: *Mandatum novum* (non novitate temporis, cùm pridem jam à Deo sit datum, sed novitate specialis commendationis) *do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 2. Quia, cùm DEVM ob innumera beneficia accepta, clariorémque illius cognitionem magis quàm alij, diligere tenearis, hoc ipso etiam proximum magis amare teneris, cùm *hoc habeamus mandatum à DEO*, teste S. Joanne 1. c. 4. ut, *qui diligit DEVM, diligat & Fratrem suum; si enim non diligat Fratrem suum, quem videt, DEVM, quem non videt, quomodo potest diligere?* unde meritò S. Gregorius l. 5. moral. dixit: *Tunc plenius in dilectione DEI proficimus, cùm in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate lactamur.* 3. Quia, cùm nihil in urbe aliqua, vel Regione magis necessarium sit, quàm concordia & charitas (concordiâ namque res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur) atque adeò frequenter & efficaciter alios ad hanc charitatem & concordiam adhortari debeas, æquum est, ut exemplo magis, quàm verbo eandem doceas; nam, ut S. Gregorius l. 10. moral. rectè advertit, *nullum consilium melius est, quàm si exemplo tuo Fratrem docere studeas, quæ oportet fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei non solùm verbo, aut lingua, sed etiam opere & veritate.*

Considera III. Quo medio potissimùm uti velis ad hanc virtutem acquirendam, videlicet, ut Proximum tuum velut alterum Christum intuearis (cùm Christus Matth. 25. apertè fatlus sit, quidquid uni ex minimis fecerimus, se non aliter, ac si sibi factum esset, æstimaturum & compensaturum) & eundem velut alterum te, aut certè ut membrum ejusdem corporis Mystici consideres; sic enim, cùm nemo seipsum odio habeat, sed potiùs totis viribus diligat, etiam ad Proximum simili modo diligendum excitaberis. Vide ergo, quomodo his medijs usus hactenus fueris, & uti deinceps velis.

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione Christi legi potest medium e put 12. lib. 2.

Ex libro Ascetico vel Historico aliquot capita vel folia

Ex libello Exercitiorum verò legi possunt Regulæ pos riores de discretione Spirituum, quas proin, sicut prior etiam in compendium breviter redactas huc ponam.

Regula I.

Proprium DEI, & Angeli boni est, veram lætitiam spi tualem infundere; nam Diabolus hanc lætitiam potiùs phisticis argumentis veri speciem præseferentibus oppug re, & expellere solet. Per quam regulam pulchrè licet stinguere veram & fictam consolationem, dum scilicet ve consolatio semper solida & secura media assumit, ficta ve fallacijs & fraudibus tantùm divinorum prætextu vel utitur.

Regula II.

Solius DEI est animam nulla præcedente causa (id nullo vel sensibus, vel potentijs internis objecto propos consolari, & in amorem suum trahere. Ex qua regula ani mentes præsens hauriunt remedium, quo admonentur, nimiùm suis viribus incumbant, atque in interioribus d disponendis nimiùm se fatigent, sed potiùs per bonam dis Spiritum contritum & humilem conatum se disponere ad vinas consolationes studeant.

Regula III.

Quoties consolationis causa præcessit, tunc, cùm Ange tam malus, quàm bonus illius causa esse possit, ex fine gnoscendum est, à quo proveniat talis consolatio; nam nus bonam, malus malam operationem intendit. Co quam tamen regulam notandum est, non esse hîc sermo de interna intentione Angelica (hæc enim cognosci ab mine non potest) sed de ipsa executione externa institu um, nam hujus executionis indicia prudenti conjectura assequi posse, sat clarè S. Paulus 2. Cor. 2. indicavit, dixit: *Non ignoramus cogitationes ejus*, id est, fraudes machinationes.

Regula IV.

Idmoris est Spiritui maligno, ut ab initio simulet se fovere bonas cogitationes, mox tamen ad perversa desideria alliciat. Hinc ex serpentina cauda, ejus fallacia deprehendi debet, ut verificetur illud Psalmistæ Ps. *In laqueo iste, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

Regula V.

Ut clariùs cognoscatur, unde motiones internæ proveniant, ad principium, medium, & finem earum diligenter attendendum est; si enim ex horum aliquo deprehendatur, animam ad malum impelli, vel à bono avocari, vel pacem animæ turbari, clarum est, eas à maligno Spiritu provenire.

Regula VI.

Quando ex indicijs in priori regula indicatis colligitur mali Spiritûs suggestio, expedit totum discursum revolvere, ut, dum advertitur, quâ ratione bonas cogitationes prætexere, pacémque turbare conatus sit, faciliùs fraudes illius careantur.

Regula VII.

Uterque Spiritus eam habet consuetudinem, ut, si animam sibi contrariam inveniat, violenter eam, sicut imber decidens in petram, invadat; si autem consentientem reperiat, suaviter in eam, sicut Stilla in Spongiam, illabatur.

Regula VIII.

Etsi, quando consolatio nullâ præcedente causâ oritur, ea à solo DEO oriri possit, diligenter tamen attendendum est, an non in progressu consolationis aliquid sensserimus, vel deliberaverimus, quod à DEO non proveniat, atque adeò nec assensum mereatur.

Materia Scriptionis.

Hodie utiliter scribi possunt aliquæ SS. Patrum, vel aliorum Doctorum sententiæ, quæ ob Doctrinæ, quam continent, utilitatem præ reliquis notari, & velut regulæ universales assiduò in memoria haberi debeant, quales exempli gratia sequentes esse possunt.

I. Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. S. Auguſtinus l. 1. Conf. c. 1.

II. Quid per multa vagaris, ô Homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit. S. Auguſtinus l. de Spir. & anim. c. 64.

III. Si quæris, quære; ſed non ubi quæris, quære in fonte, quia ibi omnia vivunt. S. Auguſtinus.

IV. Quales impetus habebas ad Mundum, tales habeas ad Artificem Mundi. S. Auguſtinus in Pſ. 31.

V. Infelix, Homo, qui ſcit illa omnia, te verò neſcit; beatus verò, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat; qui autem te & illa novit, non propter illa, ſed propter te ſolum beatus eſt. S. Auguſtinus in Confeſſ.

VI. *Dilige*, & fac, quod vis. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt non de radice iſta bonum procedere. S. Auguſtinus in c. 3. Ep. 1. Joann.

VII. Hoc quiſque eſt, quod amat. Si terram diligis, terra es: Si DEVM diligis, quid vis, ut dicam? Deus es. S. Auguſtinus.

VIII. Si veram cupias addiſcere Theologiam,
Sit tibi ſcire DEVS, ſit tibi velle DEVS.
Si veram cupias addiſcere Philoſophiam,
Plurima ſuſtineas, pluribus abſtineas.

IX. Si vis tranquillam, Chariſſime, ducere vitam,
Sit tibi mors mundus, ſit tibi vita Deus.

X. Non quàm multis placeas, ſed qualibus, cura. Vide de tranquill.

XI. Quid ſis intereſt, non quid habeas. Idem.

XII. Si vis beatus eſſe, hoc ſtude, æternorum intuitu contemnere, & contemni. Idem.

XIII. Oratorem te puta, ſi tibi ante omnes, quod oportet, perſuaſeris. Idem.

XIV. Facillimè bonus eris, ſi ea vitaveris, quæ vituperaveris. Idem.

XV. Tantùm ad virtutem adijcies, quantùm voluptatem detraxeris. Idem.

XVI. Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. Thomas Kemp. l. 1. c. 25.

XVII. Pri-

XVII. Prima virtus Monachi (& cujusvis Christiani) est, hominum judicia contemnere. S. Hieronymus.

XVIII. Ars vitæ est, rectè sentire, sincerè velle, perfectè exequi.

XIX. Vince, quod delectat: fortiter aggredere, quod terret; feriter, quod dolet. Thomas Kemp.

XX. Ama, & cole S. Scripturam, quia in ea, quidquid docetur, est veritas: quidquid præcipitur, est bonitas: & quidquid promittitur, est felicitas.

DIES SEXTA.

SCopus hujus diei est, ostendere, quomodo Christus artem ipsam patiendi docuerit, & in præcipuis tribus objectis hujus Artis, scilicet indigentia, dolore, & contemptu se gesserit; ad hæc enim omnia, quæ passus est, revocari possunt.

Tessera.

Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei JESV Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.

MEDITATIO I.

DE PRIMO CHRISTI COMITE, SEU INDIGENTIA SVMMA.

Præludium primum est, Christum in cruce pendentem, & omni auxilio, solatióque destitutum intueri.

Præludium secundum est, petere gratiam, ut hanc Christi indigentiam clarè cognoscere, & sedulò imitari queas.

Punctum I.

Considera I. Quantam Christus omnium rerum indigentiam sustinuerit 1. *in cibo & potu*, dum nullum cibum refocillantem, qui tamen plerumque Reis ad mortem damnatis liberaliter offertur; & ingenti præterea siti cruciatus, ut ipsemet per verbum *Sitio* confessus est, nec aquæ guttam, quâ tantam sitim extingueret, habuit. 2. *In vestibus*, dum nudus in cruce pendebat, & nec linteum, quo corporis occulta tegeret, habebat. 3. *In habitatione*; uti ipse Matth. 8. significavit dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos:*

nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. 4. *In Amicis:* sic enim ipsemet iterum per Davidem Ps. 141. indicavit: *Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me,* & juvare, ac consolari posset, nec vellet. 5. *In consolationibus:* hinc tristis erat anima ejus usque ad mortem, ita ut exclamare cogeretur: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me,* ita ut verè dicere posset cum Psalmista Ps. 69. *Ego verò egenus & pauper sum: Deus adjuva me.*

Considera II. Quanta cum patientia, alacritate, ac constantia hanc indigentiam tulerit Christus; id colligere poteris, si ex una parte perpendas, quàm facilè ipsi fuisset, omnium suprà dictorum abundantiam sibi procurare; ex altera verò pariter consideres, quòd non modò quidquam simile non procurare, sed potius, ut gravitatem & molestiam talis indigentiæ augeret, sitim suam aceto ac felle extingui (ut S. David in Persona ipsius Ps. 68. indicavit dicens: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto) licet loco autem durissimum lignum accipere, & Amicorum loco inimicos capitalissimos tolerare voluerit, de quibus Ps. 87. ipse per Davidem dixit: *Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.*

Considera III. Quantopere tu erubescere debeas, dum advertis, quàm parùm tu hactenus Duci tuo similis esse studueris in hac indigentia; si enim Urias 2. Reg. c. 11. dixit: *Arca DEI, & Israël, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc,* quantò magis tu libenter parvam aliquam indigentiam libenter sufferre debes, si recorderis, quàm magnam omnium rerum indigentiam Christus amore tui toleraverit. Vide ergo, quomodo deinceps gerere te velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quas ob causas Christus tam promptè hanc indigentiam sustinuerit, nimirum ob sequentes tres. 1. Quia sic voluntas DEI exigebat, quæ ipsi omnium rerum loco erat

unde

unde, ut S. Leo Papa ser. 4. de quadr. loquitur, *non pavebat in ipso Mundo indigentia laborare, cui donatum erat in omnium rerum Domino omnia possidere.* 2. Quia advertebat, per hanc indigentiam, se Cælesti suo Patri propiorem & similiorem fieri, utpote qui ab ipsa usque æternitate se solo contentissimus vivebat, nec ullam extra se creaturam habebat; id quod jam olim etiam Socrates Philosophus agnoviſſe creditur, ut qui, teste Laertio l. 2. dixisse fertur, eum esse Dijs simillimum, qui quàm pauciſſimis egeret, cùm Dij omnino nullius egeant rei. 3. Quia pariter cognoscebat, hanc indigentiam esse expeditissimam viam ad Tartareos hostes vincendos; hinc, ut S. Gregorius rectè ho. 32. advertit, *ad se venientibus nobis Dominus præcepit, ut renuntiemus nostris; quia, quicunque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos Spiritus sumimus. Nihil autem maligni Spiritus in hoc Mundo possident proprium; nudi ergo cum nudo luctari debemus; nam si vestitus quisq; cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet, unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quadam corporis indumenta?*

Considera II. Quàm æquum sit, ut tu quoque præ alijs per hæc motiva ad similem indigentiam lætissimo animo supportandam te excites, &, quod pius Author de consolationibus dixit l. 3. c. 16. hoc alijs etiam materijs & occasionibus applices: *Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit? consolatio sit mihi tua voluntas, & justa probatio pro summo solatio.*

Considera III. An & quomodo occasiones talis indigentiæ hactenus arripueris, & arripere deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quos fructus Christus ex hac indigentia seu paupertate reportaverit, videlicet 1. Singularem in perfectione & virtutibus progressum; cùm, *sicut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic rerum abnegatio generatrix, nutrixq; sit omnium virtutum*; &, ut S. Augustinus super Psal. 76. dixit: *Omnis Philosophia* (atque adeò etiam cælestis) *Magistra sit inopia*; unde & Seneca ep. 17. dice-

dicebat, *si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis*; non enim capit virtutis via magna onera portantes, ut Lactantius Firmianus agnovit. 2. *Maximam animæ tranquillitatem*; nam, ut S. Climacus Grad. 17. recte dixit, *Paupertas* (& indigentia) *est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad DEVM sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, ut DEI mandata perfectè exequamur.* Hinc Salomon c. 16. Prov. securam mentem jugi convivio similem esse dixit; quæ autem mens magis secura est, quàm quæ concupiscentiam, unde teste S. Jacobo c. 4. omnes lites in nobis oriuntur, fugit? 3. Centuplum præmium in hac & altera vita; nam, ut sapienter S. Bernardus ser. 21. super Cant. dixit, *Nemo est qui omnia saltem affectu relinquentes, inopem vitam degunt, æstimet sola cælestia possidere, quia sola audiunt in promissione; possident enim & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, eò pro certo magis Domini, quò minùs cupidi. Denique fideli homini totus Mundus deservit, imò rerum est. Totus planè, quia tam adversa, quàm prospera ipsius aquè omnia serviunt ei, & cooperantur in bonum.* Quem fructum considerans S. Hieronymus, *O quantæ audacitudo*, inquit, *pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere DEVM debitorem.*

Considera 2. Quàm præclari sint hi fructus, digniquos propter quos consequendos cum S. Pauli & ipsius Christi monitum & exemplum omnia terrena arbitreris ut stercora. Mundo utaris, quasi non utaris, contentus, si victum & amictum habeas; & S. Augustini ser. 28. de verbis Apost. Consilium semper in mente habens: *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil eâ potes ditius invenire.*

Considera III. Quid proinde deinceps hac in re facere; & quomodo hunc primum Christi comitem & tu inposterum in tuam Societatem adscisscere velis illud Senecæ monitum Lucilio datum tibi applicans: *Incipe cum paupertate* (& indigentia) *habere commercium. Aude, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum finge DEO* (& Christo) *nemo magis est DEO dignus, quàm qui opes contempsit.* Colloquium ad Christum cum congruis affectibus.

Me

MEDITATIO II.

DE SECVNDO CHRISTI COMITE, SEV DOLORE SVMMO.

Præludium primum est, considerare Christum, nunc ad varios Judices ductum, nunc flagellatum & coronatum, nunc crucem portantem & Crucifixum.

Præludium secundum est, petere gratiam, quâ Christi dolores fructuosè perpendere, atque ad similem patientiam deinceps exercendam te resolvere queant.

Punctum I.

Considera I. Quales dolores Christus toto Passionis suæ tempore sustinuerit; eos haud difficulter cognosces, si varias deductiones ad varios Judices & Sacerdotes cum multis alapis & verberibus factas, item flagellationem, coronationem, Crucis bajulationem, ipsámque Crucifixionem, velut quinque fontes, ex quibus copiosissima dolorum materia profluxit, tibi imagineris.

Considera II. Quàm magni hi dolores Christi fuerint, sive 1. Personam ipsam patientem spectes, quæ quoad corpus tenerrima, & per tot percussiones & tormenta viribus penitus exhausta; quoad animam verò innocentissima & sanctissima fuerat. Sive 2. Personas cruciantes consideres, quæ pessima ex intentione odij & vindictæ, ac invidiæ: cum maximo furore ac conatu tales dolores inferebant. Sive 3. Personas spectantes perpendas, quæ vel per creatam suâ præsentiâ verecundiam, ut honestiores & Passioni non consentientes Personæ: vel probrosissima insultatione, ut Judæi & Lictores, aliique in necem conspirantes: vel dolorosa compassione, ut B. Virgo, S. Joannes, S. Magdalena, aliique, non modicè dolores augebant. Sive 4. Circumstantias aliam dolorum attendas, nempe vel *numeri* extendentis se ad omnia membra, ad omnia tormentorum genera, & propè innumerabilem multitudinem verberum & vulnerum: vel *temporis* ab ipsa nativitate usque ad obitum durantis; *nam ab hora ortûs mei usque ad exitum in Cruce non defuit mihi tolerantia doloris*, ait Thomas Kemp. l. 3. c. 18. in Persona Christi.

Con

Considera III. Si, quando quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, teste Apostolo 1. Cor. 12. quantò magis tu videns Caput tuum corporis Mystici, id est, Christum tot & tam graves dolores pati, eidem compati, non affectu duntaxat, sed effectu etiam, id est, similes dolores cum simili patientia sustinendo, debeas, atque adeò dicere cum S. Bernardo: *Nolo vivere sine vulnere* (& dolore) *quando video Dominum meum IESVM vulneratum*, & tot doloribus cruciatum, ut verè de illo Isaias c. 1. dixerit: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quantâ cum patientia tantos dolores Christus sustinuerit, eâ nempe, quam idem Propheta c. 53. indicavit dicens: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum*: (atque adeò *libenter* & voluntariè passus est, quia secundus gradus patientiæ, ut suprà dictum est) *sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente* (sive & occidente) *se obmutescet* (ideóque etiam primum gradum, qui est *patienter* sustinere, implevit) Quod verò etiam cum gaudio eosdem dolores sustinuerit, ipsemet Luc. 12. significavit dicens: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur*; quæ sanè verba ardentissimum patiendi desiderium indicant.

Considera II. Quàm longè adhuc abs is à patientia tali, qui modico dolore superveniente, mox in querelas, gemitus, ejulationes, suspiria erumpas, & undique media abs beas & conquiras ad tales dolores arcendos.

Considera III. An non meritò verba illa memorati Authoris cit. cap. tibi applicare debeas: *Quid est, quid queris, Fili? Cessa, conqueri, considerata mea & aliorum passione. Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere, ut leviùs feras tua minima. Et si tibi minima non videantur, vide, ne & hoc tua impatientia faciat. Sive tamen magna, sive parva fuerint, stude cuncta patienter sufferre.* Colloquium ad Matrem dolorosam illa verba ex planctu illius cum affectu recitando: *Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac, ut tecum lugeam.*

Pu

Punctum III.

Considera I. Quibus motivis Christus se ad tantam patientiam excitârit, nimirum illo, quod S. Paulus ad Hebr. 12. indicavit dicens: *Aspicientes in Authorem fidei, & Consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.*

Considera II. Quale hoc gaudium fuerit, quod Christus sibi proposuit, nimirum triplex, quorum primum æterno Patri ex patientia sua oriturum videbat; si enim Filius sapiens lætificat Patrem, teste Salomone Prov. 10. quantò magis Filius tam generosè & fortiter patiens Patrem suum cælestem lætificâsse credendus est. Certè si unquam aliàs, hoc tempore Pater æternus de Christo dicere poterat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui.* Secundum oriturum erat ipsi Christo per gloriam & voluptates cælestes olim secuturas; de qua gloria ipsemet Luc. 24. dixit: *Nónne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suâ.* Si ergo S. Paulus 2. Cor. 7. de seipso fassus est: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra:* eò quòd sciverit, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; quantò magis ejusmodi consolationem & gaudium interiùs ipsum Christum sensisse credendum est, ut qui perfectiùs longè gaudij & gloriæ secuturæ magnitudinem cognovit. Tertium verò gaudium erat, quod homines per ipsum redempti in æternum percepturi erant: si enim Christo nato Angelus Luc. 2. dixit Pastoribus: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni Populo, quia natus est vobis hodie Salvator.* Quantò magis simile gaudium evangelizari potest, quando passus est Salvator, & pretium Redemptionis completum exhibuit.

Considera III. Quàm efficacia sint hæc motiva, & quæ te specialiter tantò vehementiùs movere debeant, quantò potioribus titulis obligâris, ad memoratum triplex gaudium totis viribus quærendum. Vide ergo, quomodo deinceps hunc quoque Christi Comitem tibi associare, & singulari affectu & amore complecti velis; *Verè enim quantò melius ad patiendum te disponis, tantò sapientiùs agis, & amplius pro-*

mereris: feres quoque levius animo, & usu ad hoc non segniter paratus. Ut rectè iterum Thomas Kempensis l. 1. c. 19. dixit. Colloquium ad Christum, usurpando cit. Authoris l. 3. c. 18. verba: *Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maximè implendo præceptum Patris tui, dignum est, ut ego misellus peccator secundùm voluntatem tuam patienter me sustineam, & donec ipse voluerit, onus corruptibilis vitæ pro salute mea portem; nam etsi onerosa semper præsens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria atque exemplo tuo & Sanctorum tuorum gregio, infirmis tolerabilior & clarior.*

Meditatio III.

DE TERTIO COMITE CHRISTI, SEU CONTEMPTV SVMMO.

Præludium primum est, Christum ab Herode illusum, derabbæ postpositum, purpurea chlamyde indutum, & in crucem ignominiosam affixum intueri.

Præludium secundum est, petere gratiam, ut Christi ignorendis contemptibus generosam patientiam, ritè perpendere, & optatum ex tali Meditatione fructum reportare pos

Punctum I.

Considera I. Qualem præcipuè Contemptum Christus sustinuerit, omnes scilicet ejus species, nempe 1. *Falsas accusationes* apud Summum Sacerdotem & Pilatum. 2. *Probrosam dispositionem*, quâ scelerati ssimo Latroni Barabbæ postpositus est. 3. *Irrisionem*, quâ ab Herode Rege & Judicis pro stulto habitus, & irrisus est. 4. *Contumelias*, quibus pro vini potatore, seductore Populi, blasphematore Dei proclamatus est. 5. Illusiones, quas à Militibus coronam spineam, & chlamydem coccineam obtrudentibus passus est. 6. *Injuriam gravissimam*, quâ, ut S. Lucas c. 22. dixit, inter iniquos deputatus, contumeliosa morte affectus, & in probrosissimam Crucem actus est.

Considera II. Quàm gravis fuerit hic sextuplex contemptus; si enim tantò major est contemptus, quantò dignior est Persona contempta, & vilior Persona contemnens, an non sum-

summum oportet fuisse contemptum, qui Personæ infinitæ dignitatis à sceleratissimis & ingratissimis, atque hoc ipso eam vilissimis Judæis & Militibus Christo inferebatur?

Considera III. Quid tu hactenus in simili materia amore Christi tuleris. & quomodo deinceps saltem cum eodem ejusmodi contemptus pati velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quomodo Christus hos contemptus tulerit; scilicet cum *maxima humilitate*, quâ ab omnibus hominibus, quantùm in se erat, &, si sine offensa DEI fieri poterat, despici optabat: *cum maxima tranquillitate*, ita ut nihil interea de interna pace amitteret: *cum maxima constantia*, quâ inter tam multiplices contemptus ne semel quidem aut verbo, aut ullo impatientiæ, displicentiæve signo de talibus contemptibus conquestus est.

Considera II. Quibus motivis se Christus ad tam generosam patientiam excitârit, nimirum consideratione duplicis gloriæ, quæ tum æterno Patri (cujus honor & gloria tantò magis augetur, quantò magis nostra gloria & honor minuitur, sicut quantitas discreta ex imminutione quantitatis continuæ crescit) tum sibi obventura erat juxta propriam suam prædicationem, quâ Matt. 23. dixerat: *Qui se humiliat, exaltabitur.*

Considera III. Quàm efficacia sint hæc motiva, & quàm meritò etiam te movere debeant ad similem patientiam excendam, maximè cùm apud te tertium etiam motivum accedat, scilicet similitudo cum Christo, quam perfectiùs obtinere non potes, quam si multa cum ipso opprobria & injurias sustineas; cùm ergo tanta sit dignitas hujus similitudinis, ut meritò erubescere debeas, si DEVS ad eandem te evehere dignetur, an non vel hoc titulo vehementer gaudebis, si dignus habearis pro nomine JESU contumeliam pati? an non in omni contemptu dices cum Davide 2. Reg. c. 6. *Ludam, & vilior fiam plùs, quàm factus sum, & humilis ero in oculis meis.* Colloquium ad Christum cum congruis affectibus.

CONSIDERATIO
DE MORTIFICATIONE INTERNA ET EXTERNA.

Considera I. Quid sit vera mortificatio, scilicet abla vitæ sensualis; sicut enim vita hominis colligitur ex ac nibus vitalibus; ita etiam qualis sit ejus vita spiritualis qualitate actionum colligitur; si ergo per sensus suos internos, quàm externos solas sensibiles delectationes, vanam gloriam & honorem quærat, vitam sensualem torum more vivere censetur; si autem omnes actiones DEVM velut ultimum finem dirigantur, tunc vitam spi tualem vivere dicitur, potéstque cum S. Paulo ad Galat. cere: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chris* Unde colligitur duplex esse mortificationis genus, inter scilicet, & externæ. Interna consistit in eo, ut tam extern quàm internos sensus animæ ab illicito usu creaturam cont neamus; externa consistit in corporis afflictationibus, sponte susceptis, vel à DEO, hominibúsve immissis; id qu S. Bernardus in Epist. ad FF. de monte DEI pulchrè indic dum ait: *Docendus est homo, sic latere corpus suum, s agrotum, cui etiam multùm volenti inutilia sunt nega* (quod fit per interiorem mortificationem) *utilia vero et nolenti ingerenda*, quod per exteriorem mortificationem contingit.

Itaque examina te 1. Quomodo oculos tuos ab illicito spectu: aures ab illicito auditu: nares ab odoratu delica gustum ab immodico usu cibi & potûs: tactum denique sensuali quocunque, & illicito usu contineas.

Examina 2. Quomodo memoriam ab illicita recorda ne; intellectum ab illicito assensu vel dissensu; voluntat ab illicita volitione aut nolitione contineas.

Examina 3. Quomodo te in mortificatione sponta per cibi & potûs moderationem & subtractionem; vel c poris per flagella, cilicia, aliáque similia instrumenta ca gatione hactenus te habueris?

Examina 4. Quomodo afflictationes corporis à DEO Proximo, sive per aëris intemperiem, puta frigus & æst sive per necessarij alimenti subtractionem, puta sitim &

rum: sive per sanitatis læsionem, ut morbos, percussiones, vulnera &c. susceperis.

Considera II. Quæ motiva excitare te debeant ad hanc Mortificationem singulari studio exercendam. Videlicet 1. Quia sic Status Sacerdotalis exigit; si enim, *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis*, teste S. Paulo ad Gal. c. 5. & Christus ipse Luc. 9. dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* (per internam mortificationem) *& tollat Crucem suam* (per mortificationem externam) *& sequatur me*; an non Sacerdos, qui propter munus suum peculiariter ad imitandum & sequendum Christum obligatur, peculiari quoque studio ad Mortificationis virtutem incumbere debet? 2. Quia specialiter ad profectum in perfectione & charitate conducit, uti breviter indicavit pius Author libelli de imit. Christi l. 1. c. 25. dicens: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Fusiùs verò Cassianus l. 4. Instit. c. 43. significavit, dum dixit: *Mortificatione voluntatum extirpantur, & marcescunt vitia universa; expulsione vitiorum virtutes fructificant, atque succrescunt; pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur; puritate cordis Apostolica charitatis perfectio possidetur.* 3. Quia, ut Christus ipse quondam S. Catharinæ Senensi dixit, *quantùm moreris tibi, tantùm vivis DEO*; quæ sola vita est vita vera, quia fini, propter quem creatus est homo, conformis: *Vita jucunda*; quid enim jucundiùs possessione finis ultimi? *Vita perennis*, quia & in hac vita sine voluntate tua auferri non potest, & certam tibi vitæ æternæ, etiam absque Purgatorio possidendæ, spem facit; si enim Martyrium talis vitæ promissionem habet, quantò magis mortificatio carnis & propriæ voluntatis, quæ, teste S. Bernardo ser. 30. in Cant. genus martyrij est, *illo, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius*, eandem promereatur.

Considera III. Quæ media adhibere possis, & velis ad hanc virtutem obtinendam, nimirum sequentia tria 1. Ut *Necessitatem* hujus Mortificationis bene ponderes; quam quidem pulchrè ob oculos posuit S. Bernardus ser. 58. super Cantica dicens: *Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, sopita denuo*

excitantur. Parùm ergo est semel putâsse, sæpe putandu
est; imò si fieri potest, semper, quia semper, quod putari op
tet, si non dissimulas, invenies; nam, ut bene S. Ephrem
exhort. ad piet. dixit, *bellum militum breve, sed Mona*
(& potiori jure Sacerdotis) *pugna, quoadusque migret a*
Dominum. 2. Ut non ad difficultatem mortificationis
ternam, sed unctionem & consolationem, quæ, plerum
mortificationem comitatur juxta illud Apoc. 2. *Vinc*
dabo manna absconditum: oculos mentis reflectas; nam
S. Bernardus ser. 1. de dedic. sapienter advertit, *hinc est, qu*
multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem e
dem videntes, sed non etiam unctionem. Vos, qui exp
estis, ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est, &, ut
dicam, amaritudo nostra dulcissima. 3. Ut conti
Mortificationis Exercitio facilitatem tibi hujus virtutis
curare studeas; ut enim, qui crucifiguntur, non uno tan
aut altero ictu Cruci affiguntur, sed pluribus opus est,
qui cum Christo crucifigi cupit, sæpiùs sibi vim inferat,
cesse est. Unde rectè Thomas Kemp. l. 1. c. 3. ait: *Hoc*
beret esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum,
quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid
ficere. Quidni ergo exardescis in temetipsum, & exclam
cum S. Bernardo: *Exurgat DEVS, cadat armatus ipse,*
dat, & conteratur inimicus homo, Contemptor DEI, am
sui, amicus Mundi, servus Diaboli; quid tibi videtur
si rectè sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifige
crucifigatur.

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione legi potest residuum ex l. 2. c.
vel si jam totum priori die lectum est, l. 3. c. 19.

Ex libello Ascetico, vel Historico, quantùm tempus
mittit.

Ex libello Exercitiorum legi possunt hodie Regulæ de
ctu remperando, quæ suprà p. 1. c. 3. §. 3. med. 2. n. 7. hab
tur; circa quas tamen duo obiter notanda sunt. Prim
est, eas à S. P. Ignatio non ideo in hac Septimana posit
se, quòd huic Septimanæ propriæ sint, sed quòd aliis die
alia documenta magis necessaria tradenda, atque adeò

qui exercetur, multitudine legendæ materiæ non obruendus sinut Directorium c. 35. n. 13. suspicatur.

Secundum est, quòd S. Ignatius has Regulas ideo assignâ-ri, eò quòd necessitatem specialem vitij Gulæ extirpandi agnoverit, non ignarus videlicet sententiæ à S. Gregorio hom. 30. mor. prolatæ, dum ait: *Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis posita, gula videlicet appetitus edomatur, quia, si non ea, quæ nobis viciniora sunt, prosternimus, inaniter ad ea, quæ longiùs sunt, impugnanda transimus; incassum namq; contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra urbis mœnia cruis insidians habetur.* Unde rectè pius Author l. 1. c. 19. hortatur: *Accinge te sicut vir contra Diabolicas nequitias: frena gulam, & omnem carnis inclinationem facilius frenabis*; nam apud eos, qui in Mundo sunt, radix malorum omnium est avaritia, apud Monachos verò (& Sacerdotes) gulæ concupiscentia, teste S. Climaco grad. 26. Prudenter tamen legendæ, multóque cautiùs usurpandæ sunt, ne noceant potiùs, quàm profint. Unde monet cit. Directorium, non semper scripto dandas esse, sed verbo potiùs explicandas, eò quòd non omnibus eodem modo conveniant, atque adeò Directoris prudentis ad vires & complexionem corporis, animíque attendentis, directione egeant.

Materia Scriptionis.

Cùm ad Sacerdotem tria præcipuè capita pertineant, *magna* (id est, sufficiens) *scientia, major prudentia, maxima sanctitas*; ideo ut hanc quoque Prudentiæ virtutem faciliùs comparare, & solidiùs exercere queat, juvabit, hodie dictamina quædam Prudentiæ conscribere, juxta quæ sese dirigere deinceps queat, qualia quidem exempli causa sequentia esse possunt.

Dictamina observanda circa seipsum.

I. Quid prodest homini, si universum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.

II. Talis ac tantus est, qualis & quantus es apud DEVM.

III. Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua.

IV. Meliùs est parùm cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.

V. In multis esto insscius, & audi tacens simul & quærens.

VI. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.

VII. Nullum conscium peccatorum tuorum magis time meas, quàm teipsum; alium enim effugere potes, te nunquam.

VIII. Absque consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis; salus namque, ubi multa consilia.

IX. In omnibus operibus tuis memorare novissima (id est, quem exitum actio tua probabiliter sit sortitura) & in æternum non peccabis.

X. Magnarum rerum, etsi successus non fuerit, honestus est ipse conatus.

XI Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

Circa alios.

XII. Causam tuam tracta cum Amico tuo, & Secretum extraneo ne reveles.

XIII. Pacem cum hominibus habebis, cum vitijs bellum.

XIV. Alteri semper ignoscito, tibi nunquam.

XV. Multi sunt obligandi, pauci offendendi; nam memoria beneficiorum facilis est, injuriarum tenax.

XVI. Quoties aliquid vel scripturus, vel dicturus es, secreto, morum tuorum chirographum te exhibere.

XVII. Non quàm multis placeas, sed qualibus stude.

XVIII. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris; si tibi non imperâsti, quomodo ab alio silentium impetrabis?

XIX. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet.

XX. Quod persuaseris, erit diuturnum; quod coëgeris in occasione.

XXI. Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

XXII. Quod de alienis tractas, ex tuis judica.

XXIII. Melius est parvum bonũ cum parvo bono, quàm magnum bonum cum magno bono.

XXIV.

XXIV. Qui cum Sapientibus graditur, Sapiens erit; Amicus Stultorum similis efficietur.

XXV. Qui corripit hominem, gratiam postea apud eum inveniet magis, quàm ille, qui per blandimenta linguæ decipit.

XXVI. Quidquid dicturus es, antequam aliis, dixeris tibi.

XXVII. Prudentem & Sapiens informat, & Stultus; ille, quid imitandum sit, docet; iste, quid vitandum.

XXVIII. Curam à te, non curationem exigit DEVS.

XXIX. Coronat DEVS voluntatem, ubi non invenit facultatem.

XXX. Homines amare debemus, sicut DEVS, nempe vel quia sunt in illo, ut boni: vel ut sint in illo, sicut mali.

EXERCITIA
QVARTÆ HEBDOMADÆ.

HÆc Hebdomada propriè ad viam unitivam spectat, sic vocatam, quia Scopus illius est, perfectam cum DEO unionem procurare, ut dicere tandem possit anima nostra: *Mihi autem adhærere DEO bonum est.* Ps. 72. Sicut autem in altera vita, ubi unio ista perfectissimè obtenta est, ea fit mediantibus tribus potentijs animæ, ita ut memoria per continuam præsentiam, intellectus per claram visionem, voluntas denique per firmum amorem DEO adhæreat, sícque tota in eum transformetur (juxta testimonium S. Joannis 1. c. 3. dicentis: *Scimus, quoniam cùm apparuerit*, clarè scilicet per beatificam visionem, *similes ei erimus*) ita simili modo in hac vita laborandum est, ut per easdem tres potentias unionem, quanta obtineri per gratiam DEI potest, perfectissimam procuremus; ad hunc enim terminum iter nostrum spirituale dirigitur. Ut autem Scopus hic clarius intelligatur, sequentia breviter notanda sunt.

Primò quòd licet talis unio & charitas respectu hujus vitæ sit, & verè dici queat terminus, in quo sistendum, & quiescendum est; respectu tamen futuræ vitæ non terminus, sed via adhuc dici debeat, cùm anima adhuc à tali charitate excidere, & in ipso portu naufragium pati queat; & ideo scilicet

hanc unionem terminum *Viæ unitivæ*, id est, itineris ad be-
tificum amorem in altera vita obtinendum tendentis appe-
lamus.

Secundò notandum est, etsi huic viæ affectus gaudij, gra-
tulationis, amoris & similes potissimùm conveniant, nun-
mè tamen inconveniens videri, ut alij etiam affectus a
priores hebdomades pertinentes eliciantur; imò si intem
eorum, qui Meditationes pro hac hebdomada præscribu
accuratiùs considerentur, non obscurè apparebit, illos eò
tissimùm per Christi, Sanctorúmque gloriam considerand
propositam collimare, ut cognita, & quasi eminus consp
eorum felicitate, tantò velocius per viam virtutum & bo
rum operum ad eundem terminum properemus, & à pecc
velut termino, à quo recessimus, longissimè absimus.

DIES SEPTIMA.

Cùm duo potissimùm affectus, ut bene Ludovicus de P
ma in procœmio octavæ diei advertit, quærantur, nempe p
ticipatio & prægustus gaudij, quo Christus & Beati in co
fruuntur; & perfectior cognitio bonitatis & amoris DEI e
ga nos cum desiderio mutuas amoris vices rependendi; p
utroque hoc fine Meditationes hoc & sequenti die præsc
bendæ sunt; & hujus quidem diei Meditationes ad priorem
potissimùm affectum procurandum tendunt, ita tamen, u
dum ex consideratione gloriæ Christi, B. Virginis, & alio
rum Sanctorum ad eandem gloriam desiderandam & qu
rendam impelli nos sensérimus, eam non tam proprij mod
commodi gratia, sed ut DEO major inde gloria exurgat, ap
petamus.

Tessera.

Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite. Co
loss. 3.

Meditatio I.

DE GLORIOSA RESVRRECTIONE CHRISTI.

Præludium primum est, Christum ex sepulchro glorios
resurgentem, & vexillum in manibus portantem sibi ima
ginari.

Pra

Præludium II. est, petere gratiam, ut tantum mysterium dignè æstimare, & optatum ex eo fructum reportare queas.

Punctum I.

Considera I. Quàm glorioſa fuerit hæc reſurrectio, & quantum gaudium attulerit inprimis æterno Patri; ſi enim alij Patres in hoc mundo tantopere lætantur, ſi filios poſt inſignem de hoſte reportatam victoriam redeuntes vident; quantò majus gaudium percepiſſe credibile eſt æternum Patrem, quando Filium ſuum tam obedientem & dilectum, à morte ipſa, & quidem poſt tot, támque generoſa facinora patrata, revertentem excepit. Quantum item gaudium creaverit ipſi Chriſto, qui tot, támque potentes hoſtes, videlicet carnem, mundum, & diabolum, tam gloriosè à ſe devictos: tantam gloriam corpori & animæ comparatam, ac tam pretioſa ſpolia hoſtibus erepta intuebatur. Quantum denique attulerit Patribus in limbo ex tam diuturna & moleſta captivitate ereptis, totíque generi humano è poteſtate Diaboli tam feliciter extracto; ſi enim poſt victoriam aliquam univerſalem de hoſtibus valde metuendis reportatam tanta in omnibus ijs, ad quos victoriæ talis fructus pertinet, lætitia exurgit; quantò magis & patres antiqui, & totum genus humanum lætari debeat, ob hoſtes tam noxios & capitales devictos.

Conſidera II. Quantopere tu inprimis Chriſto, velut Duci tuo amantiſſimo propter victoriam talem gratulari, ſimúlque excitari debeas ad multos, magnósque labores pro Dei gloria & animarum ſalute ſuſcipiendos, utpote quos vides tam glorioſo exitu coronari.

Conſiderra III. Quomodo hactenus utrumque hunc fructum obtinere ſtudueris, & deinceps ſaltem, ut obtineas, laborare pro viribus velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Conſidera I. Quas ob cauſas Chriſtus à mortuis reſurgere voluerit, nempe ob tres præcipuè. I. Quia ſic merita ipſius exigebant; ſi enim id, quod in præſenti eſt, momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, teſte S. Paulo 2. Cor. 4. quantam gloriam exegiſ-

exegisse credenda est tam diuturna, tam acerba, tam multiplex Christi passio?

II. Ut resurrectionis articulum sua resurrectione confirmaret; ideò enim tam diu adhuc in terris post resurrectionem suam mansit, & varijs apparuit, ut, sicut ipsum reassumpto, & animæ unito corpore resurrexisse cognoverunt, ita quoque simili modo resurrecturos crederent, ideóque dicerent cum Job c. 19. *Scio enim, quòd Redemptor meus &c. & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* III. Ut sua resurrectione ad spiritualem Resurrectionem incitaret; sic enim inprimis S. Paulus ad Rom. 6. indicavit dicens: *Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Deinde verò etiam S. Bernardus S. 1. de resurr confirmavit dicens: *Christus, quia transit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum. Transitus sit resurrectionis Festum nobis, non sit reditus, transitus ad vitæ novitatem, non reditus ad peccati vetustatem.*

Considera II. Quàm magnam iterum hæ causæ alacritatem in te excitare debeant, ad omnes tribulationes fortiter perferendas, cùm, ut S. Chrysostomus in S. ad pop. sapienter advertit, *quantùm tribulationes intenduntur, tantùm & retributiones ampliantur, imò & multò plus; non enim sunt condignæ passiones præsentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Cùm igitur bonum feceris, & contraria receperis, gaude, & lætare: majoris enim tibi retributionis materia est.*

Considera III. Quàm libenter etiam cum Christo spiritualiter resurgere, id est, novam cum Deo, qui est summum bonum, unionem, aut fervorem charitatis assumere debeas, & ita quidem, ut eam nunquam ampliùs dimittere statuas, dicíque de te queat: *Surrexit vere*, non phantasticè, ut Samuel; nec velut iterum moriturus, ut Lazarus resurrexit, quámque magnam tibi hæc resurrectio gloriam, omnibus verò, quibus appariturus, seu conviturus es, gaudium parietura sit, maximè Ecclesiæ, velut matri tuæ; Parochianis, ve-

ut Discipulis tuis; Defunctis velut in carcere gravissimo constitutis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Cur Christus in corpore suo glorioso cicatrices vulnerum retinere voluerit, nimirum tres etiam ob causas. I. Ut, quemadmodum S. Cyprianus l. 1. de bapt. Christ. loquitur, *reservata in corpore plagæ salutis humanæ pretium exigant, & obedientiæ donativum requirant*; cùm sit vulneratus propter iniquitates nostras, teste Isaia. Hinc *clamat clavus*, inquit S. Bernardus S. 61. in Cant. *clamat vulnus, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi.* II. *Servavit signa mortis*, inquit ven. Beda c. 6. Luc. *ut suâ morte redemptis, quàm misericorditer sint adjuti, propositis semper mortis ejus innovet indicijs. Atque adeò ad jugem excitet laudis & contrariarum memoriam.* III. Ut perpetuum in illis refugium haberemus; hinc ipsemet sponsam cant. 2. invitat dicens: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Quæ verba expendens Guerricus Abbas, *opportunam quidem petra refugium Herinaceis, sed habitatio grata columbis, cujus foramina tot vulneribus toto ferè corpore patentia & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt justis; imo verò tota habitatio, turrisque fortitudinis, Christi Domini vulneribus immorari.*

Considera II. Quàm magnum tibi sive pro te, sive pro animabus tuæ curæ commissis solatium ex triplici hac causa oriatur, si enim teipsum consideres, an non dices cum S. Augustino: *Tuta & firma requies est infirmis in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiâ affluunt; nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Si verò alios tibi commissos contempleris, an non gaudebis pariter, quòd, ut S. Bernardus S. 61. in cant. ait, *in his passer inveniat sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat*

reponat pullos suos; in his columba se tuetur, & circumvolitantem intrepida intueatur accipitrem.

Considera III. Quomodo hactenus hoc solatium capere studueris, & deinceps saltem capere velis, ut cum S. Augustino propriâ experientiâ doctus dicere queas: *In omnibus adversitatibus meis non inveni tam efficax remedium, quàm Vulnera Christi. In his dormio* (cum ovibus meis) *securus: & requiesco intrepidus.* Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

DE ASCENSIONE GLORIOSA CHRISTI.

Præludium I. Est, Christum in cœlos ascendentem, & ab Angelis, ac animabus è limbo ereptis cum magno jubilo introductum intueri.

Præludium II. Est, gratiam petere, ut mysterium hoc fructuosè perpendere, & mente saltem Christum in cœlos comitari possis.

Punctum I.

Considera I. Quanto cum gaudio & jubilo Christus tum ab Angelis, tum ab animabus è limbo ereptis in cælum fuerit deductus; si enim Bethulienses olim per Juditham devicto Holoferno è periculo interitûs liberati, benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri:* & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est, uti in libro Judith c. 15. & 16. legitur; quantò majori cum gaudio credibile est, Christum à liberatis animabus, & Angelis earum custodibus fuisse exceptum & deductum, ut qui & hostem longè crudeliorem tam fortiter devicit, & è periculo miseriæ longè majoris liberavit, & insuper januam ad beatitudinem perpetuò duraturam reservavit, atque adeò multò æquiùs dici poterat gloria, lætitia, & honorificentia populi Christiani, & Hierarchiæ cælestis.

Considera II. Si triumphante duce, meritò & ipsi milites gaudij & honoris tanti participes esse se putant, ideóque vehementer cum eo gaudent, eíque victoriam suam gratulantur, quàm æquum sit, ut tu quoque Christo tam gloriosam hunc

hunc suum triumphum gratuleris, & singularem ob ejus gloriam & victoriam, lætitiam ostendas.

Considera III. Quomodo hactenus id præstiteris, & præstare deinceps velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quanto cum honore & gaudio ab ipso æterno Patre fuerit exceptus, quantáque gloriâ ab eodem fuerit donatus; si enim Filius prodigus à misero suo statu revertens olim à Patre suo tam benevolè exceptus est, quàm magnum oportet fuisse gaudium, quo Pater æternus Filium suum unigenitum, summéque dilectum, in quo semper sibi bene complacuit, quique opus ab ipso commendatum tam perfectè felicitérque consummavit, post tot, támque generosa facinora patrata ad se revertentem vidit. Si teste S. Paulo 1. Cor. 2. *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum*, quis magnitudinem gloriæ Christo concessæ comprehendere, aut æstimare poterit, ut qui amorem suum per exactissimam mandatorum observationem, per tantam inter innumeras tribulationes constantiam tam insigniter probavit, & per totum vitæ tempus nec unico quidem momento interrupit.

Considera II. Si illi, qui verè se invicem amant, amati bona & gaudia velut propria æstimant, & lætantur; quantopere tu, qui Christum ob speciales titulos singulariter diligere te profiteris, ob tantam hanc illius gloriam gaudere, atque, ut à quamplurimis propterea honoretur, & ametur, omni studio & conatu procurare debeas.

Considera III. Cùm ex hac ipsa Christi gloria clarissimè colligas, quàm verè & copiosè Deus obsequia sibi exhibita remuneretur, & mensuram præmij bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem pro operibus nostris largiatur; quanta cum alacritate tu deinceps Deo servire, atque adeò vocationi tuæ respondere debeas. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quemadmodum olim triumphantes in triumphis Romanis varia dona populo distribui curabant, ita Chri-

Christum quoque varias gratias in suo trimumpho distribu-ere voluisse, hinc Apostolus ad Eph. 4. dixit. *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*

Considera II. Cùm tanta sit Christi liberalitas, quæ po-tissimùm dona ab eo petere debeas, videlicet, ut, cùm ipse sicut Elias in curru igneo charitatis ad cœlos ascendit, a quoque cum Elisæo ad eundem clames: *Obsecro, Domine, fiat in me spiritus duplex tuus*, propriæ videlicet, & alio-rum salutis zelus, utpotè præcipuum, summéque necessarium in-strumentum ad vocationem perfectè adimplendam.

Considera III. Quantopere hic spiritus duplex conci-aturus sit ad omnes tuas functiones Pastorales ritè & fruc-tuosè obeundas, quantóque adeò cum fervore & submissio-ne eundem a Christo petere debeas, & velis. Colloquium a-Christum.

Meditatio III.

DE SPIRITUS SANCTI MISSIONE.

Præludium I. Est, Apostolos in uno cubiculo congre-gatos, & Spiritum Sanctum in linguis igneis super ipsos de-scendentem intueri.

Præludium II. Est, petere gratiam à Deo, ut donum hoc dignè æstimare, atque ad illud dignè suscipiendum quàm optimè te disponere possis.

Punctum I.

Considera I. Quàm verè, nunc dici queat, per Spiri-Sancti missionem reipsa contigisse, quod olim Poëtæ a Prometheo fingebant, quòd scilicet, cùm statuæ à se fabre-tæ nihil aliud, quàm animam deesse adverteret, ignem e cœlo attulerit, eóque statuam suam animaverit; verè ea Apostoli, totáque, quam repræsentabant, Ecclesia corpus quoque inanimatum erat, donec virtute ex alto instruere-à Christo, & Spiritûs Sancti, velut animæ, adventu anima-retur.

Considera II. Quàm perfectè Spiritus Sanctus animæ spiritualis officium impleverit; quàm bene Apostoli hâc a-

vè animati *vivere*, quàm acutè *sentire* cœlestia, quàm sapienter *intelligere* divina mysteria, & *movere* se discurrendo per totum mundum, Evangelicàmque doctrinam prædicando inceperint.

Considera III. Quàm nobiles & pretiosi sint hi effectus; imò scilicet præstantiores, quantò pluris facienda est vita, & operationes supernaturales, quàm naturales. Si ergò anima & vita naturalis tantopere diligitur, & custoditur, ut Salomon prov. 4. hortari ausus sit: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*; quantò major cura adhibenda erit, ut Spiritus Sanctus velut supernaturalium actionum principium foveatur, & conservetur. Vide ergo, an eundem ut par est, hactenus æstimâris, & conservare, invocaréque studueris. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quibus medijs usi sint Apostoli ad Spiritûs Sancti adventum & gratiam obtinendam, tribus nempe. I. *Humili & devota oratione*; memores videlicet, quid Christus Luc. 11. dixerit: *Petite, & dabitur vobis; si enim vos, cum sitis mali, nôstis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* II. *Mandatorum divinorum observatione*: dum scilicet tam promptè paruerunt Christo præcipienti, ne ab Jerosolymis discederent, sed promissionem Patris exspectarent; hæc enim observatio mandatorum est velut unio, per quam Spiritus Sanctus velut anima Apostolis, totíque Ecclesiæ uniri debet; hinc ipse Christus Jo. 14. dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*, utique Spiritum Sanctum etiam secum adducentes. III. *Mutuâ inter se charitate*: erant enim *unanimiter* perseverantes, ut act. 1. legitur; hæc enim unio mutua vel maximè necessaria erat, tum ad Spiritûs Sancti adventum efficaciùs per orationem impetrandum (uti Christus Matt. 18. indicavit dicens: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet à patre meo, qui in cœlis est*) tum ad eundem recipiendum, ut enim ab anima, non nisi membra, quæ sibi

mutuò unita sunt, animantur, ita nec à Spiritu Sancto, e teste Apostolo 1. Cor. 14. *non est dissensionis Deus, sed pa cis*, vivificabitur, qui mutuam cum alijs membris Eccles unionem, charitatémque non habet.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad Spiritu Sanctum non tantùm efficaciter, sed abundanter etiam i pertrandum, quódque adeò à te & alijs Sacerdotibus tantò ligentùs adhibenda sint, quantò magis gratia illius & in xus ad operationes vestras Apostolicas necessaria est.

Considera III. Quomodo hactenus has dispositiones & m dia adhibueris, & adhibere deinceps velis. Colloquium a Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibuerint Apostoli ad t servandum Spiritum Sanctum, videlicet duo præcipu Quòd ejus impulsui & directioni sedulò paruerint; u cùm denunciabatur eis, ne omninò loquerentur, neque cerent in nomine JESU, imperterritè responderunt: *Si stum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deu judicate; non possumus, quæ vidimus, & audivimus, loqui*; nimirum *nescit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia.* II. Quòd omnem carnalem & sensualem amorem nitus à se excluserint, uti vel ex eo colligitur, quòd mi eorum post Spiritûs Sancti adventum quidquam, quod se sualem amorem saperet, admisisse legatur; non ignari ec pe fuerant, quid ipse Deus Gen. 6. *Non permanebit spir meus in homine in æternũ, quia caro est.* Unde huc pro trahi potest, quòd Thomas Kemp. l. 3. c. 53. dixit: *pretiosa est gratia mea, nõ permittit se miscere extraneis bus, nec consolationibus externis.* Qui ergo *libere mec ambulare desiderat, necesse est, ut omnes pravas & inor natas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ pro to amore concupiscenter inhæreat.*

Considera II. Quàm & hæc media non modò efficac sed planè etiam necessaria sint ijs, qui Spiritûs Sancti p sentiam retinere desiderant; cùm planè Spiritus Sanctus sit amor divinus, & amor sensualis sibi extremè contra sint, atque adeò tam parùm, quàm alia duo contraria, Ca eodem homine consistere possint.

Considera III. Quàm æquum proin sit, ut amorem tenuissem, cum quo non nisi omnia mala pariter venerunt, excæcãs, & Spiritui Sancto tanquam cœlesti amori aditum aperias, utpote de quo jure dicere queas: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum eo.* Exclama ergo cum Ecclesia: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Colloquium ad Christum.

Consideratio.

DE ACTIONIBUS QUOTIDIANIS RITE OBEVNDIS.

Considera I. Quæ conditiones ad actionem bonam & perfectam requirantur; tres videlicet, nempe ut sit bona quoad *substantiam*, quoad *modum*, quoad *finem*. Bona *quoad substantiam* erit, si saltem divinæ legi, & rationi non sit difformis; hinc etiam actiones indifferentes, ut laborare, comedere, bibere, ludere, ambulare, colloqui, dormire &c. hoc sensu bonæ dici queunt. Negari tamen non debet, dari hac in parte latitudinem, & unam actionem etiam quoad substantiam aliâ meliorem esse; sic enim, cæteris paribus, melior est actio, quæ plùs charitatis continet, (*multum enim facit, qui multum diligit*, ait Thomas Kemp. l. 1. c. 15.) illa autem plùs charitatis continet, quæ majorem propriæ voluntatis abnegationem, & difficultatem involvit, aut non ad propriam duntaxat, sed alienam, etiam salutem procurandam ordinatur. Bona *quoad modum* ut sit, requiritur, ut inprimis *in gratia* fiat, deinde cum debita *diligentia* peragatur; demum ut non ex necessitate, sed cum magna promptitudine & hilaritate obeatur; *hilarem namque datorem diligit Deus*, teste D. Paulo 2. Cor. 9. quæ quidem tres conditiones, quò perfectiores fuerint, tantò etiam quoad modum perfectior erit actio. *Quoad finem* denique bona erit actio, si propter causam honestam & aliquo modo supernaturalem eliciatur, nempe ut beatitudo obtineatur, vel æternæ pœnæ devitentur, vel ut Deo super omnia amato beneplaceant, quæ ultima causa, sicut omnium perfectissima est, ita meritò suadetur ab Apostolo ad Rom. 16. *Omnia vestra in charitate fiant*, per hanc enim actiones nostræ divinum quidpiam hauriunt, & quodammodo deificantur, ut loqui-

tur S. Gregorius Nazianzenus. Unde facilè patet, actiones secundùm finem spectatam tantò meliorem esse, quantò perior est amor, ex cujus motivo elicitur; tantò autem purrem esse amorem, quantò minùs de solatio, præmio, laude aut commodo terreno admittit. Examina ergo, quomodo tres istas conditiones hactenus in actionibus tuis observantantóque majorem deinceps diligentiam in ijsdem perfendis adhibe, quantò difficiliùs est, easdem in praxin dicere: certè S. Hieronymus c. 4. contra Pelag. expresse *Cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est.* & S. Bernardus in epist. 11. intrepidè ausus est dicere: *scio si hic gradus à quoquam in hac vitâ rectè apprehenditur, ut se homo diligat tantùm propter Deum. Asserunt hoc qui experti sunt; mihi fateor in hac vita impossibile videtur illum apprehendere.*

Considera II. Quas ob causas omnem diligentiam adhibere debeas in actionibus tuis quotidianis ritè perficiendis, ob tres videlicet. I. *Propter Deum:* si enim famuli opifices Regi alicui terreno servientes, omnia cum singulari diligentia & perfectione perficiunt; quantò magis Deo, Regi Regum, & Domino Dominantium nihil nisi undequaque perfectum offerri debet. Unde meritò semper teipsum in quamvis actionem excitare cum Davide deberes, & dicere: Totis viribus hanc actionem perficiam, non enim homini præparatur, sed Deo. II. *Propter te:* cujus perfectio & bonitas in operibus quotidianis ritè peractis consistit, ut ex arboris bonitas ex fructibus colligitur, ita qualitas hominis ex operum qualitate concluditur. Si ergo in omnibus tuis arboribus optimos quosque fructus optares, &, si in tua potestate foret, omni studio procurares; quantò magis curare debes, ut tu ipse fructus non nisi optimos, utpote in vitam æternitatem duraturos proferas; cùm hoc, auxiliante divinâ gratia, semper efficere possis; *magis siquidem Deum pensat ex quanto quis agit, quam opus, quod facit,* ut sapienter S. Author l. 1. de imit. c. 15. advertit. III. *Propter Proximum:* cùm enim eorundem operum tuorum fructum tam factorium & impetratorium, si non totum, magnâ certè parte in auxilium & solatium viventium & Defunctorum offeras, an non vel hoc etiam titulo non modicè incitabe-

adeadem cum maxima perfectione perficienda. Dic enim, familico tuo singulariter dilecto in paupertate tua succurrere velles, & Deus tibi potestatem daret, plumbum, argentum, vel aurum pro libitu creandi; an in tali casu non aurum potiùs, quàm argentum aut plumbum creares? cur ergo, cùm Deus potestatem tibi dederit, ad aurea potiùs opera, seu ex charitate facta, quàm argentea ex minùs perfectis motivis elicita; aut plumbea, id est, negligenter peracta, producenda, non illa potiùs, quàm ista producere studes?

Considera III. Quæ media adhibere possis, & debeas, ad actiones tuas quotidianas dicto modo perficiendas. Tria præcipuè suadeo. Primum est, ut *deliberatè* eas perficere studeas, non temerè scilicet, aut ex consuetudine eas eliciendo, sed cum legitima intentione singulis aut potioribus saltem actionibus tuis præfixâ; per hanc quippe intentionem memoria tium motivorum suprà indicatorum renovabitur, & hoc ipso non parvus etiam stimulus addetur ad easdem cum magna perfectione producendas. Secundum est, ut *liberè*, id est, absque omni sollicitudine de præteritis & futuris alijs operibus actiones tuas singulas perficias; cùm enim dæmon advertat, pluribus intentum sensum ad singula minorem esse, id unum agit, ut animum operantis vel præteritorum recordatione, vel futurorum sollicitudine distrahat, & ad bene operandum inhabilem efficiat. Unde, quod olim apud Ethnicos sacrificantibus dicebatur: *Age, quod agis*: id tibi occine, tantáque cum applicatione animi singulas tuas actiones perage, ac si postremæ in vita forent, Deiq; gloria, ac totius generis humani salus ab ijsdem penderet. Tertium est, ut *ordinatè* quoque illas perficias; absque hoc enim ordine confusè propositæ non parùm distrahent animum, &, dum inquirere primùm oportet, quæ alteri præferenda sit, sollicitum ac turbatum efficient; unde S. Ignatius ad impedimentum hoc removendum pridie semper actiones sequentis diei ordinare solebat, ut, dum sua cuique horæ actio destinata scitur, liberiùs vires ad eam solam converterentur. ut autem hunc ordinem tantò faciliùs conficias, & observes, sequentia monita non parùm proderunt.

I. Operam dabis, ut tempus dormiendi & surgendi prudenter definitum habeas, rigidéque observes; alioqui enim

totus diurnarum actionum ordo non rarò, nec levi cum d
ſpendio turbabitur.

II. Si commodè potes, quotidie tempus aliquod ſat
meditationi cujusdam myſterij de vita Chriſti aut Sanct
rum aut alterius doctrinæ piæ impendes; vix enim explic
poteſt, quantas vires ejusmodi meditatio habeat, ad om
totius diei functiones ritè alacritérque perficiendas.

III. Horas Canonicas, ſi ad easdem in Choro dicen
non obligaris, maturè, & ante alias actiones recitabis, u
ut majori cum devotione & quietè eas perſolvere queas: u
ut liberior & expeditior ſis ad reliquas muneris tui funct
nes peragendas. Idem in SS. Miſſæ Sacrificiò offerend
quantùm fieri poteſt, obſerva.

IV. Poſt preces matutinas, & horas canonicas perac
prima tua cura ſit, ut librum aut thecam manualem agen
rum inſpicias (niſi pridie ante ſomnum id feceris) & q
illo die, & quo modo & ordine peragendum ſit, accur
diſpicias, definiásque. Convenit autem hunc librum
thecam in aliquot partes diſtingui, in quarum prima in
mi Parochiani, aut in alia gravi neceſſitate conſtituti.
ſecunda denuntiationes publicè faciendæ. In tertia re
Decanum, vel Vicarium generalem ſcribendæ, aut du
doctis viris proponenda: in quarta translationes Feſtor
in quinta alia negotiola minoris momenti notentur.

V. Reliquum tempus matutinum, niſi aliud neceſſitas
charitas exigat, privatæ lectioni aut ſtudio impendas, & p
cipuè concioni proximè habendæ, quam ſemper maturè
fectam habere ſtudebis, ne alioqui temporis anguſtijs arc
tus minùs utiliter eam componas.

VI. Etiam prandij cænæque tempora, quantùm fieri p
teſt, definita habebis; tum ut importunas cogitationes
cibo & potu liberiùs excutias; tum ut reliquarum funct
num ordinem minùs interturbatum conſerves.

VII. Si quas œconomicas curas ſuſcipiendas habebis, n
in tempus, quod prandium ſubſequitur, rejicies. Quod
verò aut viſitandi ægri, aut ambulatio, itérve ſuſcipiend
erit, idipſum quoque pomeridiano tempore, utpote apt
facias.

VIII. Si tempus aliquod ordinarijs functionibus ſuperc
ſeu

semper alia actio determinata sit, quam substituas, ne otio malorum omnium origini ullus unquam apertus sit locus.

IX. Noli autem turbari, si subito quopiam casu, aut negotijs intervenientibus constitutum ordinem diurnum interrumpere, vel mutare cogaris, sed potiùs optimum tuarum functionum ordinem esse crede, quem sanctissima Dei voluntas per ejusmodi negotia supervenientia sufficienter indicata designat.

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione Christi legi potest l. 3. c. 31.

Ex Ascetico vel historico aliquot capita.

Ex libello Exercitiorum legi hodie utiliter possunt Regulæ à S. Ignatio, ut cum Orthodoxica Ecclesia rectè sentiatur, præscriptæ, quæ in sequentibus monitis consistunt.

I. Ut promptus semper animus retineatur, ad obediendum, & sentiendum cum Ecclesia Catholica.

II. Ut laudetur frequens confessio & communio, Missæq; auditio, & horarum canonicarum tam privata, quàm publica recitatio.

III. Ut Religiones & vota religiosa pariter commendentur, & status cælibatus, aut virginitatis conjugio præferatur.

IV. Ut reliquiarum veneratio, & invocatio Sanctorum, peregrinationésque ad illorum templa institutæ, cum indulgentijs, jubilæis, & alijs devotionis adminiculis laudentur.

V. Ut templorum extructio, ornatus, & imagines etiam commendentur.

VI. Ut præcepta Ecclesiæ, Traditiones, Ritus, & Decreta studiosè probentur; quemadmodum etiam doctrina sacra tum positiva, tum scholastica.

VII. Ut vitetur hominum, qui adhuc in terris vivunt, cum Beatis in cœlo existentibus comparatio; talis enim comparatio, ut Thomas Kemp. l. 3. c. 58. ait, nullum fructum affert, sed potiùs dissensiones, & lites inutiles parit, ideòque Deo & Sanctis displicet.

VIII. Ut, cùm de prædestinatione (quod rarò fieri expedit) sermo habetur, cum magna circumspectione id fiat, ne aut liberi arbitrij vires, & operum bonorum merita excludi videantur; aut è contrario nimiùm ipsis tribuatur.

IX. Ut neque Fidei valor & præstantia nimis extollatur ne bona opera, & aliæ virtutes negligantur; atque ob eandem causam de efficacia gratiæ sermo circumspectè instituatur.

X. Ut non vituperetur timor servilis Majestatis divinæ cùm etiam hic sit utilis valde,& sæpe necessarius ad homines à peccato mortali absterrendos; licet semper magis Filialis timor & dilectio commendanda & suadenda sit.

Materia Scriptionis.

Hodie utiliter aliquæ orationes Jaculatoriæ conscribi possent, quæ pro varijs occasionibus servire queant; dicimus nim vix potest, quantopere prosint hæ orationes ad mentem perpetuò cum Deo uniendam, fervorémque devotionis, si remitti cœperit, instaurandum. Sunt quippe hæ orationes velut prunæ, quibus facilè divini amoris ignis in mentibus nostris suscitatur; sunt tela & sagittæ, quibus & ab hostibus nostris tueri nos, tutósque reddere, & verò etiam ipsius Dei cor ad omnia, quæ petimus, concedenda expugnare possimus; sunt deliciæ & refocillationes, quibus languorem animum in miserijs humanis sublevare& tanquam cibo fortiores vires ad alacriter decurrendam perfectionis viam restauremus: sunt epistolæ breves, quas anima per suspiria tanquam inter nuntios ad Deum & Sanctos transmittit. Verbo: Orationes hæ jaculatoriæ sunt compendiosissima ad mentem rebus terrenis abstrahendam, perfectionémque brevi tempore consequendam via; sunt medicina vitiorum, pulsum frenum, virtutum perpetuum exercitium, & meritorum uberrimorum fons perpetuus, unde S. Augustinus meritò ad Probam sic scripsit: *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas tamen & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter erecta qua oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.* Ut ergo earum usus tantò facilius sibi familiarem facere possit Sacerdos in sequentem modum poterit orationes ejusmodi jaculatorias pro varijs occasionibus sibi conscribere.

Ora-

ORATIONES IACULATORIÆ.

Pro tentatione amoris inordinati ad creaturas.

Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEVS cordis mei, & pars mea in æternum.

Pro tentatione visûs.

Averte, Domine, oculos meos, ne videant vanitatem.

Pro tentatione auditûs.

Domine, quò ibimus? tu verba vitæ æternæ habes.

Pro tentatione gustûs.

Non in solo pane vivit homo, sed in verbo, quod exit de ore DEI. Cibus meus est facere voluntatem Patris mei, qui in cælis est.

Pro tentatione odoratûs.

Trahe me post te, ô JESU; curremus in odorem unguentorum tuorum.

Pro tentatione tactûs.

Dilectus meus mihi, & ego illi: inter ubera mea commorabitur.

Contra appetitum scientiæ.

Ego nihil existimavi me scire, nisi JESVM Christum, & hunc Crucifixum. Christe, sciant quæcunque alij, mihi sufficit una Cognitióque tui, Cognitióque mei.

Contra pusillanimitatem.

Omnia possum in eo, qui me confortat.

Contra superbiam.

Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei JESU Christi.

Contra invidiam.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Contra favorem hominum.

Mihi autem adhærere DEO meo bonum est, & ponere in Domino spem meam.

Contra timorem hominum.

Si DEUS pro nobis, quis contra nos.

Contra judicia hominum.

Ego autem pro minimo æstimavi judicari ab humano die. Prima virtus Monachi est, hominum judicia contemnere.

Contra displicentiam hominum.

Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Contra persecutiones hominum.

Domine, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.

Contra impatientiam.

Ego quidem justè hæc patior; Christus autem quid fec

Contra ablationem bonorum.

Dominus dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Dom benedictum.

Contra tristia nova.

Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Dom benedictum.

Contra timorem futurorum.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat.

Contra vanas delectationes.

Renuit consolari anima mea, memor fui DEI, & delect tus sum. Vel: Delectare anima mea in Domino, & dab tibi petitiones cordis tui.

Contra contemptum.

Elegi abjectus esse in domo DEI mei magis, quàm habita re in tabernaculis peccatorum.

Contra maledictionem.

Dominus præcepit illi, ut malediceret mihi, & quis el qui contradicat?

Contra timorem inopiæ.

Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus sollicitus est mei.

Contra asperitatem Superiorum.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.

Contra odium Fratrum.

Pater meus, & Fratres mei dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

Contra defectum promotionis.

Ego autem in te, Domine, speravi: dixi, Domine, DEUS meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

DIES OCTAVA.

SCopus hujus diei est in amorem majorem DEI, B. Virginis, & Sanctorum exardescere, id quod non difficile eri

& magnitudo gloriæ ab ipsis obtentæ, & beneficia nobis ab illis exhibita accuratiùs perpendantur, uti sequentes tres Meditationes docebunt.

Tessera:

Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Psal. 83.

Meditatio I.

DE GLORIA ET CVLTV BEATORVM.

Præludium primum est, contemplari cælum apertum, locum amœnissimum, & amplissimum, in quo omnes Sancti Sole ipso clariùs fulgentes, & DEVM totis viribus laudantes videantur, & audiantur.

Præludium secundum est, petere gratiam, ut & ipse magnitudinem gloriæ hujus agnoscere, atque ad eandem aspirare, & alios quàm plurimos ad ipsam quærendam allicere queas.

Punctum I.

Considera I. In quo consistat glotia Beatorum, videlicet in perpetua & perfectissima laude & amore DEI; & quod inde sequitur in *omnis mali absentia* (nam, ut S. Joannes Apoc. 21. ait, *absterget DEVS omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt; & dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. In omnis boni præsentia* juxta ipsius DEI testimonium Exod. 33. dicentis: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Et *omnis gaudij indefinentia*; sic enim Christus ipse Joan. 16. dixit: *Gaudebit cor Vestrum, & gaudium Vestrum nemo tollet à Vobis.*

Considera II. Quàm magna sit hæc felicitas & Beatitudo, in ut rectè dixerit S. Paulus 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEVS iis, qui diligunt illum.* Et in eundem sensum S. Augustinus l. 22. de jejun. pronuntiârit: *Quod DEVS præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & Vota transgreditur; acquiri potest, æstimari non potest.*

Con-

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut & Sanct omnibus velut commembris, Amicis, & Patronis tuis gl riam & felicitatem hanc suam ex animo gratuleris, & ad e dem olim assequendam toto pectore aspires, dicens cum David Psal. 83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Dom virtutum: Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Cùm, ut S. Augustinus ad Diosc. ait, *tanto illud, qu valde magnum est (quod nec oculus vidit, quia non est lor: nec auris audivit, quia non est sonus: nec in cor hom nis ascendit, quia cor hominis debet illuc ascendere) sa mus capaciùs, quantò illud & fideliùs, credimus, & fir mus firmiùs, & desideramus ardentiùs.* Colloquium ad Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quibus medijs ad tantam felicitatem p venerint Beati, tribus videlicet 1. *Abstinendo* à pecca juxta Psal. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tu qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* 2. *Pa tiendo*: hinc enim Ecclesia canit: *Omnes Sancti, qui passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Mar tyrij* & felicitatis æternæ. 3. *Agendo*: nam, ut Christ dixit Matt. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domi intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Pa tris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad dictam felicitatem obtinendam, ut quæ ipse jam olim S. David P 33. suaserit dicens: *Quis est homo, qui vult vitam, dilig dies videre bonos? declina à malo, & fac bonum, inquir pacem* (quæ, ut Thomas Kemp. l. 3. c. 25. ait, *erit ver ta patientia*) *& persequere eam.* Hinc enim & triplici bo merito triplex proportionatum præmium respondet, nem *abstinentiæ* omnis boni præsentia: *patientiæ* omnis mali ab sentia: *Actioni momentaneæ*, omnis gaudij indefinentia.

Considera III. Quàm promptè proin hæc media non m dò ipse arripere, sed etiam, ut alij curæ tuæ commissi arripi ant, procurare debeas, cúmque in finem, illam tibi pij Au thoris l. 3. c 47. sententiam applicare: *Fili, non te frangat labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te de ijcia*

ciant usquequaque, sed mea promissio te in omni eventu roborat, & consoletur. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea, sustine viriliter contraria; digna est his omnibus & majoribus praliis vita aeterna. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quàm æquum sit, ut Sanctos omnes in tanta gloria constitutos, summo honore & cultu prosequaris; si enim etiam in hac vita eos, qui vel singulari Sanctitate, vel Sapientia, vel potentia & beneficentia præditi sunt, tantopere æstimare, & colere, & amare solemus, quantò magis simili cultum & amorem Sanctis, qui in prædictis donis omnes homines longissimè superant, exhiberi decet.

Considera II. Quas speciales causas tu habeas ad hos Sanctos tibi demerendos, cùm enim ex una parte copiosa tibi ad vocationis executionem gratia sit necessaria; ex altera parte verò plures, tibi per Pastoris officium hostes & Adversarios concilies, an non meritò eorum tibi Patrocinium (ut desideratam gratiæ abundantiam multiplicatis Intercessoribus impetras) & Præsidium (ut dicere tibi ipsi cum Elisæo possis: *Noli timere, plures enim pro nobis stant, quàm contra nos*) obtinere conaberis?

Considera III. Quibus potissimùm obsequijs eos colere, & demereri velis. Nimirum 1. Eosdem *laudando*, de gloria gratulando, eámque pro viribus promovendo; sed & varia obsequia in eorum honorem præstando; sic enim S. David Ps. 150. suasit dicens: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* 2. *Invocando* in necessitatibus: de illis enim æquè dici potest, quod S. Bernardus de SS. Angelis Custodibus dixit: *fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; tantùm adhæreamus illis, & in protectione DEI cæli commorabimur.* 3. *imitando*, maximè in laudando & amando DEO, nam Sanctorum est cultus pulcherrimus optima vita, quia hic cultus *purissimus* est, id est, ab omni nævo liber: *amplissimus*, utpote omnia vitæ totius opera *complectens*: *perpetuus*, quia diu, noctúque non interrumpitur. Unde meritò Sacerdos de hac imitatione sibi applicare debet salutarem S. Ildephonsi Ser. 1. de Assumpt. admonitionem: *Imitamini Matrem Virginem,*

*ginem, & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tan-
tùm illis prodest nostra laudatio, quàm nobis eorum imitatio.
Vnde Sponso magis placet imitator devotus, quàm laudator
otiosus; tamen vera laudatio cordis imitatio est operis.* Vid
ergo, quomodo hæc obsequia hactenus præstiteris, & præbe-
re deinceps velis. Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

DE GLORIA ET CVLTV B. VIRGINIS.

Præludium primum est, B. Virginem super omnes Sanct
elevatam, & à SS. Trinitate coronatam intueri, prout pi
sim in imaginibus cernitur.

Præludium secundum est, petere gratiam, ut dignitat
& gloriam hujus SS. Virginis clarè cognoscere, eámque
par est, venerari & amare possis.

Punctum I.

Considera I. Ad quantam gloriam SS. Virgo à DEO
evecta; si enim mensura gloriæ respondet gratiæ mensu
gratia verò B. Virginis in primo instanti Conceptionis m
jor fuit, quàm omnium Hominum & Angelorum simul sum
ptorum, eáque singulis momentis duplicata fuit (ut P. Fra
ciscus Suarez fusè probavit, ídque sibi gratum fuisse, ei
per P. Martinum Guttierez eadem SS. Virgo significari
sit) quis comprehendere poterit magnitudinem gratiæ,
que adeò etiam gloriæ ab eadem obtentæ? ut adeò merit
eidem applicetur illud Prov. 30. *Multæ Filiæ* (seu Sanct
congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

Considera II. Si æquissimum videtur, ut alij Sancti pr
pter Sapientiam, Dignitatem, & Sanctitatem singulari fa
dio colantur, & amentur, quantò majori cultu & amore ha
SS. DEI Matrem, quæ omnes Sanctos etiam simul sumpto
longissimè suis dotibus superat, prosequi debeas; maxim
cùm ipsa Ecclesia cum Theologis suis exemplo præceda
dum eidem specialem Hyperduliæ cultum attribuit.

Considera III. Quomodo hactenus tu quoad hunc cultu
& amorem te gesseris, & gerere deinceps velis. Colloqui
ad SS. Patronos.

Pu

Punctum II.

Considera I. In quibus Officijs verus Cultus Marianus consistat, in sequentibus videlicet 1. in magna *æstimatione* de illa concepta, ita ut exclames cum S. Anselmo de Concept. Virg. *Nihil tibi, Domina, æquale, nihil comparabile; omne enim, quod est, aut supra, aut infra te est. Quod supra te est, solus DEVS est: quod infra te est, omne, quod DEVS non est.* Hinc S. Bonaventura in Speculo B. V. dicere ausus est: *Ipsa est, quâ majorem facere DEVS non potest: Majorem facere Mundum posset DEVS, Majorem Matrem, quàm Matrem DEI facere non potest.* 2. *In filiali fiducia* juxta S. Bernardi monitum: *In periculis, in angustiis, in rebus omnibus MARIAM cogita, MARIAM invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore.* Nam, ut S. Anselmus c. 6. de excell. Virginis ait, *velocior interdum est salus memorato nomine Virginis, quàm invocato nomine Filij; non quòd ipsa major & potentior sit (nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum) sed quia, etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur; merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* 3. In studiosa *Imitatione*, ad quam S. Hieronymus ser. de Assumpt. hortatur dicens: *Igitur dilectissimi, amate MARIAM, quam colitis, colite, quam amatis; quia tunc verè colitis, & amatis, si imitari velitis ex toto corde, quàm amatis.* In quibus autem virtutibus specialiter imitari debeamus, breviter S. Bernardus to. 1. in deprec. ad B. V. indicavit dicens: *Tu virtutum omnium speciosis vernas floribus, inter quos pulcherrimos tres miramur inte; hi sunt, quorum odore totam domum DEI reples, O MARIA, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis.* 4. In constanti *veneratione* per varias laudes, jejunia, castigationes carnis, peregrinationes, opera misericordiæ illius nomine præstita; ad quam venerationem S. Bernardus ser. de aquæductu sequentibus verbis hortatur: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* 5. In cultûs Mariani *propagatione*: rogando scilicet DEVM, ut hunc cultum magis in dies augeri finat: excitando alios tum in concionibus, tum in pri-

vata

vata conversatione, quà verbo, quà exemplo ad cultum; quàmplurimos tam Defunctos, quàm viventes juvando, ad Cælum veniant; ibique hanc glorioſiſſimam Cæli Reginam modo perfectiſſimo laudent, & venerentur; quod cum & hoc obſequium ei gratiſſimum ſit futurum, colligitur præmio, quod promittit illud præſtantibus; dum ait: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt.* Eccli 24. Hinc meritò Sacerdos, quantò meliorem habet occaſionem hujus Officij præſtandi, tantò ferventiùs id ſuſcipere, atque ad illa Chriſti Matt. 5. verba paucis mutatis applicare debet: *Sic luceat lux veſtra* (verbi & exempli) *coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. & glorificent Patrem veſtrum* (& Matrem) *qui in cælis eſt.*

Conſidera II. Si minima obſequia ſæpe tam liberaliter compenſavit hæc Virgo Sanctiſſima, quantas gratias hæc tractura, quot beneficia collatura, quàm potenter protecturus ſit eos, qui memorata quinque officia conſtanter impigrè ſtuduerint.

Conſidera III. Quomodo tu ea hactenus præſtiteris, & præſtare deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem, eandem denuo in Matrem & Patronam eligendo.

Punctum III.

Conſidera I. Quòd, etſi omnes homines ob cauſas habitus aſſignatas B. Virginem ſingulariter colere, & amare debeant, Sacerdos tamen ſpeciales tres cauſas habeat, ob quas meritò ſperare queat, quòd ipſum ſingulariter ſuo Patrocinio adjutura, & protectura ſit; nimirum 1. Quia idem quodammodo cum ipſa officium habet, dum & Chriſtum totum in Evchariſtia producit; & Parochianos ſuos ad S. Pauli exemplum aſſiduò parturit, donec formetur Chriſtus in illis. 2. Quia nihil magis optat, quàm ut pretium Redemptionis Filio ſuo paratum in animabus non pereat, adeóque Sacerdotes, qui ad hunc finem cooperantur, præ aliis libenter fovet, & juvat. 3. Quia advertit, quemadmodum infernalis Draco, ut S. Joannes c. 12. vidit, iratus ſit contra ipſam, habeat facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, ſpecialiter ijs, qui conatibus illius, ut Sacerdotes, fortiùs reſiſtunt, atque adeò magis etiam ab ipſa, quæ eſt terribilis ut castrorum acies ordinata, protegi mereantur.

Considera II. Quantam in te fiduciam & amorem erga hanc SS. Cæli Reginam excitare debeant hæ rationes, quámque adeò avidè arripere, & sequi debeas S. Bernardi consilium inser. de aquæductu sic loquentis: *Modicum illud, quod offerre desideras, gloriosissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

Considera III. Quomodo ergo cultum hunc Marianum totis viribus prosequi, & continuare deinceps velis, maximè cùm charitas ordinata suadeat, ut, dum aliorum saluti invigilas, tuam præ alijs assecuras; assecurare autem vel maximè possis per constantem SS. Deiparæ cultum, cùm juxta S. Bernardum, *sicut ab ipsa despectus & aversus, necesse est, ut pereat; ita ad ipsam reversus, & ab ipsa respectus, impossibile sit, ut pereat.* An non ergo dices cum ipso ad tuos Subditos: *Filioli mei, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.* Colloquium ad Christum, rogando, ut filialem tibi affectum, quo ipse Matrem prosecutus est, communicet, eámque tibi efficaciter iterum commendet dicens: *Ecce Filius tuus.*

Meditatio III.

DE AMORE DEI.

Textus S. Ignatij.

Inprimis duo notanda sunt. Primum, quòd amor ipse ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Circa quæ verba notandum est, hoc ipso, quòd S. Pater dicat, *magis* amorem ab operibus pendere, non omnino excludere velle, amorem *affectivum*, quo in amati bonitate quis complacet sibi, eíque illam ex animo gratulatur, atque adeò eidem conjungi desiderat; sed hoc solùm indicare voluisse, quòd amor *affectivus* solus non sufficiat ad Salutem, nisi etiam *effectivus*, qui in opus ipsum prodit, jungatur; nam, ut rectè S. Gregorius hom. 3. in Evang. advertit, *nunquam est amor DEI otiosus; operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est*, perfectus intellige. Hinc Christus Joan 14. dixit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Habent itaque se affectivus, & effectivus amor ad se in-

vicem, ſicut Fides & Charitas: ac proin ſicut Fides ſine op
ribus mortua eſt, ita & amor affectivus ſine effectivo. Ua
quemadmodum olim Jehu 4. Reg. 10. cùm dixiſſet ad Jona
dab: *Nunquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum co
de meo?* & Jonadab reſpondiſſet, *eſt.* Mox ſubjecit: *da m
manum*; ita DEVS quoque ſinceritatem affectus, & amici
ex manu data, id eſt, ſecutis operibus cognoſcit.

*Secundum notandum eſt, quòd amor conſiſtit in mutu
facultatum, rerum, & operum communicatione, putà ſcie
tia, divitiarum, honoris, & boni cujuſcunque*; ſi enim
ipſum alteri communicat, & quodammodo unit amans, qu
ni & bona ſua, quæ minoris æſtimat, libenter communicat.

Oratio præparatoria præmittitur ex more.

*Præludium primum eſt, ut coram Domino, Angelis, Sa
bisque omnibus mihi propitiis ſtare me videam.*

*Præludium ſecundum eſt, ut gratiam DEI efflagitem
quam beneficiorum ejus in me collatorum magnitudo
perſpiciens ad amorem, cultum, & ſervitium totum me
pendam.*

*Punctum primum ſit, revocare in memoriam benefi
creationis, ac redemptionis, dona item particularia, ſing
vata enumerare, & cum intimo affectu perpendere, qua
tùm meâ causâ benigniſſimus DEVS egerit, atque perfe
rit; quantùm mihi elargitus ſit de theſauris ſuis, quæq
juxta divinum ſuum decretum & beneplacitum, ſingu
mihi, quantùm poteſt, donare velit; quibus optimè ra
vertar ad meipſum, & diſquiram mecum, quæ mea ſint pe
tes, & quid æquum, juſtumq; ſit, ut divina offeram, & q
libeam Majeſtati, haud ſanè dubium, quin mea omnia
ferre debeam, ac meipſum cum ſummo affectu, & ſervitu
juſcemodi vel ſimilibus: Suſcipe, Domine, univerſam libe
tatem meam; accipe memoriam, intellectum, atque vo
tatem omnem: Quidquid habeo, vel poſſideo, mihi largi
es, id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado g
bernandum: amorem tui ſolum cum gratia tua mihi don
& dives ſum ſatis, nec aliud quid ultra poſco.*

*Secundum erit, ſpeculari DEVM in ſingulis exiſtentia
creaturis ſuis, & elementis quidem dantem, ut ſint; plan
vero, ut vivant quoque per vegetationem; animalibus in
per*

ges, ut sentiant; hominibus postremò, ut simul etiam intelligant; inter quos accepi & ipse universa hæc beneficia, esse, vivere, sentire, ac intelligere; méq; templum quoddam suum effere voluit, ad imaginem & similitudinem suam creatum. Ex quorum omnium admiratione reflexus in meipsum, agam, ut in primo puncto, vel melius, si quid occurrerit; id modo in puncto etiam sequentibus erit faciendum.

Tertium est, considerare eundem DEVM, ac Dominum propter me in creaturis operantem, & laborantem quodammodo, quatenus dat ipsis, conservatque id, quod sunt, habent, possunt, & agunt; qua omnia, ut suprà, in mei considerationem reflectenda erunt.

Quartum, prospicere, quo pacto munera & bona omnia ealium descendunt, ut sunt potentia, justitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à Sole, & ex fonte aqua derivantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspectionem. Colloquium etiam in fine fiet terminandum cum Pater noster.

Hucusque S. Ignatij textus, qui, si non sufficiat, poterit eadem materia, præmissis ijsdem præludijs, sic in puncta dividi, simúlque, quidquid ad amoris rationem pertinet, clarè cognosci.

Punctum I.

Considera 1. Quantopere te DEVS ad sui amorem allicere conatus sit, quámque graves ad se amandum causas obtulerit, dum scilicet beneficia, quæ tibi contulit, perfectissimo modo exhibuit; nam 1. beneficium *creationis* spectando perfectissimum gradum entis, scilicet facultatem intelligendi contulit, téque à Christianis Parentibus, & in fide Catholica educari voluit. 2. beneficium *Redemptionis* exhibuit per Incarnationem & Passionem, ac mortem Filij, cùm unicum suspirium sufficisset. 3. *Vocationis* beneficium contulit vocando te ad perfectissimum & dignissimum Sacerdotij Ordinem. 4. *Justificationis* beneficium executus est per infusionem gratiæ, quâ post lumen & visionem beatificam nullam reperitur perfectior qualitas. 5. Ipsius *Glorificatio-*

ficationis beneficium per lumen gloriæ & visionem beatifi-cam perficiet, quibus nullum accidens perfectiùs ipse etiam DEVS producere potest.

Considera II. Si juxta commune axioma æquum est, qu quâ mensurâ quis alteri beneficium aut amorem metitur, ide dem alter quoque gratitudinem & amorem mutuum meti-tur, quantopere tu ad DEVM amandum excitari debeas, di te ab eo priùs tantopere dilectum agnoscis; an non tuam in parte socordiam fateberis, & cum S. Bernardo exclam-bis: *Amat charitas, amat immensitas, & nos rependim cum mensura?*

Considera III. Quomodo errorem tuum corrigere, & nunc cum S. Augustino in has voces erumpere velis: *Ser amavi, ô pulchritudo tam antiqua & nova, serò te amav tu intus eras, & ego foris: tu mecum eras, & ego tecum eram.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. In quibus præcipuè officijs verus amor D. consistat, videlicet 1. *In summa æstimatione:* ut nemine præter ipsum æstimes, & desideres, quemadmodum Thom Kemp. l. 2. c. 5. hortatur dicens: *Nil magnum, nil alt nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi purè DEVS, aut DEO sit; amans quippe DEVM anima sub DEO deficit u verſa;* hoc enim est DEVM toto corde diligere. 2. *In memoria DEI:* ita, ut, quemadmodum S. Bernardus c. 6. dit. loquitur, *omne tempus, quo de ipso non cogitas, perdi se te computes;* sicut enim nullum est momentum, quo mo non utatur, vel fruatur bonitate & misericordia DEI, nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non be beat in memoria. 3. *In continuo studio ipsi beneplacen* sicut suasit Apostolus 1. Cor. 10. dicens: *Sive manduca sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam facite.* Et reipsa præstitit S. Ignatius Loiola, de quo Ro Romana testatur, eum tanto erga DEVM amore flagrâs tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil al loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere DEO, & temperare ejus voluntati. Unde Sponsus Sponsam Can hortatur: *Pone me ut signaculum super cor tuum: pone*

signaculum super brachium tuum. Et hoc est totâ animâ & viribus diligere, dum scilicet omnes animæ potentiæ & vires ad quærendam DEI gloriam & beneplacitum ordinantur. 4. *In generosa resolutione quidvis pro DEO patiendi.* Ita ut cum Apostolo ad Rom. 8. dicere audeas: *Quis me separabit à charitate DEI?* & cum S. Teresia *mori aut pati:* vel cum S. Maria Magdalena de Pazzis *purum fel,* id est, tribulationes sine consolatione exoptes.

Considera II. Quàm perfectè hæc omnia officia ij, qui carnaliter se mutuò amant, exequantur; quàm assiduò simul convivere, & conjungi, & colloqui cupiant, & quærant: quàm assiduam sui memoriam gerant: quàm ardenter exequantur, quæ Amato beneplacere nôrunt: quàm fortiter resistant ijs, qui separationem facere volunt; potuerunt ergo illi, & tu non poteris? an amor infiniti boni non poterit, quod amor particulæ boni creati tam facilè præstat?

Considera III. Quomodo tu hæc officia hactenus præstiteris, & præstare deinceps velis, tantò scilicet perfectiùs, quantò magis te ad amorem tantum obligatum esse, in priori puncto didicisti. Colloquium ad B. Virginem velut Matrem & fontem pulchræ dilectionis.

Punctum III.

Considera I. Quos fructus ex tali amore sperare possis, nimirum ut dicere cum Salomone Sap. 7. queas: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia,* seu *charitas divina.*

Considera II. Cùm triplex plerumque bonum assignetur ab Ethicis, utile scilicet, honestum, & delectabile, quàm copiosè hæc tria bona per amorem seu charitatem divinam communicentur. Nam 1. bonum utile quod attinet, *si pietas ad omnia utilis est,* teste S. Paulo 1. Tim. 4. *promissionem habens vitæ* (id est, omnium necessariorum vel conducentium ad vitam jucundè & quietè transigendam) *quæ nunc est, & futuræ;* si, teste S. David Ps. 32. *nihil deest timentibus DEVM,* quantò minùs deesse aliquid patietur ijs, qui diligunt illum? ut adeò meritò dixerit S. Basilius in Hexam. *Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem, qui habet,*

dives est: quo, quicunque caret, pauper est. 2. bonum h
nestum quomodo cum amore obveniat, breviter indicavit
Augustinus, dum dixit: *Hoc es, quod diligis; si terram di
gis, terra es: si DEVM diligis, quid dis, ut dicam? Deus*
Hinc Hugo de S. Victore de laude charitatis differens, ait
inquit, *quid majus in laudem tuam dicere possim, quam
DEVM de cælo trahere, & hominem de terra ad cælum
here dicaris. Magna virtus tua, ut per te ad hoc usque
milietur DEVS, & usque ad hoc exaltetur homo.* 3. De
que quantopere bonum delectabile secum afferat amor
vinus, S. Augustinus propriâ experientiâ doctus testatur
l. 9. Conf. c. 1. ait: *Quam suave mihi subitò factum est
vere suavitatibus nugarum, & quas amittere metue
rat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas
vera tu, & summa suavitas, ejiciebas eas, & intrabas
omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni
ce clarior, sed homini secreto interiori; omni honore su
mior, sed non sublimibus in se.* Unde meritò Thomas Ke
l. 3. c. 10. pronuntiavit: *Verè ineffabilis dulcedo con
plationis tua, quam largiris amantibus te.* Et iterum l.
c. 8. *Esse cum IESV dulcis est Paradisus.*

Considera III. Quàm pretiosi sint hi fructus, dignis
que, propter quos cum Sponsa Cant. 7. dicas: *Ascendam
palmam* (id est, victoriam amoris inordinati erga res
nas) *& apprehendam fructus ejus.* ut experiri eorum do
dinem merearis, & cum eadē Sponsa dicere Cant. 2. *Sub um
illius, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis
turi meo.* Audi ergo invitantem te illis Eccl. 24. *Tran
Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a genera
nibus meis adimplemini; Spiritus enim meus super mel
cis, & hæreditas mea super mel & favum.* Colloquium
Christum.

Consideratio
De Propositorvm Executione.

Considera I. In quibus præcipuè capitibus proposita
consistant; in sequentibus videlicet 1. Ut cum S. Paulo
mnium, quæ retrò sunt obliviscaris, & nihil de præterit
en tua, nisi *pudorem, dolorem, & fervorem* retineas, di
alio

assiduò cum S. Davide Psal. 78. *Domine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, sed citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* 2. Ut totum ad anteriora te convertens, novo fervore ad *agendum*, id est, ad actiones tuas quotidianas ritè perficiendas *sustinendum*, & *abstinendum*, ad majorem DEI gloriam incumbas, illud pij Authoris monitum l. 1. c. 25. semper in mente habens: *Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum. & quicquid de aliis sit, non neglige teipsum.* 3. Ut altè menti infixum habeas Siracidis c. 29. consilium: *Recupera Proximum secundùm virtutem tuam, & cave, ne incidas*, in pericula scilicet, & mala, è quibus alios eripere conaberis. 4. Ut quemadmodum Philosophus ille Regi, quid sibi ad felicitatem deesse credat, quærenti respondit, *nihil nisi clavum constantiæ* deesse; ita idem tu de propositis tuis à Christo & Directore tuo dictum credas, ideóque hunc clavum à DEO, à quo omne bonum, & donum perfectum descendit, teste S. Jacobo c. 1. assiduò petas, mediáque paulò pòst præscribenda sedulò adhibeas.

Considera II. Causas, ob quas hæc proposita tua singulari cum diligentia exequi debeas, quia scilicet DEO & Sanctis *summum beneplacitum*, tibi *summum* in hac & altera vita *gaudium*; Proximo verò tuo, id est, viventibus & defunctis *summum auxilium* per talem executionem præstabis, ut meritò hæc tria motiva veluti triplicem funiculum, qui difficulter rumpitur, sed potiùs vehementer ad talem executionem obstringit, intueri, & à Christo tibi de propositis tuis dictum existimare debeas: *Hoc fac, & vives.*

Considera III. Quæ media ad hanc executionem adhibere debeas, sequentia nimirum 1. Ut firmiter credas, proposita tua non nisi semen esse, ac proinde sine influxu Solis cælestis incrementum accipere non posse, ideóque hunc influxum per crebras orationes sedulò petendum esse. 2. Ut pariter tibi persuadeas, verissimum esse Thomæ Kempensis l. 1. c. 25. axioma: *Tantùm proficies, quantùm tibi vim attuleris*; atque adeò ad hanc victoriam totis viribus incumbas. 3. Ut brevem tibi vitæ tuæ cursum circumscribas, & vitam

tuam velut mercatum seu Nundinas intuearis, ideóque illa Siracidis monitum c. 9. in mente semper habeas: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Prima ergo cura sit, ut bonam temporis rationem habeas, crédens, nihil eo esse pretiosiùs, propter ea, quę ad majus Dei obsequium, tuúmq, ac proximi profectũ fieri possunt; unde perdere vel minimã partẽ temporis est aliquem vitæ aut talentorum usum perdere, quæ talenta quò nobiliora sunt, tantò major & reprehensibilior est jactura temporis, maxime cùm, si semel lapsum est, recuperari nequeat, sed id, quod crastino die fieri potest, crastino deferatur. 4. Ut per frequentes recollectiones proposita tua adduò renoves; nam, ut pius Asceta l. 1. c. 19. rectè advertit: *secundùm propositum nostrum cursus profectus noster: ponim fortiter proponens sæpe deficit, quid illi, qui rarius minùs fixè aliquid proponit.* Certè quantopere hoc medium conducat ad profectum, pulchrè indicavit S. Gregorius Lib. moral. c. 2. dicens: *Animus noster, dum igne amoris exquitur, semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris; nescit enim mens per tempus veteráscere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur. Renovamini Spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis culmen jam pervenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc cœpi, quia si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus.*

Materia Lectionis.

Ex libello de imitatione Christi legatur l. 3. c. 21.

Ex libro Ascetico & Historico unum, alterúmve caput.

Ex libello Exercitiorum Regulæ seu notanda de scrupulis, quæ quidem in compendio ad sequentes tres revocari possunt.

Regula I.

Duplex est species scrupuli. Prior est scrupulus improprie dictus, cùm ex proprio judicio aliquid censetur esse peccatum, quod non est tale, ut cùm quis crimini sibi vertit, crucem ex paleis formatam calcâsse; & hic scrupulus utpote [illegible] error

errore procedens penitùs abjiciendus est. Scrupulus propriè dictus est, cùm post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam suboritur peccati admissi suspicio, ita ut dubia mens hæreat, num peccârit, ideóque angi, & perturbari incipiat. Et tales scrupuli, cùm animam purgent, & à peccato seducant, circa initium conversionis maximè plurimùm conducunt; quia juxta D. Gregorium *bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

Regula II.

Hæc est calliditas & consuetudo dæmonis, ut animam delicatam, & ab umbra etiam peccati abhorrentem, in angustias & scrupulos conjiciens, à profectu impediat; crassam verò crassiorem efficere, & in peccata semper graviora præcipitare studeat; unde in eam partem tendere quisque debet, quæ opposita est illi, ad quam Sathan pertrahere studet; sic enim in medio tandem subsistet, sicut arbor, quæ ad sinistram partem nimiùm inflexa, violenter ad dextram pertrahitur.

Regula III.

Quoties homini, dum dicere aut agere aliquid bonis moribus non contrarium cupit, suggestio fucata illud disuadens occurrit, pergendum erit intrepidè, & cum S. Bernardo dicendum: *Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.*

Materia Scriptionis.

Cùm directorium exercitiorum c. 40. inter alia, de quibus monendum ait post exercitia exercitantem, tertio loco ponat ut ad conservandam & alendam devotionem pijs & spiritualibus exercitijs conceptam excitetur, proderit hodie documenta aliqua conscribere, quæ ad memoratam devotionem obtinendam conducere queant, qualia quidem sequentia esse possunt.

Documenta salutaria.

Ad devotionis spiritum conservandum.

I. Definita pro sacrificio Missæ, horis canonicis, examine conscientiæ, lectione spirituali, tempora nunquam sine

gravi causa omittat, aut mutet, sed potiùs cum omni di gentia dictis exercitijs impendat.

II. Oculos à curiositate sub talibus exercitijs diligen cohibeat, certóque sibi persuadeat, talem oculorum cus diam esse Matrem devotionis.

III. Pro certo etiam habeat indulgere sensualitati plu mùm officere devotioni; cùm de devotione præcipuè i queat, quod Deus de hominibus Gen. 6. dixit: *Non perm nebit spiritus meus in homine, quia caro est.*

IV. Studeat, si vires & occasio patiantur, stata habere p nitentiæ & afflictationis corporalis exercitia, quia sine s ritu mortificationis non alitur spiritus devotionis.

V. Internam & externam pacem cum omnibus colat, e nísque dissensionis & aversionis occasiones diligentiss devitet; non enim idoneus est munus devotionis ad altr Domini offerre, qui dilectionis munus non impleviss gnoscitur.

VI. Nec in aliorum mores curiosè inquirat ipse; n quid alij de ipso sentiant, curet; hæc enim utraque non p rùm lancinant animum, & dulcedinem devotionis corru punt. Meminerit ergo, Domino suo quemque cadere, & r re; & talem esse ac tantum, qualis & quantus coram D est.

VII. Animum ab omni perturbatione liberum habe semper studeat; aut si accidat aliqua turbatio, mox comp nere conetur; non enim sentire intra orationem poterit d votionis quietem, qui extra illam non priùs animum co ponere studuerit.

VIII. A collectione prodiens sive octiduana, sive trid na, ut non debet se tetricum exhibere, sed modestè hilare ita cavendum summopere est, ne mox iterum se offunda cùm ab uno extremo ad alterum semper periculosus sit tra situs.

NONA DIES.

SCopus hujus diei est, beneficia in hoc secessu accepta gnoscere, & ad debitas pro ijsdem gratias referendas s metipsum excitare, ut, dum flumina hæc beneficiorum gra

gratitudinem recurrunt ad mare, divinæ bonitatis & liberalitatis iterum fluere incipiant.

Tessera.

Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus. Pſ. 102.

Meditatio II.

De gratiis pro felici exercitiorum successv referendis.

Præludium I. Eſt, conſtituere ſe in conſpectu SS. Trinitatis, Chriſti, B. Virginis, & SS. Patronorum pro ſeceſſu electorum, & ab ijs benedictionem pro propoſitorum executione exſpectare.

Præludium II. Eſt, petere gratiam, ut beneficia in hoc ſeceſſu accepta clarè cognoſcere, rectè æſtimare, & dignè compenſare valeas.

Punctum I.

Conſidera I. qualia potiſſimùm beneficia à Deo in hoc ſeceſſu acceperis, duplicia videlicet, nempe I. *Copioſas illuſtrationes Intellectus*, quibus finem & felicitatem creationis & vocationis tuæ clariùs agnoſcere, mediáque idonea ad eundem obtinendum invenire, & eligere potueris. II. *Efficaces impulſus Voluntatis*, quibus ad finem talem totis viribus quærendum, mediáque electa ſtudiosè adhibenda impellebaris.

Conſidera II. Quàm magna ſint hæc beneficia; id non difficulter cognoſces, ſi firmiter tibi perſuadeas, ea eſſe quaſi duo talenta, quibus Dei gloriam, & ſalutem tam tuam, quàm alienam lucreris; hinc enim facilè colliges, cùm utilitas & bonitas medij ex bonitate & præſtantia finis conjiciatur, quemadmodum ſine hoc nihil præſtantiùs reperiri poteſt, ita nec majus tibi beneficium obtingere potuiſſe, quàm diſtarum illuſtrationum & motionum communicationem.

Conſidera III. Quàm æquum ſit, ut hæc duo talenta magnifacias, atque ad debitas pro ijsdem gratias referendas excitare te ſtudeas. Colloquium ad SS. Patronos.

Pun-

Punctum II.

Considera I. Quas potissimùm gratias exigat à te Deus videlicet ut dicta duo talenta, sicut à Deo, speciali ex dilectione & gratia accepisti, ita simili ex motivo bene collocare, atque adeò proposita tua studiosè exequi coneris.

Considera II. Quænam sint proposita, quorum executionem Deus à te tantopere exigit, & desiderat, videlicet, ut ipsum sincerè diligas, & proximum tuum, sicut teipsum, justo illum modum, quem in his exercitijs didicisti; in his enim duabus dilectionibus non solùm lex & Prophetæ, sed tota etiam propositorum tuorum summa consistit.

Considera III. Quem fructum ex tali collocatione talentorum sperare possis, videlicet, ut alia duo talenta, scilicet gloriam Dei, & salutem animarum lucreris, & cum gaudio quondam ad ipsum accedere, dicereque possis: *Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo super lucratus sum*, sícque vicissim ab ipso audias: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere debeas, & velis ad talentorum tibi commissorum fructuosam usurpationem, seu propositorum executionem, nempe I. Ut assiduò memineris charitatis per talentorum talium commissionem tibi à Deo exhibitæ, & rationis severissimæ ab eodem exigendæ; sic enim amore simul & timore incitaberis, ut ea bene impendere studeas. II. Ut occasiones, in quibus hæc talenta bene impendere possis, diligenter prævideas, &, ne illæ elabantur, sedulò caveas. III. Ut memor semper adhortationis à Christo Matt. 24. factæ: *Et vos estis parati, quia, quâ nescitis horâ. Filius hominis venturus est*: temporis accuratissimam habeas rationem, & quemvis diem vitæ & negotiationis tuæ postremum esse arbitreris, atque adeò talenta tua bene collocare studeas. IV. Ut frequenter rationes ineas negotiationis tuæ per ex-

tamina & recollectiones, ut, si fortè partem talentorum malè collocatam, aut in sudario negligentiæ relictam advertas, ex damni consideratione ad novam diligentiam exciteris. V. Ut, quoniam Christus ipse Jo. 15. dixit, *sine me nihil potestis facere*: eundē & SS. Patronos tuos in auxilium voces, atque adeò frequenter ab eis gratiam ad bene collocanda talenta necessariam petas, memor saluberrimi consilij S. Leone dati, dum super verba illa S. Petri c. 1. *Sancti estote*: sic loquitur: *Præcipit sanctitatem, & modum ejus acquirendæ, quasi diceret: Me diligite, & abijs, quæ mihi displicent, abstinete: facite, quod amo: amate, quod facio: & cùm difficile videtur esse, quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut, unde datur præceptum, præstetur auxilium: non negabo opem, qui tribui voluntatem.*

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media, utpote quæ contineant tria illa media ab ipsa sponsa cant. 1. ad obtinendum sponsi amorem adhibita, & ad alios etiam fines obtinendos perutilia, scilicet *desiderium* per verba *osculetur me osculo oris sui* indicatum: *orationem* per verba *trahe me post te* insinuatam: & *cooperationem sedulam & ferventem* per verba *curremus in odorem unguentorum tuorum*: significatam.

Considera III. Quomodo hæc media hactenus adhibueris, & adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum cum illis S. Augustini verbis: *Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem: compelle, ut faciam: suade ut te diligam: confirma, ut te teneam: custodi, ne te perdam.*

Materia Lectionis.

Post hanc meditationem & reflexionem peractam, ne statim ad negotia tua redeas, audi adhuc Deum tibi extrema monita dantem, eúmque in finem primò ex libello de imitatione l. 1. c. 25. attentè perlege. Deinde ne ulla materia ex libello exercitiorum lectionem tuam effugiat, tres modos orandi à S. Ignatio præscriptos perlege, &, quomodo deinceps eosdem practicare velis, considera. Sunt autem hi modi, ut in compendio habeas, ferè sequentes.

Primus est, ut post brevem considerationem, quò accedendum, & quid faciendum sit, & orationem præparatoriam

riam præmissam mandatum aliquod Dei aut peccatum; aut potentiam animæ ordine discutiam, attendens, quo pacto me in ijs gesserim, & de deprehensis erroribus doleam, veniam petam, & emendationem spondeam; totámque considerationem per institutum cum Deo colloquium claudam.

Secundus est, ut sedens vel flectens orationem aliquam incipiens circa singulos sensus tamdiu sistam, & immorer quamdiu circa eam variæ significationes, spirituales gust & motus animi occurrunt, & ita tota oratio percurratur.

Tertius est, ut inter singulas respirandi vices singula ora tionis verba transmittantur, & interim vel significatio illi vocis, vel alia pia doctrina perpendatur.

Peractâ hâc lectione, si fieri potest, templum accede, S Sacrificium Missæ pro defunctis in gratiarum actionem o fer, & demum recitato Hymno Ambrosiano cum oratio *Deus, cujus misericordiæ &c.* secessum hunc claude, & a memoriam revocans, quòd per hanc octiduanam recollectionem plenariam peccatorum remissionem, seu indulgentiam obtinueris, novam vitam cum gaudio auspicans dicens cum Davide: dixi, nunc cœpi.

DIVISIO

DIVISIO SECVNDA
PRO OCTIDUANO SECESSU.
Ad Sacerdotalem Statum ſpecialiter accommodata.

HActenus materiam pro octiduano ſeceſſu ſic aſſignare ſtudui, ut non in genere duntaxat hebdomadarum, & triplicis viæ perfectionis, purgativæ videlicet, illuminativæ, & unitivæ diviſionem (quam ſemper in tali ſeceſſu obſervare convenit, niſi ſpecialis ratio, & circumſtantia ſeu qualitas exercitantis aliud exigat) ſed ipſas etiam meditationes in particulari à S. Ignatio aſſignatas, quantùm fieri poterat, ſervârim; nunc verò, quoniam, ut alibi jam monui, varietas delectat, & ipſæ meditationes tantò plerumque utiliores & efficaciores exiſtere cenſentur, quantò magis ad ipſum exercitantis ſtatum applicantur, aliam diviſionem priori ſubjungere placuit, in quâ, quidquid ad ſacerdotalem ſtatum dignè æſtimandum, & ſuſtinendum requiri poſſe videtur, per ipſas meditationes & conſiderationes ſuccinctè & dilucidè explicetur. Unde meritò hæc diviſio Sacerdotibus tantò magis arripienda eſt, quantò majorem ex ea utilitatem & ſolatium haurire poſſe videntur.

Lectionem ſpiritualem, quæ inter primarias etiam exercitantis occupationes jure merito cenſetur, quod

quod attinet, præter libellum de imitatione nullu
determinatum alium librum assigno, cùm juxta d
versam constitutionem personæ in hoc secessu ve
santis alia & alia materia assignanda sit. Illud te
men universim observandum videtur, ut non de
ctrinalis duntaxat, sed & historices quidam libe
vitam v. g. Sacerdotis cujuspiam sancti & perfe
conrinens assumatur, ut, quantò magis deform
tem & imperfectionem in vita tali velut speculo S
cerdos cognoverit, tantò magis ad eandem detesta
dam, vitámque suam integrè reformandam incit
tur. Tales autem vitæ esse possunt vita Joannis A
vilæ, Jacobi Merlahorstij, S. Caroli Borromæi, P
tri Foreri & aliæ similes.

Meditatio Prooemialis.

Pridiè Exercitiorum peragenda.

Scopus.

*Ardens desiderium, hæc Exercitia cum magno fru
ac fructu peragendi.*

Punctum I.

Considera I. Quòd hodie Christus ad te illa verba, qu
olim ad Apostolos suos Marci c. 6. dixerat, iterum repet
Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pau
lum.

Considera II. Quis te invitet, nimirum ille, de quo spo
sa Cant. 5. dixit: Anima mea liquefacta est, ut dilectus lo
cutus est. De quo bini discipuli in Emaus euntes Luc. 24
fassi sunt: nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum l
queretur nobis in via? Ad quem locum invitet; scilicet a
solitudinem, de qua S. Hieronimus dixit: Oppidum mi
carcer est, & solitudo Paradisus: maximè cùm JESUS pr
sens est, nam, esse cum JESU dulcis est Paradisus, teste Th

Kempenſi l. 2. c. 8. Quâ de causâ invitet, nempe ut quiescas modò à curis temporalibus & turbis, & totum te Colloquio cum Christo, spiritualibúsque exercitijs impendens, dicas cum S. Augustino: Nunquam minùs solus fui, quam cum solus fui.

Considera III. Quantus sit iste favor & gratia, quámque alèò promptè illum arripere, gratúmque exhibere te debeas. Colloquium instituetur ad SS. Patronos, quos pro felici exercitiorum successu potissimùm elegisti.

Punctum II.

Considera I. Quid in ista quiete potissimùm tibi agendum sit, nimirum cum dilectissimo Magistro & Servatore nostro Christo de rebus majorem ejus gloriam, tuámque & proximi salutem concernentibus colloquendum.

Considera II. Quàm honesta, jucunda, & utilis hæc occupatio sit futura, utpote ex qua meritò sperare possis, summum fructum post DEI gloriam, in te aliósque, cum quibus tibi deinceps agendum fuerit, redundaturum.

Considera III. Quanta cum alacritate & gaudio in desertum hoc te conferre, mentémque tuam ad hoc tam exoptatum cum Christo colloquium præparare debeas. Colloquium fiet ad B. Virginem tanquam primariam Patronam, & Authorem horum exercitiorum, rogando eam demissè, ut, quemadmodum olim S. Ignatium docuit horum exercitiorum modum & formam, ita tibi quoque nunc adesse velit, ut omnia, quæ in dicto modo præscribuntur, accuratè observare queas.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere debeas ad hoc colloquium cum fructu instituendum, nimirum ut omnia, quæ distractionem animi tibi creare possent, efficaciter removeas, adeóque omnibus personis, negotijs, curis, inordinatis affectionibus illud Christi dicas: sedete hîc, & requiescite, donec vadam illuc, & orem.

Considera II. Si ut ordinario tempore recreationis colloquium cum uno alteróve homine de rebus sæpe vanis, inutilibus, & curiosis instituatur, tam facilè negotia & curæ se-

ponuntur, quanto magis ea propter tale colloquium se
nere debeas, ex quo non immeritò tibi polliceri poss
magis instructum ad eadem negotia rediturum, & hoc ip
majori cum fructu postea peracturum.

Considera III. Quomodo hæc omnia observare veli
de tua hac sollicitudine dici queat: *Ponam desertum*
& sollicitudinem quasi hortum; in quem scilicet e
noxijs vitiorum colijs solidarum virtutum pulcherrima
mina plantentur. Colloquium instituetur ad Christ
surpando cum sincero affectu illud S. Davidis: *Paratum*
meum, Deus &c. Item illud Samuelis: *Loquere, Dom*
quia audit servus tuus. Imò posset non incongruè
caput 2. lib. 2. de imitatione Christi colloquio huic
Si hæc meditatio minùs placet, sumi potest medita
Circo perfectionis P. Joannis suffreni fol. 37. vel ex T
philo P. Joannis Weyer fol. 230. ex quo, si tempus pa
etiam perquam utiliter actus intentionis pro his exer
fol. 237. notati elicientur.

Legantur item Additiones S. Ignatij ad exercitia.
Monita generalia ex Circo perfectionis fol. 4. vel in
ex Ludovico de Palma. & si per tempus licet, etiam
20. lib. 1. ex libello de imitatione, ex quo sequentia
bene observentur: In silentio & quiete proficit anima
ta, & discit abscondita scripturarum. Ibi invenit fluen
crymarum, quibus singulis noctibus se lavet & mund
Conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longiùs a
ni sæculari tumultu degit. Qui ergò se abstrahit à
amicis, appropinquabit illi DEUS cum Angelis S
Claude igitur super te ostium, & voca ad te JEsum di
tuum. Mane cum eo in cella, quia non invenies alibi
pacem.

Conclusiones

Seu proposita ex dicta meditatione faciendâ.

1. Ergo collige & te intra sinus, qui omnes recipis;
qui quid prodest tibi juxta verbum Domini, si univers
creris, te unum perdens? Quamobrem cùm omnes te
ant, esto & tu ex habentibus unus, quid solus fraudar

perè tui? usquequo spiritus vadens, & non rediens? sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? S. Bernardus.

III. Ergo, ô sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus elegisti. Secede, sed mente, non corpore: sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Solà indicitur tibi mentis & spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt &c. S. Bernardus hom. 40.

III. Ergo videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, redimentes tempus à Deo ad tam præstantem finem concessum; nam, ut rectè S. Basilius ait, temporis pars ad usuram Deo tradita, non evanescit, sed cum magno additamento ab ipso redditur. Nec, ut S. Hieronymus bene advertit, eò fit hic recessus, ut retraharis à tuis; imò id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris, qualem tuis te præbere debeas.

PRIMÆ HEBDOMADÆ

I. Dies.

Scopus primæ hujus hebdomadæ est triplex. I. Horrorem & dignam æstimationem de peccatorum gravitate concipere. II. Ea per actualem & intensum dolorem detestari ac delere. III. Varia media ad relapsum cavendum præparare.

Tessera pro prima die: *Fecisti nos, Domine, ad te & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* S. Augustinus in Confess.

Meditatio I.

DE FINE HOMINIS.

Scopus.

Serium propositum, totis viribus hunc finem prosequendi.

Punctum I.

Considera I. Cur homo creatus sit, scilicet ad imaginem & similitudinem DEI, id est, ut, sicut DEUS infinitè ac comprehensivè se cognoscendo & amando summè beatus ac fe-

lix est, ita homo quoque per limitatam cognitionem & morem Dei in hac vita inchoativè, in altera verò comple beatus sit. Hinc Christus Matth. 5. dixit: *Estote perfecti cut Pater vester cœlestis perfectus est*; significare volens, quemadmodum Pater cœlestis seu natura divina Paternitatem subsistens cognoscendo seipsam genera lium, & amando se ipsum in Filiatione subsistentem Spiritum Sanctum, & sic perfecta ac integra efficitur, ita minis quoque perfectionem ac felicitatem in cognitione amore Naturæ divinæ consistere.

Considera. II. Quàm pulchrè hunc finem Deus in cordis creatione indicârit, dum ideò cor triangulare cre ut per hanc figuram innueret, illud etiam ab univers tius globo repleri non posse, sed à solo Deo Trino & posse satiari; id quod egregiè confirmans S. Bernardus *ad imaginem Dei facta anima rationalis cæteris rebus pari potest, repleri non potest; capacem enim Dei, quis Deo minùs est, replere non potest.*

Considera III. Cùm quævis res naturâ suâ ita sit com rata, ut priùs non quiescat, quàm finem suum consecuta rit, quanta tibi necessitas incumbat, Deum amandi, ut tam, sed nunquam hactenus inventam in creaturis quie in ipso tandem invenias. Golloquium ad SS. Patronu

Punctum II.

Considera I. Qualis sit amor, quem Deus velut ultim finis à te requirit, duplex nimirum I. Affectivus, qu esse suum, & summam bonitatem tenerrimè gratuleris méque gaudeas, illum esse, qui est. II. Effectivus, qu cut ille omnia propter se creavit, & ad suam gloriam nat, ita & tu pariter omnia propter ipsum diligas, & o ris, seu, ut clariùs dicam, semper agas, quod vult Deus modo vult, & quia vult; in his enim tribus capitibus amoris, hominisque perfectionem consistere, notum ho stichon indicat:

Omne tulit punctum, patitur, qui semper agitque
Quæ vult, quóve modo vult Deus, & quia vult.

Considera II. Quàm facilè, obvium, & tamen etiam lidum ac efficax hoc sit medium, quod tibi offertur ad

rem tuum finem, atque adeò felicitatem etiam in hac vita, quantùm humana mens capit obtinendam.

Considera III. An & quomodo hoc medium hactenus arripueris? quomodo totum tuum affectum in Deum transtuleris? an omnes creaturas non plùs, quàm quatenus ad hunc finem conducunt, ames, & utaris? an non potiùs illud S. Augustini effatum in te locum habeat? *minus te, Domine, amat, qui aliquid amat præter te, quod propter te non amat.* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quanta bona sperare possis, si hunc tuum supremum finem toto animi conatu consequi studueris; talia tamque ac tanta, ut jure merito cum Salomone Sap. 7. dicere possis: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honestas per manus illius?* quid enim honestius excogitari potest, quàm si in ipsum quodammodo Deum transformeris? atqui hoc per descriptum hactenus amorem Dei obtinebis; *Si enim terram amas, terra es: si Deum amas, quid vis, ut dicam? Deus es,* inquit sapienter S. Augustinus. Quid utilius tibi obtingere poterit, quàm id, quod ad supremam & indesinentem felicitatem ducit? atqui hoc idem amor unicè præstat, uti ipse Servator quærenti, quid faciens æternam vitam possideret, respondit dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* quuid denique jucundius in hac vita optari potest, quàm id, quo solo adepto anima plenissimè satiatur, & quiescit? atqui & hoc per solum & unicum hunc amorem obtineri, tum quotidiana experientia, tum verissimum illud pij Ascetæ effatum l. 1. de imit. c. 1. testatur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire.*

Considera II. Si hæc motiva meritò quemvis hominem movere debent, ut finem suum totis viribus assequi conetur; quantò majus studium & fervorem in eo consectando Sacerdos adhibere debeat, ut qui non ipse duntaxat ad eum tendere debeat, sed etiam ad alios eò ducendos Dux & director à Deo sit constitutus, & cui proinde meritò ij, qui ejus curæ sunt commissi, illud Jacobi Patriarchæ ad fratrem suum Esau dictum Gen. 33. repetant: *Præcedat Dominus* (& Dux)

ctor) *meus ante servum suum, & ego sequar paulatim v stigia ejus, sicut videro parvulos meos* (vires meas) *posse.*

Considera III. An & quomodo tu hactenus obligatio tuæ hac in parte satisfeceris, & satisfacere deinceps vo Colloquium ad Christum solidis affectibus plenum.

Lege etiam, si placet, aut hujus meditationis loco ter medit 1. ex Circo S. Suffreni fol. 37. aut Duce viæ ad vi P. Jacobi Masenij fol. 51.

Conclusiones.

I. *Quid ergo vagaris, ô Homuncio, quærendo bona a ma & corporis? ama unum bonum, in quo sunt omnia bo & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bon & satis est.* S. Anselmus. Quin imitaris columbam à N olim emissam, &, quia non invenis, ubi pes tuus quiet in creaturis, reverteris ad arcam, id est, Deum tuum?

II. Ergo fatendum cum S. Augustino: *Scio Domine, qu malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed etiam ex ipso; & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est ma*

III. Ergo audiendum S. Davidis Consilium ps. 33. Gu *te, & videte, quoniam suavis est Dominus*; gustato nam spiritu desipiet omnis caro, experientiâque tali edoctus ces cum S. Augustino: *Quàm suave mihi subitò factum carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metue rat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas vera tu, & summa suavitas: ejiciebas eas, & intrabas eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; o vi luce clarior, sed homini secreto interiori: omni hon sublimior, sed non sublimibus in se.*

Legatur quoque ex lib. de imit. l. 3. c. 9. & ultima verba præcipuè sibiipsi applicentur: *Si rectè sapis, in m lo gaudebis, in me solo sperabis, quia nemo bonus, nisi Deus, qui est super omnia laudandus, & super omnia benedicendus.*

MEDITATIO II.
Pro prima Die.
DE FINE SACERDOTIS.

Scopus.
Digna æstimatio, & Prosecutio hujus finis.

Punctum I.

Considera I. Quis sit finis & officium Sacerdotis, nimirum I. Ut sit mediator apud Deum, per quotidianam Breviarij recitationem: nâm Sacerdos, teste S. Joanne Chrysostomo, *medius stat inter Deum & Naturam humanam, illine venientia beneficia ad nos deferens, nostras petitiones illuc perferens, & Dominum iratum reconcilians.* II. Ut sit Vicarius Christi in SS. Missæ sacrificio offerendo juxta illud S. Pauli Hebr. 5. *Omnis námque Pontifex* (& Sacerdos) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* III. Ut sit Minister Christi & Legatus in animarum salute per administrationem Sacramentorum, & Verbi divini prædicationem procuranda, juxta eundem Apostolum 2. Cor. 5. *Posuit in nobis Verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Sic igitur nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei.*

Considera II. Quanta dignitas & honor Sacerdoti ex triplici hoc officio oriatur, illa nimirum, quam Cassianus his notatu dignissimis verbis indicavit: *Sacerdos Dei altissimi, si altitudinem cœli contempleris, altior es: si pulchritudinem solis, & lunæ, & stellarum, pulchrior es: si discretionem Angelorum, discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es.*

Considera III. Quanti proinde à te faciendum sit hoc beneficium, quod ex tot millionibus hominum extractus, atque ad sacerdotalem hanc dignitatem, *omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem, & primam nobilissimámque membrorum Christi Domini partem,* ut S. Ignatius M. loquitur

quitur, evectus es; quàm proinde deinceps gratum exhibere debeas & velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Si illi homines, qui ad magna ejusmodi officia promoventur, tantopere laborant, ut omnia ad suum officium necessaria instrumenta & media conquirant, nonnémque insuper conatum adhibent, ut personam suam quam aptissimè repræsentent, quantò magis tu necessarias ad verum Sacerdotem dotes comparare debeas, ut personam publicem, quæ in officio Sacerdotis involvitur, decenter atque perfectè sustineas.

Considera II. Quænam sint illæ dotes, quæ in Sacerdote potissimùm requiruntur, nimirum I. *Magna*, id est, sufficiens ad functiones suas ritè obeundas *Scientia*; ne audiat mereatur illud Oseæ c. 4. *Tu repulisti scientiam; & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* II. *Major prudentia*; juxta illud Servatoris Apostolis dictum Matt. 10. *Estote prudentes sicut serpentes*, alioqui si cæcus cæco ducatum præstet, quid aliud timendum est, quàm ut ambo in foveam cadant? III. *Maxima sanctitas*; per quam omnimodo de vitio Deo consecretur, ut nomen ipsius, idem ac *sacer* significans, exigere videtur. Hinc jam olim antiquis Sacerdotibus Levit. 19. dictum: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester*; quantò magis autem à Sacerdotibus novi testamenti ad tam excelsum sacrificium offerendum destinatis talis sanctitas requiretur?

Considera III. Quomodo tu dotes has hactenus procurare studueris, aut deinceps certè procurare velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm media adhibere debeas ut dictas tres dotes obtinendas, totámque tuam tam excelsam vocationem adimplendam; nimirum duo potissimùm. Primum est, *firmissima fiducia in gratia vocationis*; si enim Principes hujus mundi tam liberaliter omnia subsidia & media pro muneribus, quæ subditis suis injungunt, ritè obeundis necessaria subministrant, quantò magis Deus tam fide-

lis & beneficus abundantem gratiam largietur illis, quos ad tam excelsum finem, scilicet ad majorem suam gloriam, & animarum salutem promovendam elegit? Alterum est, *cooperatio tua*: nam & hîc suo modo locum habet, quod S. Augustinus dixit: *Qui te vocavit & elegit sine te, non te salvabit* (& juvabit) *sine te.* Hinc & S. Paulus dixit: *Abundantiùs omnibus laboravi*; *verumtamen non ego* (solus intellige) *sed gratia DEI mecum.*

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media ad prædictas tres dotes obtinendas, fructúmque amplissimum in vinea Domini faciendum, ita ut meritò S. quidam Pater dixerit: *Tantùm per nos operabitur DEVS, quantùm se nostra in eum fiducia extenderit.* Alius verò rectè pronuntiârit, hæc duo media esse duo talenta à DEO nobis concredita, quæ si rectè impenderimus, haud dubiè alia duo, scilicet nostram & proximi salutem simus lucraturi.

Considera III. Quomodo hactenus hæc media adhibueris, aut certè deinceps adhibere velis. Colloquium ad Christum cum affectuosissima gratiarum actione pro tam excelsa vocatione.

Vide etiam, si placet, Meditationem fer. 2. & 3. in Sacerdote Christiano D. Ludovici Abellij c. 11. fol. 58. vel in Ducе viæ ad vitam P. Jacobi Masenij fol. 447.

Conclusiones.

I. Ergo audiendus S. Paulus 2. Cor. 7. &, cùm has promissiones habeamus (nos Sacerdotes) repurgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis ac Spiritûs, perficientes sanctificationem in timore DEI, nec ullam aliqua in re dantes offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus commendemus nos tanquam DEI ministros.

II. Ergo *cùm nihil sit excellentius in hoc sæculo Sacerdotio*, inquit S. Ambrosius, *& cùm dignitatem eorum oculis videamus, ut dignè noscamus, quod sumus, & quid sumus professione, actione potiùs, quàm nomine demonstremus, ut actus respondeat nomini, & nomen cum operibus coincidat.* Propterea autem vocantur Sacerdotes Clerici, inquit S. Hieronymus, *quia vel de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus est pars Clericorum. Qui autem vel ipse pars est Domi-*

ni, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.

III. Ergo *Sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à Populo, qui nihil habet separatum à Populo, dispar à multitudine. Quid enim in te mutatur, si tua in se recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod extra in se non inveniat? si, quæ in se erubescit, in te, quam reverendum arbitratur, offendat?* S. Ambros. c. 3. de Sacer.

IV. Ergo *exemplum esto Fidelium* (ô Sacerdos) *in sermone, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ut* Paulus 1. Tim. 4. monet; nihil enim, teste Concilio Tridentino Sess. 22. c. 1. nihil est, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. Cùm enim à rebus humanis oculi in altiorem locum sublati conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conijciunt, ex iisque sumunt, quæ imitentur.

Legatur quoque ex Thoma Kemp. l. 4. c. 5. & ista præcipuè verba bene perpendantur: *Attende tibi, & vide, cui ministerium tibi traditum est per impositionem manûs Episcopi. Non alleviâsti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem Sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Ejus conversatio non cum Popularibus & communibus hominum vitiis, sed cum Angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra.*

CONSIDERATIO PRO I. DIE.

DE PECCATIS IN SPECIE, QUÆ A SACERDOTIBVS COMMITTI POSSVNT.

Punctum I.

Postquam gratiam divinam per brevem orrationem implora veris, incipe Statum animæ tuæ considerare, ac, ut facilius eum agnoscas, primò quomodo erga DEVM, tum quomodo circa Proximum, & tandem quomodo circa teipsum te habeas, examinare; ad hunc enim Ordinem omnes [illegible] virtutes revocantur, ut mox patebit.

D

De Peccatis contra DEUM.

Contra Fidem.

1. Itaque examina Conſcientiam tuam, an non aliquid contra Fidem deliqueris, dubitando de aliquo articulo, aut alio modo ſimili peccando.

Contra Spem.

2. An non diffidentiam aliquam de Providentia & Auxilio divino conceperis, nimiámque de rebus terrenis ſollicitudinem habueris?

Contra Charitatem.

3. An puram actionibus tuis quotidianis intentionem præfigere neglexeris?

4. An voluntatem tuam cum divina conformare ſtudueris?

Contra Religionem.

5. An Sacrificium Miſſæ cum debita præparatione & reverentia offerre ſtudueris?

6. An Sacramenta legitimo modo adminiſtraveris?

7. An Horas Canonicas & alias preces, cum debita attentione & devotione recitaveris?

8. An teporem in Servitio divino negligenter excuſſeris?

9. An in Cultu B. V. & aliorum Sanctorum non inconſtans, & negligens extiteris?

Contra Gratitudinem.

10. An gratus DEO pro acceptis beneficiis extiteris?

11. An non blaſphemando, vel temerè jurando DEVM offenderis?

12. An non ſuperſtitiones aliquas aut vanas obſervantias habueris?

Punctum II.

De Peccatis contra Proximum.

Cogitatione.

1. Examina te, an non ſuſpiciones aut temeraria judicia de Proximo conceperis?

2. An non averſionem, odium, aut inimicitiam adverſus aliquem foveris?

3. An

3. An non invidiam aliquam habueris?

4. An non contempseris aliquem in Animo sine legitima causa?

Verbo.

5. An non detraxeris alicui, vel de illius defectibus murmuraveris?

6. An non mordacibus, asperis, aut contumeliosis dictis aliquem offenderis?

7. An non ignominiosis Agnominibus aliquem compellâris?

8. An non vitium aliquod alicui indiscretè improperaveris, aut immodestè irriseris?

9. An non inutiles cum aliquo rixas & contentiones institueris?

10. An non indiscretâ vexatione aliquem læseris?

Opere.

11. An non correptionem Proximi debitam omiseris aut in eadem nimis remissus, aut severus extiteris?

12. An non plùs æquo alicui indignatus, aut iratus fueris?

13. An non in Pastoralibus tuis circa Proximum Functionibus negligens & incurius extiteris?

14. An non inordinato amore & affectu alicui Personæ adhæseris?

15. An Benefactoribus gratus esse studueris?

16. An Superioribus debitam obedientiam & reverentiam exhibueris?

Punctum III.

De Peccatis contra seipsum.

Cogitatione.

1. Examina, an non cogitationes otiosas, vanas, superbas, impuras, gulosas, animo volueris, negligentérque rejeceris?

2. An non inordinatum aliquem appetitum vanæ laudis & gloriæ, aut alterius cujusdam rei habueris?

3. An non vanam in opere quopiam complacentiam habueris?

4. An non teipsum inordinatè nimis amaveris, & propriam voluntatem nimis tenaciter sectatus fueris?

Verbo

Verbo.

5. An non Verba otiosa, vana, levia, impudica, jactabunda, scandalosa, mendacia protuleris?

Opere.

6. An non Oculos à curioso aspectu negligenter cohibueris?

7. An non Aures vanis, murmuratorijs, aut detractorijs sermonibus nimis facilè accommodaveris?

8. An non in cibo potúque sumendo temperantiæ leges excesseris?

9. An non tactu aliquo sensuali aut impudico tui aut alienicorporis DEVM offenderis?

10. An non alio quopiam opere castitatem violaveris?

11. An non jejunij legem aliquando violaveris?

12. An tempus non inutiliter expenderis?

13. An non immoderato aut injusto lusu peccaveris?

14. An non in adversis casibus nimis impatiens, & pusillanimis fueris?

15. An non actiones tuas quotidianas inordinatè & perfunctoriè obieris?

16. An non in bonis propositis exequendis inconstans & negligens extiteris?

Hæc & plura alia ubi percurreris, tria breviter præstare conaberis.

I. Quænam ex his peccatis præ aliis negotium facessant, atque in quæ frequentiùs lapsus sis, studiosè considerabis; nam talis reflexio mirè conducit ad sui cognitionem obtinendam, ipsámque adeò emendationem procurandam; ex hac enim cognitione convertetur Anima, ut S. Bernardus ser. 36. in Cant. ait, ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & clamabit in humilitate: *Sana Animam meam, quia peccavi tibi.*

II. Reflectes te specialiter, quàm gravium damnorum & malorum causa & radix extiterint hæc peccata, & quàm ex alijs etiam causis detestabilis sit eorum malitia, téque illis Apostoli Rom. 6. verbis alloquêris: *Quem fructum habuisti tunc in illis, in quibus nunc erubescis?* seriúmque rubori dolorem & emendationis propositum junges.

III. Unum alterúmve Medium pro curatione ejusmodi defe-

defectuum inquires, inter quæ meritò præcipuum, radicis ex qua ejusmodi peccata pullulant, extirpatio censetur, quam proinde sollicitè indagabis, & generoso animo oppugnare ac evellere incipies.

Claudetur hæc consideratio per Psalmum *Miserere*, aut alias similes preces sincerum de peccatis dolorē continentes.

Meditatio III.
pro prima die.

De INDIFFERENTIA IN USU RERUM creatarum summè Sacerdoti necessaria.

Scopus.

Firmum propositum rebus creatis, non nisi quatenus ad finem conducunt, utendi.

Punctum I.

Considera I. Quem in finem DEVS Mundum & Res omnes in eo existentes produxerit, nimirum ut Homini servirent, eúmque in fine suo ultimo consequendo juvarent; sic enim Psalmista Psal. 8. testatus est dicens: *Domine quid est homo, quod memor es ejus? Minuisti eum paulò minùs ab Angelis. Gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

Considera II. Si tam felicem se olim judicavit Joseph, qui priùs à Putipharo super domum suam, postea verò ab ipso Rege Pharaone super totum Regnum Gubernator & Administrator constitutus est; quantum tu favorem & beneficium te à DEO consecutum fuisse existimare debeas, quando non super unicam domum, aut regnum, sed super universas creaturas, quatenus tibi & alijs hominibus in usum concessæ sunt, Administrator à DEO es constitutus?

Considera III. Quàm meritò obstupescere debeas hunc favorem, & cum S. Davide exclamare: *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra!* Sed & firmissimum concipere propositum, tantò perfectiùs hoc munere Administratoris fungendi, quantò majus per illius collationem beneficium tibi collatum est. Colla-

quan-

quium ad DEVM cum pijs affectibus Admirationis, Gratulationis, Humilitatis &c.

Punctum II.

Considera I. Quæ potissimùm dotes requirantur ad bonam Administrationem rerum servo commissarum, nempe illæ duæ, quas Christus Matthæi 24. indicavit dicens: *Quis putas est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Prudentia scilicet & Fidelitas; hæ enim duæ dotes, sunt illa duo instrumenta, quibus tota veri servi perfectio completur, & acquiritur.

Considera II. Quid *Prudentia* præscribat servo, nimirum ut semper in actionibus suis respiciat finem suum ultimum, & res creatas, quæ velut media ad dictum finem obtinendum ei concessæ sunt, non aliter, quàm quatenus ad finem conducunt, usurpare studeat. Quid item *Fidelitas* ab eo exigat, ut scilicet id, quod Prudentia illi dictavit, fideliter fortitérque exequatur, & ad solam DEI Gloriam referat, ideóque cuicunque rei creatæ ad amorem illicitum incitanti cum Josepho Patriarcha dicat: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat (quasi) quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te* (de qua sola dixit: Gloriam meam alteri non dabo, scilicet, ut creaturæ propter seipsos aut propter nos tantùm diligantur) quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?

Considera III. An & quomodo tu has geminas dotes hactenus habueris, aut certè deinceps comparare velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quale, quantúmque præmium sperare possis, si fidelis & prudens in administrandis rebus creatis repertus fueris, nimirum illud, quod Christus cit. cap. indicavit dicens: *Beatus ille Servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Quin imò sicut olim DEVS propter fidelitatem Josephi Patriarchæ benedixit ipsi etiam domui Putiphatis, & multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris cunctam etiam substantiam; ita ipsam quoque Regionem

nem aut Civitatem, in qua habitant ejusmodi fideles Serv benedicet, & à varijs quidem malis custodiet, copiosis autem bonis, gratiisque cumulabit.

Considera II. Si ille Servus, qui super pauca, id est, super res inanimes aut irrationales fidelis inventus est, super omnia bona DEI constitutus est; quantò magis ejusmodi præmium multóque majus sperare possit Sacerdos, qui super multa, id est, ipsas Animas pretiosissimo Christi Sanguine redemptas fidelis extirerit.

Considera III. Quantopere spes præmij istius te animare & excitare debeat ad dictam Fidelitatem omni studio exhibendam; si enim servi hujus Mundi ob tam levia laborum suorum præmia tam fidele & promptum Dominis suis servitium præstant, quantò magis Supremo Domino ob tantum præmium similem Fidelitatem præstare par erit? Colloquium ad DEVM, erumpendo in illa S. Davidis verba Psal. 115. *O Domine, ego servus tuus, & Filius Ancillæ tuæ.*

Vide etiam, si placeat, Jac. Masenium fol. Vel Jo. Weyrum p. 2. med. 4.

Conclusiones.

I. Ergo *Accipe, redde, cave. Accipe beneficium*, tes cretas: *Redde servitium*, fidelem eorum usum: *Cave supplicium*, si abusus fueris.

II. Ergo ne postules ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri, sed si sapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum, instituti non item. Claudicatio pedis est impedimentum, instituti non item. Quod si singulis in rebus, quæ incidunt, considerâris, invenies eas alterius cujuspiam rei, non tui, esse impedimentum. Epictetus. Enchir. c. 13.

III. Ergo cave, ne nimium innitaris super desiderio præconcepto, me non consulto; ne fortè postea pœniteat, aut displiceat, quod primò placuit, & quasi pro meliore acceptâsti. Non enim omnis affectio, quæ videtur bona, statim est, sequenda, sed neque omnis contraria affectio ad primum fugienda. Expedit interdum refrenatione uti etiam in bonis studijs & desiderijs, & viriliter appetitui sensitivo contraire, nec advertere, quid velit caro, & quid non velit, sed hoc magis satagere, ut subjecta sit etiam nolens Spiritui. Thom. Kemp. l. 3. c. 11. Legatur etiam c. 10. lib. 3.

SECUNDA DIES.

Hæc dies tota in consideratione peccatorum impenditur, eò potissimùm tendente ut &, quantùm ab ultimo die discesseris, clarè cognoscas, doleásque, & ad eundem rediise seriò statuas; nec enim pars minima seriæ emendationis est errorem cognoscere.

Tessera.

Erravi, O Domine, sicut ovis, quæ periit; quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Psal. 118.

MEDITATIO I.

DE PECCATI MORTALIS A SACERDOTE COMMISSI GRAVITATE.

Scopus.

Horror & seria detestatio peccati mortalis.

Punctum I.

Considera I. Quàm grande fuerit peccatum Judæ, Christum triginta argenteis vendentis, & Oscnlo tradentis; id quod cognosces facilè, si inprimis perpendas, *Quis vendiderit*, videlicet Judas, qui speciali beneficio à Christo ad Apostolatum vocatus, fuerat: qui tot Conciones solidissimas à Christo audiverat: tam præclara virtutum exempla ab illo acceperat: tot miracula viderat: cui pedes paulò antè stupendâ demissione loti, & corpus & sanguis proprius inexplicabili charitate dati fuerant. Deinde *Quem* vendiderit, scilicet Conditorem, Magistrum, Summum Benefactorem, Dominum DEVM, &, ut uno verbo dicam, infinitum bonum. Denique *quo pretio* & *modo* vendiderit, tradiderítque, nempe vilissimo triginta argenteorum pretio, & osculo perfidè & malitiosè genis Christi infixo. Ex quibus omnibus arguitur crimen hoc Judæ fuisse summam ingrati animi notam, dum, tanto Benefactori suo tot beneficia tam malè rependit: Summam stultitiam, eò quòd infinitum bonum paucis nummis permutárit: & summam injuriam, dum prædictos nummos

Christo præposuit: & summam denique perfidiam, dum amicitiam simulans tam fraudulenter Hostibus Eum suis tradidit.

Considera II. Quàm multò graviora sint peccata mortalia à Sacerdote quopiam moderno commissa, utpote qui a quali vocatione vocatus, non semel duntaxat in Sacramento Pœnitentiæ à Christo lotus, nec semel sanctissimo Corpore & Sanguine illius pastus est: nec paucas duntaxat, sed plerásque ejus Exhortationes in Evangelio descriptas audivit, pleraque illius miracula intellexit, & præterea etiam audivit, quàm gravia pro ipso tormenta Christus sustinuerit, quàm acerbam & ignominiosam mortem subierit, & quam copiosum Sanguinem, ad ultimam usque guttam profuderit.

Considera III. An & tu simili culpâ eum offenderis, & quantopere ob eam erubescere, eámque detestari, & deplorare & velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quàm gravem pro hoc scelere pœnam in hoc & altero Mundo impius Judas sustinuerit, & etiamnum sustineat; nam in hoc quidem Mundo ipse sibi conscius nefandi sceleris adactus gulam laqueo fregit, viscerâque effudit, omniúmque mortalium gravissimum Odium & contemptum incurrit; in altero verò ad infernum detrusus acerba inibi supplicia perferre cogitur, ut revelatum sit aliquando, cum summa ex omnibus damnatis tormenta sustineat.

Considera II. Quantum tu odium & contemptum Hominum & DEI, quantámque pœnã in hac & altera vita promeritus sis, qui non semel, sed sæpius, Christum non jam mortalem, sed glorioſum; non pro triginta argenteis, sed vilissimâ fœdissimâque voluptate, aut vanissimo honore; post omniam toties acceptam, ac emendationem promissam, necnon constitutam, tam perfidè, impiéque vendidisti.

Considera III. Quanta benignitas sit Christi, qui non obstante gravitate tuorum peccatorum, etiamnum paratus sit te in gratiam recipere, nec condonare duntaxat præteritas culpas, sed etiam ablatas gratias cum notabili augmento restituere, & velut olim Pater ille Filium prodigum, non

tim suavissimo Amicitiæ osculo, & amoroso amplexu suscipere, sed proprio etiam sanguine corporéque reficere. *An ergo divitias bonitatis ejus*, ut cum S. Paulo Rom. 2. loquar, *patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Colloquium ad Christum, gratias agendo pro tanta benignitate, veniámque suppliciter peccatorum admissorum petendo.

Punctum III.

Considera I. Si nunc Judæ ea gratia fieret, ut peccata sua per detestationem & deprecationem delere, pœnámque infernì evadere, & gloriam æternam promereri posset; quot lacrymis & suspiriis ea defleturus, quanto contritionis & demissionis affectu ad pedes Christi se prostraturus, quanto charitatis ardore culpas suas depreçaturus, quàm promptum se paratúmque ad omnia tormenta in hoc Mundo sustinenda ablaturus, & quanto amore & fervore deinceps sanctissimum ejus beneplacitum in omnibus esset impleturus.

Considera II. Quantò magis tu hæc omnia præstare debeas, quando licet centies majora supplicia promerito, tamen hæc gratia à Christo per ineffabilem misericordiam facta est, ut tam culpæ pœnæque remissionem, quàm gloriæ æternæ possessionem unico sincero contritionis actu obtinere possis.

Considera III. Quid proin agere velis, ne præter culpas præteritas novam etiam ingrati animi notam incurras. Colloquium ad DEVM Patrem fistendo te Reum unigeniti Filij sui venditi, traditi, crucifixi. Vide etiam Masenium fol. 99. & Lucem Veritatis Jo. Bapt. Santiure. fol. 33.

Conclusiones.

I. Ergo exclama cum pio Asceta l. 3. c. 14. de imit. Christi: *Intonas super me judicia tua, Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valde. Si in Angelis (& Apostolis) reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me?*

II. Ergo agnosce cum Jeremia Thren. 3. quòd verè *Misericordia Domini* opus sit, *quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus in nobis.* Dic ergo cum S.

David Psal. 85. *Confitebor tibi, Domine, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti Animam meam ex inferno inferiori.*

III. Ergo cave, ne relabaris in peccata præterita; *si enim*, ut S. Petrus 2. c. 2. ait, *refugientes coinquinationes Mundi in cognitione Domini & Salvatoris nostri IESV Christi, his rursum implicati superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam Iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto Mandato.* Legatur Thom. Kemp. l. 3. c. 14.

Meditatio II.
Pro 2. Die.

DE PECCATI VENIALIS A SACERDOTE COMMISSI GRAVITATE.

Scopus.

Serium propositum ejusmodi peccati singulari studio devitandi.

Punctum I.

Considera I. Quantopere doleant varij Mortales, si pr Febrim aut alium morbum lecto affigantur, præcipuè vos Legati Magnorum Principum, si à Legatione valde honorifica obeunda; Amici admodum se invicem amantes, si à mutua præsentia & familiaritate: Aulici, si à servitio Regi exhibendo: Mercatores, si à lucro aliquo prægrandi obtinendo impediantur.

Considera II. Quantò magis Sacerdos dolere debeat, si per morbum aliquem spiritualem à Legatione sua perhonorifica, quâ pro DEO ad Animas fungitur: à Præsentia & familiaritate cum summo & fidelissimo Amico DEO: à servitio Supremo Regi præstando: à lucro inæstimabili meritorum cælestium & Animarum impediatur.

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut, quis sit ejusmodi morbus spiritualis, cognoscere, &, postquam eum cognoveris, omni conatu præcavere, aut certè, si jam incurreris, celerrimè, efficacitérque curare studeas. Colloquium.

Pat

Punctum II.

Considera I. Quàm meritò peccatum veniale morbus spiritualis Animæ dicatur ob tres præcipuè causas. 1. Quia sicut morbi corporales vitam non omnino adimunt, sed tamen, nisi maturè occurratur, ad mortem disponunt, ita peccatum veniale non quidem omnino tollit vitam Animæ, sed tamen paulatim ad mortale perducit juxta illud Siracidis 19. c. Qui spernit modica, paulatim decidet. 2. Quia sicut morbus aufert pulchritudinem, hominémque minùs amabilem, gratúmque facit aliis; ita veniale peccatum Animam commaculat, efficítque, ut minùs à DEO æstimetur, & ametur. 3. Quia sicut morbus debilitat vires, nauseam creat ciborum, & varios corpori dolores affert, ac quietem impedit; ita per peccatum quoque veniale Anima debilior efficitur ad operandum, amittit gustum ad spiritualia Exercitia, & graves Conscientiæ stimulos atque angustias patitur, graviores verò pœnas in altera vita timere debet, ac denique gaudio & quiete, quæ ex bona conscientia oriri solet, privatur. Ex quibus omnibus concludunt Doctores, minimum quodvis peccatũ veniale gravius esse malum, quàm si quis omnes morbos aut tormenta excogitabilia simul pateretur; id quod ex ipsis etiam Purgatorij tormentis colligi potest, quorum minimum omnia hujus Mundi mala, quæ peccatum non sunt, longè superat.

Considera II. Quàm citò, studioséque ij, qui morbo aliquo corporali correpti sunt, se ab eo liberare studeant; quàm promptè medicinas quantumvis amaras adhibeant; neque ipsas etiam incisiones & adustiones refugiant; quantò celeriùs proinde efficaciúsque tu pro morbo hoc spirituali veniarum peccatorum curando remedia indagare, studioséque adhibere debeas.

Considera III. An hactenus ejusmodi curam spiritualibus his morbis pellendis aut cavendis adhibueris, aut deinceps certè adhibere velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quæ plerumque remedia adhiberi soleant ad morbos corporales curandos, nimirum medicinæ, balnea,

cauteria, incisiones putrium partium, & quandoque etiam humani sanguinis potus uti ab Epilepticis fieri solet.

Considera II. Quàm præclara tibi occasio offeratur, similia etiam remedia pro spiritualibus tuis morbis curandis adhibendi; nam 1. *Medicinarum* vicem subeunt actus contritionis, vel attritionis, vel simpliciter & siccis oculis (quo modo quasi pilulæ dici queunt) vel certè cum lacrymis (quo modo velut potus medicinalis sumuntur) eliciti. 2. *balnea* rectè Confessio Sacramentalis intelligitur, utpote qua Anima denudata per peccatorum manifestationem a Sacerdote per Absolutionem velut ablutionem à sordibus peccatorum purgatur, & abluitur. 3. *Cauteriorum* tum vera pœnitentia Sacramentalis, maximè si sit medicinalis imitatur; per hanc enim sicut per cauteria putridus sanguis educitur, id est, amor inordinatus erga res aliquas illicitas possessas vel amatas tollitur. 4. *Incisionibus* abscissio occasionum peccandi rectè comparatur; quia per hujusmodi fugam res illæ, quæ nobis per illicitum amorem adhærebant, & ad peccatum incitabant, abscinduntur, & sic ulterius serpens gangræna cavetur. 5. denique per *potum* humani sanguinis rectè Sacramentum Evchariſtiæ indicatur; hinc enim Sanguis Christi acceptus multò efficaciùs animam in lapsu custodit, quam sanguis humanus soleat; nam, teste S. Bernardo ser. de Cœna Domini, *duo præcipuè hoc Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Siquidem frùm non tam sæpe modo, non tam apertos sentit tractus motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operetur in eo.*

Considera III. Cùm ratione Sacerdotij tibi præ aliis incumbat, & majorem puritatem procurare, & frequentiorem etiam occasio offeratur, omnia prædicta media, præcipuè Evchariſtiam adhibendi; quàm gravis & culpabilis tua negligentia sit futura, si ejusmodi media adhibere negligas.

Colloquium.

Videri etiam potest Masenius med. 4. pro 2. die, Vel etiam Solitudo Hag. med. 2. pro 2. die.

Con-

Conclusiones.

I. Ergo, monente D. Chrysostomo in cap. 7. ad Rom. *Negligamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. Nonne quis enim ad quodvis delictum dicere consuevit: Nihil hoc est, quis enim ad quodvis delictum dicere consuevit: Nihil hoc damni erit: paulatim omnia perdet. Istud quippe malorum induxit, istud Latroni portas aperuit, istud civitatis muros dejecit. Hoc & in corporibus magni morbi contrahuntur, quando Medici contemnuntur.*

II. Ergo *ista levia, quæ diximus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis; expaveſce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ replent flumen: multa grana faciunt massam.* S. Augustin. in Epist. Joann.

III. Ergo, *quando parvam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quòd parva sit, sed considera, quantam mala pariat. Nam si in domo parum aliquid stupæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus; non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes movemur, & concurrimus, ut totum Caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs exedit animam peccatum.* S. Chrys. in Ps. 6. Legatur ex Thom. Kemp. l. 1. c. 22. maximè §. 6.

Consideratio pro II. die.

De actionibus quotidianis in genere recte obeundis.

Punctum I.

Ut rectè cognoscas, quid ad Actiones has perfectè obeundas requiratur, imaginare tibi vitam tuam Horologio similem esse, atque adeò sicut ad Horologium, ut bene ambulet, horasque indicet, tres partes requiruntur, ita idem quoque de vita & actionibus tuis quotidianis esse sentiendum.

Et primò quidem sicut ad Horologium requiritur, ut exterius Circulum & in eo Horas certo ordine non temerè, sed juxta Solis cursum designatas habeat, & per Indicem demonstret; ita ad vitam rectè instituendam requiritur, ut quivis Ordinem sibi diurnum constituat, in eóque, quid quâvis horâ

aut tempore agendum sit, designatum habeat, in hoc autem Ordine constituendo non tam quid proprius Amor dictet, quàm quid Sol Justitiæ seu divina Voluntas requirat, sollicitè attendat. Unde sicut varia sunt Horologia, quæ diversis modis designatas horas habent, ita Ordines quoque diversi & rationes vivendi ob diversos Status & Occupationes diversi sunt, nec unus facilè omnibus accommodari potest. Atque hinc exurgit prima Conditio ad Actiones nostras quotidianas requisita, ut scilicet semper faciamus, *quæ DEO placent*, seu *quæ DEVS vult*, ut verè cum Christo dicere possimus: *quæ placita sunt ei, facio semper.* Joan. 8.

Secundò. Sicut ad rectum Horologij cursum requiritur, ut & rotulæ internæ majores & minores, & alia Instrumenta ijsdem conjuncta suum Officium perfectè faciant; ita ad actiones nostras requiritur, ut omnes nostras tam internas Potentias, puta Memoriam, Intellectum, & Voluntatem, quàm Externas, videlicet Visum, Auditum, Gustum, Linguam, Manus, Pedes &c. legitimè ad quamvis actionem perficiendam adhibeamus, sícque eam juxta Leges & Modum nobis à DEO, vel Superioribus, vel propria Devotione præscriptum cum omni diligentia peragamus; sic enim secundam Conditionem implebimus, & omnia, *quo modo DEO placent*, seu *quomodo DEVS vult*, faciemus, & cum Veritate de nobis dici poterit illud Gen. 1. *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Tertiò. Sicut ut dicta Instrumenta Horologij officium suum rectè & ordinatè peragant, geminum pondus, à quo trahantur, requiritur; ita ut tantò alacriùs & exactiùs actiones quotidianæ obeantur, geminum pondus duplicis Intentionis, Amoris scilicet erga DEVM & Proximum adhibendum est, quorum alterum, quò magis descendit, id est, quò magis Amor Proximi ad obsequia Proximo exhibenda se demittit, tantò altiùs alterum pondus Amoris divini ascendit. Hoc geminum pondus S. Augustinus nobis indicavit, cùm dixit: Amor meus pondus meum: hoc feror quocunque feror. Atque hinc tertia exurgit actionum quotidianarum Conditio, ut semper faciamus, eas, quia *DEO placent*, seu *quia DEVS vult*, sícque impleamus præceptum diligendi ex *toto corde* per ultimam hanc conditionem; *totâ animâ & totis*

per secundam; & totâ *fortitudine* per primam; quæ omnia recte nonnemo sequenti disticho complexus est.

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque,
Quæ vult, Quóve modo vult *Deus*, & quia vult.

Punctum II.

Ut autem tantò accuratiùs hic ordo & conditiones observentur, valde proderit insignes fructus, qui ex illius accurata observatione oriuntur, bene ponderare, qui quidem triplices sunt, videlicet I. Ut omnes actiones nostræ *bene* ac *perfectè* fiant, sícque vera hujus vitæ perfectio obtineatur, cùm juxta Ascetas summa hominis perfectio sit, *actiones suas quotidianas & ordinarias perfectè* obire. II. Ut *meritoriè* peragantur, qui fructus tantò pluris æstimandus est, quantò præstantior est merces gratiæ & gloriæ, quæ per singula opera sic patrata obtinetur; & quantò pauciores sunt, qui omnia sua opera dicto modo meritoria efficere student. III. Ut *quietè* & *jucundè* transigantur; tum quia passiones & curæ inordinatæ ut sic animum non abripiunt & perturbant, cùm sciat, quid quovis tempore agendum sit; tum quia spes beneplaciti divini & præmij æterni obtinendi omnem actionis difficultatem & molestiam tollit.

Punctum III.

Quemadmodum autem ut horologium in legitimo suo cursu conservetur, certæ quædam industriæ observandæ sunt; ita idem in actionibus quotidianis rectè perficiendis fieri oportet.

Et I. Quidem sicut horologium diligenter clauditur, ne pulvis aut humor extrinsecus rotulas aliáque instrumenta interiora inficiat, & à cursu impediat; ita accurata sensuum tam externorum, quàm internorum custodia adhibenda est, illiúdque Salomonis prov. c. 4. sæpe memoriâ volvendum: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

II. Sicut rotulæ aliáque instrumenta, ut cursum suum rectiùs & faciliùs peragant, oleo sæpius unguntur; ita potentiæ quoque, præsertim internæ, intellectus & voluntas, o-

leo accuratæ meditationis diligenter suo tempore inunge-
dæ, & ad novum fervorem excitandæ sunt.

III. Sicut director Horologij frequenter, imò quot-
semel iterúmque visitat horologium, & pondera quidem
trahit, reliquas verò partes, num ritè se habeant, examin-
& si quæ violatæ sunt, mox reficit, aut refici curat; ita ad-
dinem diurnum ritè observandum nihil perinde conduci-
frequens examinum & recollectionum usus, per quæ,
emendatione opus habeat, studiosè inquiritur, &, quod
ctum deprehenditur, in suo statu conservatur, aut amp-
perficitur. Præcipuè verò gemina pondera duplicis chari-
tis attrahuntur, id est, ad actus novo fervore eliciendos
sponuntur. Vide ergo, quomodo hæc omnia hactenus
servaveris, & observare deinceps velis.

Meditatio III.
pro secunda die.
DE VERA POENITENTIA ET CON-VERSIONE SACERDOTIS.

Scopus.
Sincera Vitæ Emendatio.

Punctum I.

Considera I. Quàm pulchrum tibi sinceræ conversio-
exemplar Deus in primo Sacerdote S. Petro reliquerit, ap-
te in cujus lapsu & conversione clarè cognosci potest, qu-
quid ad perfectam vitæ emendationem requiritur. Qu-
rum primum est *æstimatio peccati*, quæ quantò major e-
rantò major quoque contritio & abominatio sequetur.

Considera ergo II. Unde Petrus magnitudinem sui pec-
ti æstimârit, scilicet ex Magistri sui bonitate, quâ illum v-
cârat ad Apostolatum & Principem Apostolorum ac Sac-
dotum constituerat: quâ illum tam fideliter hactenus
struxerat, & omnium arcanarum suarum actionum soci-
assumpserat: quâ illum tam apertè de suo casu præmon-
rat: quâ pro ipso orabat, ne deficeret fides ejus: quâ de-
que ipsum respexit, & ad pœnitentiam invitavit; hæc o-
ca-

omnia illis verbis: *Et conversus Dominus respexit Petrum*: indicaret; dum ideò faciem suam ostendit Christus, ut S. Petrus quasi sic loquentem imaginaretur: Vide & aspice, Petre, quem neges? ego te ex tot millionibus hominum in societatem meam assumpsi, & tu deseris me? Ego te tam sollicitè ut discipulum instruxi, & tu Magistrum me tuum negas? ego præ omnibus alijs Apostolis exaltavi te, & tu ita spernis me? ego corpus & sanginem meum tradidi tibi, & tu Benefactorem tuum tantum non agnoscis? ego te Petram & fundamentum Ecclesiæ constitui, & tu vacillas?

Considera III. Quàm efficax sit hoc remedium ad cor etiam lapideum molliendum; juvabit in hunc finem animo revolvere historiam quæ in vitis PP. legitur de Sacerdote, qui, ut Filiam Ethnici Sacerdotis à Patre impetraret, Deum ac Cœlites abnegârat; ubi tamen ab idolo, quod Sacerdos Ethnicus consuluerat, num tradere ei Filiam deberet? responderi audivit: Noli eam dare, quia Deus ipsum nondum deseruit: tantopere hâc Dei bonitate perpensâ motus est, ut mox resipuerit, ac peccata sua per arctissimam pœnitentiam expiârit. Vide ergo, an non & tu justissimas habeas causas simili modo ad pœnitentiam te excitandi. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quibus potissimùm rebus in tam gravem lapsum præcipitatus sit D. Petrus (hoc enim alterum est caput ad perfectam conversionem requisitum, *cognitio* scilicet *occasionum*, in quibus lapsus est) nempe *nimiâ de suis viribus præsumptione* (quâ dixerat: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te; ego nunquam scandalizabor*: Matth. 26.) *amoris tepiditate*, (hinc enim *à longè* tantùm secutus eum fuerat, cùm ab initio proximus semper fuerit, & esse voluerit) & *conversatione cum mulieribus ac famulis sæcularibus*; nam ab his inductus est non ad negationem duntaxat, sed etiam perjurium negationi supperaddendum.

Considera II. An non hæc eadem capita te quoque ad lapsum multiplicem hactenus impulerint? an non tu quoque sæpiùs tempore fervoris dixeris: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*? an non de te quoque dicere jure potuerit

tuerit Deus illud Apoc. 3. *scio, opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo?* an non tu quoque ad vocem Ancillæ Ostiariæ aut domesticæ expugnatus, eidem non ausus sis resistere, sícque Christum per peccatum luxuriæ negâris? aut certè cum frigidis sæcularium ad prunas temporalium voluptatum sedentibus, & se ne flammas inordinatæ concupiscentiæ calefacienti commixtus, ad iterandam negationem impulsus fis?

Considera III. Quàm proinde meriò cautus esse debeas illámque S. Pauli 11. Rom. 12. sententiam in mente habere: *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed timere*; aut ut rectè S. Bernardus dixit serm. 55. *In Veritate didici, nihil aque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniar non altum sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cùm arriserit gratia: time cùm abierit: time, cùm denuò revertetur, & hoc est semper pavidum esse.* Colloquium.

Punctum I.

Considera I. Quêis potissimùm medijs usus sit S. Petrus ad suam conversionem, nimirum *fletu amaro*, & *fugiendo occasionem peccandi*, dum foras exivit; hæc enim duo ad perfectualem conversionem requiruntur, & sufficiunt; de quorum primo testatur S. Ambrosius l. 2. de pœn. dicens: *Dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quadam de condemnatione culpa displicentia innocentia.* De altero locutus est Servator, quando Marc. 9. dixit: *si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam &c.* quidni ergò potiùs de alia re minùs conjuncta idem dicendum erit?

Considera III. Quænam res hactenus potissimùm occasio & radix fuerit tuorum lapsuum; nónne concupiscentia hujus vel illius rei? hanc ergo abscinde; nam, ut sapienter advertit Thom. Kemp. 1. *juvat non qualibet res adepta, sed multiplicata exteriùs, sed potiùs decisa ex corde radicitus munit parùm loc⁹, si deest spiritus fervoris; nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat à vero fundamento statu cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non melior-*

liare. Nam occasione acceptâ & ortâ invenies, quod forsi, & ampiùs. Colloquium.

Vide etiam Masenium fol. 429. de Filio Prodigo. Item Ingiophilæ solitudinem med. 3. pro 2. die.

Conclusiones.

I. Ergo age pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum; *pœnitentiam autem*, ut S. Augustinus 5. 7. de tempore ait, *certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei, quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quidquid ante dulce fuit in vita.*

II. Ergo *quàm magna deliquimus, tam granditer deplangamus*, ut hortatur S. Cyprianus Ser. de lapsis: & ut S. Augustinus: *quantos impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.*

III. Ergo *tene breve & consummatum verbum: Dimitte omnia, & invenies omnia, relinque cupidinem, & reperies requiem.* Th. Kemp. l. 3. c. 32. *Quantò celeriùs hoc age, tantò melius habebis: & quantò plenius & sinceriùs, tantò mihi plùs placebis, & ampliùs lucraberis.* l. 3. c. 37.

Legatur etiam ex eodem libello c. 25. lib. 1.

TERTIA DIES

Postquam pœnitens anima se perfectè ad Deum convertere, & non præterita duntaxat peccata cum sincero dolore & erubescentia detestari, sed futura etiam sollicitè præcavere statuit, meritò de medijs ad hunc finem conducentibus cogitat, inter quæ cùm præcipuum ferè sit novissimorum memoria juxta Siracidis notum testimonium: *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*: Eccl. 7. rectè post peccatorum considerationem meditationes aliquot de Novissimis saltem prioribus tribus, quæ timorem incutiunt, & ad peccati fugam impellunt, instituuntur, nam quarti, nempe æternæ felicitatis consideratio, quia ad gaudium & spem ingeneranda tendit, rectiùs ad hebdomadam quartam differtur.

Tessera: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Heu quale! Hebr. 9.

Medi-

MEDITATIO I.

DE MORTE SACERDOTIS.

Scopus.

Sollicita ad Mortem Præparatio.

Punctum I.

Considera I. Quid sit mors, nimirum separatio animi à corpore, terminus merendi, extrema vitæ clausula, à qua pendet æterna vel felicitas, vel miseria; nam ut rectè S. Augustinus dixit ep. 80. ad Hesychium: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendat mors novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Hinc breviter & bene nemo dixit: *Qualis mors, talis sors.*

Considera II. Si tantam diligentiam in negotijs, à quibus aut honoris nostri, aut opum omnium, aut ipsius etiam vitæ temporalis conservatio pendet, perficiendis industriam ac conatum adhibemus; quantam sollicitudinem curam nos adhibere deceat in negotio omnium gravissimo nempe felici morte, à qua æternæ vitæ & felicitatis acquisitio pendet, procuranda.

Considera III. Quomodo tu hactenus hoc negotium curæ di habueris, aut certè deinceps habere velis. Colloquium

Punctum II.

Considera I. Quæ potissimùm media conducant ad felicem mortem obtinendam. Varia à variis comendantur; tria præcipuè. Primum est *Humilis & constans precatio hujus petitio*: cùm enim hoc donum sit donorum omnium maximum, vel maximè etiam desursum descendens, ideóque à Deo per orationem propriam, aut Sanctorum, præcipuè B. Virginis intercessionem obtineri debet; quæ in finem communiter suadetur ab Ascetis, ut certæ in hunc finem quotidie aut etiam quàvis horâ preces ad honorem Passionis & mortis Christi, B. Virginis & aliorum Sanctorum persolvantur. Secundum medium meritò *Bona* [illegible] æquo

ratur: Quia juxta commune adagium *sicut vita, mors* ..., neque *mala mors putanda est*, teste S. Augustino l. 1. ... dixit, *quam bona vita præcessit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem.* Hinc & S. David ... 115. *Pretiosam in conspectu Domini mortem Sanctorum* ..., pretiosam sanè, quia, ut S. Bernard. in epist. quadam ..., *finis est laborum, victoria consumatio, vita janua, & perfecta securitatis ingressus.* Tertium sunt *Misericordiæ & charitatis opera*, de quibus non verè minùs, quàm ... S. Hieronymus dixit: *Non memini, me legisse, malâ morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Sed & ipse Christus apertè pronuntiavit: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Matt. 6.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva ad prædictum finem obtinendum, quámque multiplici etiam experientiâ comprobata, uti passim in libris historicis videre est.

Considera III. An & quomodo tu hactenus ea usurpâris, aut usurpare certè deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quàm copiosa tibi per statum sacerdotalem occasio offeratur felicem mortem obtinendi, utpote per quem & ad frequentiores Deo Sanctísque preces offerendas, ac Eucharisticum etiâm panem (quem qui manducet, vivet in æternum, teste Christo Jo. 6.) quotidie, si placet, sumendum; & ad vitam cum majori sanctitate transigendam: & ad præstantissimum misericordiæ spiritualis genus indefinenter exercendum, vel ipsa statûs suscepti conditio & obligatio te impellit.

Considera ergo II. quàm meritò sperare possis, te, si officio Sacerdotis probè functus fueris, in morte auditurum illa Apoc. 14. c. verba: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: A modo dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Maximè si multos etiam moribundos ad mortem piè obeundam juveris & animâris, tunc enim *quâ mensurâ mensus fueris, eâdem quoque tibi remetietur.*

Conside

Considera III. Quàm proinde gaudere ob statum hunc susceptum, atque ut dignè ambules vocatione tua, omnem conatum diligentiamque adhibere debeas. Colloquium.

Vide etiam Masenium fol. 147. aut etiam Weyerm. fol. 326.

Conclusiones.

I. Ergo *Vigila, quia nescis diem, neque horam* Matt. *Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes* Luc. 12.

II. Ergo *Memor esto, quoniam mors non tardat, & Testamentum Inferorum, quoniam monstratum est tibi.* Eccl. 12. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet hora illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* cap. 5.

III. Ergo *Ante obitum operare justitiam. Non desperis à die bono, & particula boni doni non te præteriat.* Eccl. 12. ut dicere possis cum S. Paulo 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona gloriæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Legatur etiam ex Thom. Kemp. l. 1. c. 23.

Meditatio II.

Pro tertia Die.

Scopus.

Salutaris Judicij extremi Timor.

Punctum I.

Considera I. Quid sit extremum Judicium, nempe exactio Rationis à Christo ab omnibus & coram omnibus hominibus reddenda. Tunc enim verificabitur illud Apoc. 20. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inventus eis. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libro, secundùm opera ipsorum.*

Con-

Considera II. Quàm terribile sit hoc judicium futurum, tum propter *judicem* ipsum, qui est infallibilis propter sapientiam, inflexibilis propter justitiam, inevitabilis propter potentiam: tum propter *personas* præsentes, Angelos scilicet Sanctos assidentes, dæmones accusantes, homines alios videntes & audientes singula, quæ agentur: tum propter *districtum rigorem judicij*, utpote in quo *cuncta, quæ fiunt, Deus adducet in judicium.* Eccles. 12. & etiam *de verbo otioso, quod locuti fuerint, homines rationem reddent.* Matth. 12. tum propter *sententiam* ferendam, quæ erit in omnem æternitatem irrevocabilis.

Considera III. An non meritò dixerit Propheta Joël. c. 2. *Magnus dies Domini, & terribilis valde; & quis sustinebit eum?* an non & tu meritò cum S. Anselmo exclamare debeas: *O angustia! hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia; subtus patens horridum chaos Inferni, desuper iratus Iudex, intus urens conscientia. Et si justus vix salvabitur, peccator sic depressus in quam partem se premet infelix? ubi latebo? ubi apparebo? latere erit impossibile, apparere intollerabile. Quid dormitas, ô anime tepide, & digna evomi? qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est.* Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Si juxta Servatoris sententiam *Omni, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plùs petent ab eo.* Luc. 12. Quam severa ratio exigenda sit à Sacerdote, cui Deus non propriam tantùm animam, sed alias etiam regendas & salvandas commisit? nam, ut S. Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. Act. apost. loquitur, *unius animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit existimare. Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantáque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quantò magis ille, qui animas perdiderit?* unde meritò Hieronymus l. 13. in cap. 43. Ezech. dixit: *Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccent. Lata-*

temur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tan
gaudij excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimibus co
ruisse. Neque enim solùm pro nostris delictis, reddimu
rationem, sed pro omnibus, quorum abutimur donis, & ac
quaquam sumus de eorum salute solliciti.

Considera II. Quàm justum hæc consideratio timorem tibi injicere debeat, ne & tu in tam severa exactione Rationis succumbas, & tot animarum reus condemneris, si audieris vocem illam: *Redde rationem villicationis tuæ* Luc. an non cum Job. c. 31. dicturus sis: *Quid faciam, cùm ja rexerit ad judicandum Dominus, & cùm interrogaverit quid respondebo illi?*

Considera III. Quàm meritò proin efficere debeas, illa vox: *Surgite mortui venite ad judicium*: auribus perinde, ac olim S. Hieronymo constanter insonet, sicq per eam ad vocationem tuam dignè implendam excit Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Cum quanta Fiducia & desiderio compa turus sit tum in particulari, tum in universali judicio S cerdos, qui dignè vocatione sua ambulavit, atque unice majorem Dei Gloriam, suámque ac proximi salutem pro randam incubuit. Au non cum magno suo honore & glo tio accedet ad Christum Judicem, dicétque: *Domine, ta talẽta tradidisti mihi* (scil. naturales & supernaturales v ac gratias) *ecce alia duo* (nempe meam & proximi sal tem) *superlucratus sum*: vicissímque audiet: *Euge ser bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super mul te constituam, intra in gaudium Domini tui*, Matt. 25. non cum inexplicabili lætitia audiet eundem Judicem centem: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum bis regnum à constitutione Mundi; esurivi enim, & dis stis mihi manducare &c.* & quidem hæc omnia non cas raliter tantùm, sed multò præstantiùs, spiritualiter acc per tot annos præstitistis? Si ille Sacerdos, qui pauper confessiones præ alijs libenter audivit, ab ijsdem postea cœlo descendentibus ad idem cœlum cum gaudio deduc est (ut in spec. exempl. V. Confessio ex. 18. videre est) qu

magis ab animabus curæ suæ commissis ad Judicium de-
ceatur ille Sacerdos, qui non confessiones duntaxat earum
ùnter excepit, sed alia etiam quàmplurima charitatis o-
ra ijsdem exhibuit?

Considera II. Quàm meritò hæc consideratio sola suffi-
re posset, ut omni cum alacritate industriâque officio tuo
isfacere studeas.

Considera III. Quomodo nunc ad hoc Judicium præpa-
mesfores? & quomodo deinceps præparare te velis. Col-
quium.

Vide etiam Masenium fol. 405. aut lucem veritatis P. San-
tine. fol. 97.

Conclusiones.

I. Ergo *præsentis temporis sic age lætitiam, ut nunquam*
amaritudo sequentis Judicij recedat à memoria. S. Gregor.

II. Ergo S. Augustini sequere consilium & *in Tribunal*
mentis ascende contra te, & reum te constitue ante te. Noli
te ponere post te, ne Deus te ponat ante se. Si enim nosmet-
ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, ait D. Paulus
1 Cor. 11.

III. Ergo *præoccupemus faciem Judicis in Confessione, ut*
ne tentationi parentes manum non possumus effugere Judi-
cis per confessionem mundati clementiam experiamur mi-
sericordis. S. Gregor.

Legatur etiam ex lib. de imit. l. 1. c. 24.

Consideratio pro III. Die.

De Actionibus ad Deum pertinentibus.

Punctum I.

Quidquid erga Deum immediatè præstandum est (de hoc
solo enim reflexio fiet in hac consideratione) ad quinque
virtutes revocari potest, nempe ad fidem, spem, charitatem,
Religionem, gratitudinem. Itaque ut cognoscas, num tuæ
erga Deum obligationi hactenus satisfeceris.

Examina I. An, quod fidei officium est, universa, quæ
Deus revelavit per se vel Ecclesiam, corde seu cogitatione,

verbo, & opere confessus fis, ideóque vitam supernaturalibus veritatibus correspondentem duxeris?

II. An per spem supernaturalem speraveris te beatitudinem æternam consecuturum, atque ad hunc finem Deum propter merita Christi te posse, scire, & velle juvare, ac omnia tam naturalia, quàm supernaturalia media largiturum.

III. An per charitatem Deum tam *affectivè* (id est, gaudendo summè de ipsius existentia, & optando ardentissimè ut ab omnibus rebus conditis magis ac magis quotidie cognoscatur, & ametur, in qua cognitione & amore ejus major gloria consistit) quàm *effectivè* amaveris id est, omnes tuas cogitationes, verba, & opera ad purum ejus beneplacitum direxeris, cogitando, loquendo, & agendo ac patiendo quæ, quomodo, & quia ei magis placent.

IV. An per Religionem debitum ei cultum exhibueris, ideóque exercitia tua spiritualia, puta meditationem, orationem vocalem, Sacrificium Missæ, Sacramentorum susceptionem & administrationem, lectionem spiritualem, examina & recollectionem cum debita reverentia & devotione constantiáque peregeris?

V. An debitas pro acceptis beneficijs gratias per gratitudinis virtutem suo tempore diligenter egeris?

Punctum II.

Ut autem hunc cultum deinceps Deo tantò promptiùs curatiúsque exhibeas, plurimùm juvabit, si debitam de ipsius potentiâ, sapientiâ, & bonitate æstimationem concipere deas; si enim Aulici hujus sæculi tam promptè & exactè perata obsequia præstant Dominis suis terrenis, qui cum illis quoad naturam conditionis sunt, quoad virtutem & gratiam verò sæpe deteriores existunt; & præterea exiguam, incertam, & perituram mercedem offerunt; tò promptiùs, exactiúsque obsequium præstabitur Deo firmiter credatur, eum dignitate, sapientiâ, & liberalitate omnibus hominibus infinities præstare? Si illi tam felices se reputant, si frequens ijs cum Rege aut Principe suo agendi & colloquendi facultas & occasio offeratur, séque ejus charos & gratiosos esse advertant; quàm beatum se putabit qui Deo multùm dilectum & acceptum se esse sperare po-

& quoties libuerit, cum eo colloquendi & conversandi occasionem & licentiam est nactus?

I. Ergo accuratè perpende, quantæ *dignitatis & potentiæ* hîc Dominus, scilicet *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 19. *Qui est terribilis, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius*, teste Siracide c. 43. *qui cubitis digitis appendit molem terræ* juxta Isaiam c. 40. de quo recte idem Ecclesiasticus c. 43. dixit: *Glorificantes Deum; quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes Dominum exaltate illum, quantùm potestis, major est enim omni laude.*

II. Pariter *sapientiam* illius considera, qua solus se ipsum comprehendit, & ideo *omnia in se videt & contemplatur: quam effudit super omia opera sua.* Eccl. 1. *quâ omnia in numero, pondere, & mensura disposuit.* sap. 11. *quâ numerum stellarum numerat.* ps. 146. quam admirans D. Paulus recte Rom. 11. exclamavit: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

III. *Bonitatem* quoque illius studiosè meditare, tum eam, quàm habet in ordine ad se, & cum *sanctitate* conjunctam ratione cujus meritò dicitur, *nemo bonus nisi solus Deus.* Luc. 18. &, *non est sanctus, ut est Dominus.* 1. Reg. 2. tum eam, quam habet ad alios, & cum liberalitate conjunctam, *quâ mensuram bonam, convertam, & coagitatam, & supereffluentem dabit in sinum nostrum.* Luc. 6. quâ præmium pro servitio sibi præstito offert infinitum in substantia & duratione. *Quâ coronat nos in misericordia & miserationibus.* Psal. 102. *quâ dat omnibus affluenter, & non improperat.* Jac. 1. *quâ postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. *quâ, antequam clamemus, exaudit.* Isa. 65. *quâ manum suam aperit, & omne animal implet benedictione,* Ps. 103.

Punctum III.

Præter hæc motiva, quæ voluntatem excitant ad descriptum Dei cultum, sequentia etiam media non parùm in actuali servitio præstando juvabunt.

I. Si Deum ubique spectantem & præsentem tibi imagi-

neris, & cum S. Apostolo *invisibilem tanquam videns sus-neas*, hebr. 11. hoc enim ipse Deus Abrahamo Gen. 17. com-mendavit dicens; *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Certè si magna pars peccatorum ni-litur, teste Seneca Ep. 11. si peccaturis testis assistat, facilè nè omnia peccata excludet viva Dei præsentis memoria.

II. Si studeas actiones ex puro Dei placendi desiderio amore peragere; sic enim dices cum S. David 1. par. c. *Totis viribus præparavi impensas domus Domini* (aut vel illam actionem peregi) *non enim homini præpara-* sed Deo offertur hæc actio. Sicque præ illius amore videbi-tur tibi dies & labores tui pauci ac faciles.

III. Si integros famulorum Aulicorum greges tibi ob-culos fistas, & quanto cum fervore ob vilem mercedem terrenis dominis serviant, attendens, illa olim S. Augu-exprobrata verba dici tibi à Religionis virtute exibi-potuerunt isti & isti, & tu non poteris? vide proin, quan-do hæc media hactenus usurpaveris, & usurpare desi-velis.

Meditatio III.
pro tertia die.

DE PURGATORIO ET INFERNO

Scopus.

Odium Peccati, & Zelus Animarum ex gemina hu-pœnæ consideratione concepti.

Punctum I.

Considera I. Quàm gravis sit purgatorij pœna secun-S. Thomæ aliorúmque sententiam, tanta nempe, ut su-omnem pœnam, quam homo unquam passus est, aut potest, minimáque in illo loco pœna maximas pœnas vitæ longè excedat.

Considera II. Quàm longè gravior sit ipsius Inferni pœ-na futura; si enim in viridi signo hæc faciunt; in arido quid fiet? si Deus amicorum culpas tam graviter castigat, qu-tis pœnis inimicorum offensas puniet? Hinc meritò Ho-num breviter quispiam descripsit hoc modo; Est locus

quo est *Omnis mali præsentia*, quâ pœna sensûs indicatur: *omnis boni absentia*, quâ pœna damni innuitur: & *omnis mali indesinentia*: quâ duratio, & tremenda æternitas exprimitur.

Considera III. Si juxta Salomonem sap. 6. *Potentes potenter tormenta patientur: & fortioribus fortior instat cruciatus*: quàm inexplicabiles pœnas meritò timere debeat Sacerdos, qui summam hâc in vitâ dignitatem potestatémque accepit, si hanc non secundùm voluntatem Dei exercuerit, sed ad propriam libidinem explendam fuerit abusus. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum in ordine ad se ex hac consideratione pœnarum capere debeat Sacerdos, geminum videlicet. Primus est, ut peccatorum tam venialium, quàm mortalium gravitatem hinc æstimet, ideóque illa summâ cum diligentiâ constantiâque devitare studeat; quis enim non omni studio caveret quodcunque peccatum, si sciret, se ex illius patratione morbum & graves dolores corporis contracturum, quantò magis nunc ergo illa vitaret, si quantas pœnas ijsdem decernat Deus, accuratiùs ponderârit? Secundus est, ut malit hâc in vitâ pro admissis peccatis castigari, quàm in alteram punienda differre; quis enim non obolo libenter solveret, quod alioqui talentis integris solvere deberet? atqui vix obolo comparari possunt omnes pœnæ & tribulationes hujus vitæ, si cum minima pœna vitæ alterius conferantur; cur ergo non æquissimo animo particulam duntaxat similium tribulationum perferas, maximè si perpendas, pro his ipsis etiam cum patientia supportatis præmium, quod in cor hominis non ascendit, tibi offerri ac promitti?

Considera II. Quàm pretiosi sint hi fructus, digníque, ut propter eos frequenter vivus in infernum ac purgatorium descendas, ne post mortem eò descendere cogaris.

Considera III. An & quoties hactenus hæc tormenta meditatus sis, & meditari deinceps velis? an non & tu cum S. Francisco Borgia hunc Prodromum præmissurus sis ad omnia loca, in quibus Adversitas quæpiam te expectat, ut omnem suâ præsentiâ modestiam tollat? Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quantopere hæc consideratio conducat non ad propriæ duntaxat salutis curam excitandam, sed alienæ etiam promovendæ zelum accendendum; si enim, dum frater tuus aut propinquus ob delictum aliquod grave captivus detineretur, damnationisque sententiam ad mortem usque delissimam jam accepisset, nullum non lapidem moveres, nec ullis precibus, impensis, ac laboribus, difficultatibusque parceres, ut eum ex hoc periculo liberares; quantò magis si perpenderes quemvis peccatorem esse jam dæmonis captivum, ac, nisi resipiscat, æternæ damnationi obnoxium, omnem diligentiam adhibiturus esses, ad eundem ex tanto periculo eruendum, maximè cùm Christus tale beneficium promiserit perinde se accepturum, ac si ipsum ex inferno aut purgatorio liberâsses, atque adeò passurus non sit, ut is qui toties eum in peccatoribus ab his flammis liberâsti, ut præservâsti in easdem ipse incidas, aut certè non diu libidem te relicturus sit.

Considera II. Quàm familiaris tibi vel hoc etiam tristis esse debeat purgantium aut infernalium flammarum consideratio, ut in meditatione tanta exardescat ignis & zelus animarum, cùivis Sacerdoti curam aliorum gerenti tam opere necessarius.

Considera III. An & quomodo hactenus hoc medio usus sis, aut certè deinceps uti velis ad zelum tuum excitandum & augendum. An non & tibi acerba illa S. Augustini querela conveniat: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare festinant: clamat porcus, & cum eo reliqui clamare non cessant. Clamat inter tormenta Fidelis* (aut captivus peccator) *& non est, qui adjuvet. Ecce vestra inhumanitas!* cave ergò ne aliquando cum Fratribus Josephi Gen. 42. & tu dicenda garis? *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* Colloquium.

Vide etiam Masenium fol. 169. aut Theophilum West fol. 333.

Co-

Conclusiones.

I. Ergo descende in Infernum vivens, ut S. David Ps. 54. hortatur, ne, post mortem eò descendere cogaris; non enim licet in gehennam incidere Gehennæ recordatio, S. Chrysostomo teste.

II. Ergo noli timere eos, qui occidunt Corpus, Animam autem non possunt occidere; sed potiùs time eum, qui potest & Animam & Corpus perdere in Gehennam. Matt. 10.

III. Ergo ut æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro DEO æquanimiter tolerare. Thom. Kemp. l. 3. c. 12. Certè si futuras Inferni pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libenter laborem & dolorem sustineres, & nihil rigoris formidares. lib. 1. c. 21.

Legatur etiam ex lib. 3. cap. 12.

QUARTA DIES.

HAc die Secunda inchoabitur Hebdomada, quæ ad illuminativam viam pertinet sic dictam, quia circa Vitam Christi, qui est Lux vera illuminans omnes Homines venientes in hunc Mundum, considerandam potissimùm occupatur, unde Scopus illius generalis est Imitatio Christi, specialis verò, ut Ipsum in *Abstinendo* (quod Temperantia cum suis Virtutibus docet) *Patiendo* (ad quod Fortitudo cum Virtutibus connexis juvat) & *Agendo* (prout *Prudentia* & *Justitia* cum subjectis Virtutibus dictant) imitemur; hos enim tres Gradus Christus Matt. 16. indicavit, dum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Quia tamen Christus ultimo potissimùm Vitæ suæ tempore manifestiùs Virtutes in *Patiendo* consistentes exercuit, ideo has specialiter quoque examinandas S. Ignatius in his Exercitijs assumpsit, & specialem illis Hebdomadam assignavit; reliquis verò Virtutibus in *Agendo & Abstinendo* positis secundam hanc Hebdomadam attribuit, uti mox in progressu patebit.

Tessera.

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Joan. 8.

MEDITATIO I.

DE DVOBVS VEXILLIS, CHRISTI ET LVCIFERI.

Scopus.

Propositum serium, Christi vexillum sequendi.

Punctum I.

Considera I. Quàm rectè S. Job cap. 7. dixerit, *Militia* esse vitam Hominis super terram: cùm enim Diabolus sci quantopere DEVS dilexerit Homines, ut scilicet Unigenit suum in terras mitteret, qui eos è Potestate Dæmonis erip Cœlo adscriberet ad Sedes Lapsorum Angelorum occupa das, hinc gemino erga DEVM & Homines odio invidiâ accensus, nihil aliud magis satagit ac molitur, quàm ut ill machinationibus suis dolisque vincat, atque in extrem perniciem perducat. Quia verò Hominem multis ad be vivendum præsidiis à DEO vallatum advertit, ideo cont contra eum Exercitum educit, quo eum oppugnet, & exp gnet, si possit. Cui tamen Christus se cum alio Exercitu p ponit, & propterea Hominem, ut tantò feliciùs pugnet, & curiùsque vincat, ad suum vexillum invitat.

Considera II. Quanta diversitas sit horum Ducum; a Christus quidem est *Nobilissimus* (quia DEI Filius) *Fort simus* (quia DEVS omnipotens) *Felicissimus* (quia vi quem nemo vincere poterat) *Amantissimus* suorum Mi tum, utpote quos proprio sanguine vitâque redemit; & n dem *Liberalissimus*, utpote qui æternum Militibus suis p mium promittit, si fortiter dimicent, & feliciter vinca Omnia verò contraria in Lucifero reperiuntur, utpote s simulato animo tibi falsas & apparentes voluptates & feli tatem promittit, ut æternùm te perdat, & crucier crudeli mis tormentis.

Considera III. An non summam stultitiam admissurus si post cognitas etiam Fraudes & odium illius adhuc ca adhærere eidem, & sub vexillo ipsius potiùs, quàm Chr militare statuas. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quibus potissimùm armis utatur Hostis ad Christi Exercitum oppugnandum, nimirùm non alijs, quàm Gladio triplicis Concupiscentiæ, de qua S. Joannes 1. c. 2. dixit, *quoniam omne, quod est in Mundo, Concupiscentia carnis est, & Concupiscentia oculorum, & Superbia vitæ. Unde enim bella & lites in vobis?* inquit rectè S. Jacobus c. 4. *nonne hinc? ex Concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

Considera II. Quibus è contrario Armis Christus tum ipse usus sit, tum Milites suos uti velit ad Hostium Arma infringenda; nimirum *Contemptu Honorum, Voluptatum, & Divitiarum propter DEVM*; hinc Gladio huic inscripta sunt hæc verba: *Quis ut DEVS?* quibus facilè cum S. Michaële Arma Hostium confringunt, & Concupiscentiam omnem inordinatam ex Animo proscribunt.

Considera III. Quàm insignis iste sit Gladius, de quo tibi meritò imaginari potest dici à Christo, quod olim Jeremias 2. Mach. 15. de Gladio à se porrecto dixit: *Accipe sanctum Gladium munus à DEO, in quo deijcies Adversarios Populi mei Israël.* Respondeproinde illi cum Davide 1. Reg. 21. *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quantos Animos ad certandum fortiter contra Hostem addere plerumque soleat, si quispiam advertit, tantam de fortitudine sua opinionem à Duce suo concepiam esse, ut ipsum non dubitârit, alijs Militibus præficere, & Capitanei vel alterius Officialis bellici titulo honoréque insignire; cùm ut sic majoris Gloriæ, majorúmque præmiorum ac spoliorum obtinendorum occasionem habeat.

Considera II. Quantopere tu quoque excitari debeas ad insignes de Hostibus tuis Victorias reportandas, si rarum Ducis tui erga te Favorem & Fiduciam, quam in Vocatione ad Statum Sacerdotalem ostendit, animo perpendere, multorúmque tui similium Sacerdotum nobiles de Hoste Triumphos oculis obijcere velis. An non enim exclamabis cum Josepho & Azaria 1. Mach. 5. & meliori, quàm ipsi sensu dicos:

ces: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus Gentes, quæ in circuitu nostro sunt.*

Considera III. Quàm fidelis hactenus Duci tuo fueris, vel nunc denuo veniam præteritæ socordiæ, & perfidiæ dimissè pete, ac novam Fidelitatem sincero animo, promitte. Colloquium.

Vide etiam Masenium fol. 241. & Theophilum Wegner part. 2. fol. 52.

Conclusiones.

I. Ergo exclama cum pio Asceta l. 3. c. 56. *Eja, Frater, pergamus simul, IESVS erit nobiscum. Erit Adjutor noster, qui est Dux noster & Præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nec timeamus terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à Cruce.*

II. Ergo audi S. Chrysostomum monentem, & exercitares, *fortiter dimica, atrociter in hoc prælio concerta. Considera pactum, attende conditionem, militiam nosce. Pactum quod spopondisti: Conditionem, quâ accessisti; militiam, cui nomen dedisti.*

III. Ergo sustine cum Christo & pro Christo, si vis regnare cum Christo. lib. 2. c. 1.

Legatur etiam lib. 1. cap. 1.

Meditatio II.

Pro quarta Die.

DE INCARNATIONE, NATIVITATE, ET CIRCVMCISIONE CHRISTI.

Scopus.

Æstimatio Sacerdotalis Dignitatis, & ejusdem dignis moribus conservandæ studium.

Punctum I.

Considera I. Quantum Beneficium B. Virgo Mundo contulerit, dum assensu suo per quinque illa verba: *Fiat mihi secundùm verbum tuum:* præstito, effecit, ut Filius DEI humanam carnem admirando miraculo assumeret, sicque ex

opera

gratissimam tot Seculis salutem humano Generi afferret. Quantam quoque Ipsa per hunc assensum Dignitatem obtineret, ut scilicet Mater DEI diceretur, & esset, quo Honore majorem nec ab ipso DEO offerri posse, S. Thomas & alij docent.

Considera II. Quantò majus Beneficium censendum sit contigisse Sacerdoti, qui quinque illis verbis: *Hoc est enim Corpus meum*: non tantùm moraliter, ut B. Virgo, sed verè & effectivè Christum, non jam passibilem, sed gloriosum, cum tot miraculis, non semel, sed quotidie, si placet, sub speciebus Eucharisticis ponere, & sic iterum quodammodo incarnare potest, tantámque ex hac Potestate Dignitatem est consecutus, ut SS. Patres ex hoc Capite ipsi quoque B. Virgini cum præferre non dubitent, solóque Creatore suo inferiorem dicant.

Considera III. Quàm grato animo agnoscere debeas summum hunc Favorem ac Beneficium, daréque operam, ut, sicut B. Virgo illum per voluntatis suæ cum divina conformationem obtinuit, & conservavit; ita tu quoque sicut eundem per Assumptionem Sacerdotalis Statûs consecutus es, ita per voluntatis quoque divinæ (quæ juxta S. Paulum 1. Thess. 4. *est Sanctificatio nostra*) perfectam adimpleationem conservare studeas. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quàm felicem, & meritò quidem, B. Virginem putemus, dum ei concessum est, DEI Filium parere, amplecti, osculari, & pro libitu tractare. Si enim S. Franciscus & alij Sancti in hac etiamnum vita degentes, dum B. Virgo Filium suum ulnis eorum excipiendum obtulit, præ gaudio & voluptate propemodum se liquefactos fuisse, confessi sunt; quantis gaudijs & voluptatibus repletam fuisse credibile est B. Virginem, quæ per tot annos tam amabili Filij sui præsentia & aspectu frui potuit.

Considera II. Quàm beatum tu quoque æstimare te debeas, cui quotidie hic ipse DEI Filius, licet speciebus Eucharisticis involutus, in manus datur, eúmque pro libitu tractare conceditur per Sacerdotalem potestatem. Neque hoc tantùm, sed alio quoque modo spirituali, Deóque longè gratissimo,

simo, & tibi utilissimo ac honorificentissimo Eum in a[l]
Hominibus, scilicet Peccatoribus, cum S. Paulo Gal. 4. pa[r]
turiendi, donec formetur Christus in illis, occasio copio[sa]
offertur; an non hoc gaudium tantò majus erit, quantò pl[u]
res ejusmodi Christos pepereris, quantóque gratiorem hun[c]
partum ipsi Christo sciveris esse?

Considera III. An felicitatem hanc tuam hactenus, u[t]
portet, æstimâris? & quomodo deinceps illam tum per qu[o]
tidianam ac devotam Missæ Celebrationem; tum per ard[en]
tissimum zelum quàm plurimos Peccatores convertendi co[n]
servare & augere velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quantus Honor & Dignitas ipsi etiam Chri[-]
sto in Circumcisione sua obtigerit, dum Eidem nomen JE[-]
SV, seu Salvatoris, nomen super omne nomen, in quo g[e]
nua flectunt Cælestes, Terrestres, & Inferi, DEO jubente, An[-]
gelo indicante, S. Josepho exequente impositum est.

Considera II. Cùm idem tibi quoque per Sacerdotalem
dignitatem, & Pastoralem curam, Officium Salvatoris i[n]
commissum, summáque inde Dignitas obtigerit (nam, u[t]
alibi dictum est, *omnium divinorum divinissimum est coo[pe]
rari DEO in Salutem Animarum*) an non tu quoque sum[-]
mè à DEO te honoratum æstimare, ac proin studere debe[as]
ut, quemadmodum S. Ambrosius monet, *quid sis profiteri[s]
Actione potiùs, quàm Nomine demonstres, ut & Actio co[r]
respondeat Nomini, & Nomen cum Operibus coincidat.*

Considera III. An & quomodo hactenus hoc Nomen
Officium sustinere conatus sis, & sustinere deinceps vel[is]
præcipuè verò per Circumcisionem spiritualem omnis ca[r]
nalis Concupiscentiæ, & perfectam Legum etiam illarum
ad quas sub peccato non obligaris, Observantiam, quib[us]
duobus capitibus Christus hoc Nomen consequi debe[at]
Colloquium.

Vide etiam Masenium. fol. 206. & 215. aut Theophilum
Weyeri Hebd. 2. fol. 33. 39. & 47.

Conclusiones.

1. Ergo audi S. Gregorium Nyssenum monentem: *Qu[i]
prae-*

derit, Fratres mei, si Fidem (& Sacerdotij Dignitatem) *quis dicat se habere, opera autem non habeat? Christiani-smus est Imitatio divinæ Naturæ. Si igitur Christianus es* (& multò magis si Sacerdos obligatus ad alios verbo & exemplo instruendos) *Christum DEVM imitare: noli vacuum tenere Nomen & inane, sed plenam tanti mensuram Nominis: simple, inquam, Operibus Nomine digni.*

II. Ergo, quemadmodum idem Sanctus hortatur, *simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos factus est: Christianus Dij propter Ipsum, quoniam Ipse quoque propter nos Homo factus est.*

III. Ergo *Agnosce Dignitatem tuam*, O Sacerdos, *& divinæ consors factus Naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus Capitis, & cujus Corporis sis membrum.* S. Leo ser. 1. de Nativ.

Legatur etiam l. 2. c. 1. ex lib. de Imit.

Consideratio pro IV. die.

De actionibus ad B. Virginis, et Sanctorum cultum pertinentibus.

Punctum I.

Ad hunc Cultum præstandum duo præcipuè spectant, legitima scilicet *Electio* Sanctorum in Patronos, & legitima *Veneratio.*

Priorem ut rectè facias, more Ecclesiæ omnes quidem Sanctos in Patronos eliges, sed ita, ut in varias classes eosdem pro diversa tua erga illos obligatione aut affectu dividas. Et in prima quidem Classe solam B. Virginem collocabis, utpote quam solam Ecclesia Cultu Hyperduliæ speciali honorari præcipit. In secunda S. Angelum tuum Custodem, aut alios tuos Tutelares Angelos; Sanctum, cujus nomen geris: Fundatorem tui Ordinis aut Status; SS. Petrum & Paulum velut communes totius Ecclesiæ Patronos & Principes. Vel si placet, etiam S. Josephum Christi Nutritium constitues. In tertia alios Patronos, quibus ob specialem titulum vel affectum specialiter quoque te obligatum credis, ponas. In quarta Cælites Menstruos, aut quovis die occurrentes: In quinta tandem & ultima omnes alios Cælites collocabis.

Ad

Ad Posteriorem verò hujus Cultûs speciem vel partem, a
legitimam scilicet venerationem spectat, ut tenerum eg
illos amorem & affectum semper geras, gratulando ipsis
corde suam gloriam, optandóque, ut ea majus quotiéie
crementum acquirat, atque ad hoc tuam etiam operam po
licendo, & exhibendo: deinde ut summâ cum fiducia in
mnibus tuis necessitatibus & adversitatibus eorum opem
auxilium, ac intercessionem exposcas: Et tandem ut omn
tua opera post DEI honorem ad cultum etiam horum Sa
ctorum eo Ordine, quo in Classibus diversis sunt collocat
dirigas, & hoc ipso etiam ex motivo, singulari cum diligen
tia & alacritate perficere studeas, qui sanè cultus meritò ip
gratissimus censeri potest, utpote *purissimus* (id est, om
peccati nævo, saltem voluntario carens) *amplissimus* (qu
universas vitæ actiones complectitur) & *constantissim*
(quia nunquam interrumpitur) ut meritò quispiam cen
rit: *Sanctorum est cultus gratissimus, Optima Vita.*

Punctum II.

Porro ad hunc cultum magno cum fervore exhibend
tria te motiva meritò non modicè impellere possunt.

Primum *ex parte DEI* offertur, quem cùm tu plùs utiq
quàm teipsum diligas, haud dubiè etiam obsequia Ipsi ex
bita pluris facies, quàm si tibi præstita fuissent; cùm ergo
certum sit, Sanctos omnes die noctúque indesinenter in D
amando, laudando, & honorando occupari, rectè infertur
hæc obsequia pro majoribus à te beneficijs & honoribus
putari debere, quàm si tibi immediatè fuissent exhibita; a
qui si tuam Personam tali honore & laude prosequerentu
æquissimum judicares, ut tantos tuos Amicos, tui tam amato
tes omni possibili cultu & honore vicissim prosequerentu
multò magis ergo nunc, quando hæc omnia DEO præstan
ad mutuum illorum cultum & amorem incitare debent.

Alterum motivum ex parte ipsorum Sanctorum offertur
cùm enim hi sint excellenti *Sanctitate*, *Sapientiâ*, & *Digni*
tate prædíti, utpote Charissimi DEI Amici, & ob hos titulos
etiam in hac vita nos tam vehementer impelli nos sentiamu
ad singularem cultum illis exhibendum; qui rarâ Sanctita
te, Sapientiâ, aut Dignitate sunt prædíti, facilè appare
quan

tantum cultum & venerationem illis debeamus, qui omnes homines hujusmodi in prædictis donis longissimo intervallo superant.

Tertium motivum ex parte nostra offertur, ingens scilicet fructus & consolatio, qui ex hac nostra cum illis familiaritate nobis oritur; si enim in hac vita tam jucundum nobis & consolatorium est, *Spectatores* multos actionum nostrarum Potentes & primarios habere: in petitionibus nostris diceros, & eloquentes *Advocatos*: aut in periculis & adversitatibus *Protectores* robustos & intrepidos scire, ad quos sine ullius repulsæ timore confugiamus, quantam consolationem otiri necesse erit in nostro pectore, si omnes Cæli Incolas pro Spectatoribus, Advocatis, & Protectoribus nos habere sciamus, plenámque nobis facultatem fieri, arctissimam cum his omnibus Familiaritatem & Amicitiam contrahendi? Sanè Saxeus aut ferreus sit oportet, quem hæc motiva ad veterationem Sanctorum non movent.

Punctum III.

Ex his, quæ de Sanctis Cælitibus in genere dicta sunt, facilè colliges, quantò potiori studio hæc omnia & plura alia erga ipsam S. Cæli Reginam observanda sint, cùm enim hæc juxta probabilem Theologorum sententiam omnes Sanctos etiam collectivè acceptos in Dignitate, Sanctitate, & Authoritate apud DEVM longissimè superet, ita ut meritò de ea S. Anselmus dixerit: *Omne quod est, aut supra te, aut infra te est. Supra te solus DEVS est: infra te omne, quod DEVS non est*; ideóque illud Prov. 31. à SS. PP. eidem applicatur: *Multæ filiæ congregaverunt Divitias, tu supergressa es universas*: meritò majorem quoque, quàm omnes illi Amorem, Fiduciam, & Venerationem meretur, quod ut præstes, sequentia consulo. 1. In Matrem elige, & filialem erga eam affectum semper fovere stude. 2. Festa ipsius ab Ecclesia celebrari solita præcipuo studio observa, & obsequia nova quotidianis adde. 3. Rosarium & Litanias Lauretanas quotidie, si potes, recita. 4. Etiam singulis horis eam cum Angelo Salutare, cùm potueris, non omitte. 5. Puritatem Corporis & Animi, ipsius Amore, præcipuo studio procura, & contra tentationes & pericula hanc infestantia, Matris

hujus tuæ præsidio potissimùm te defende. 6. Honorem illius, ubicunque potes, etiam apud alios promove, maxime per Congregationum Introductionem & sedulam administrationem. 7. Quidquid ad hujus honorem agis, constanter & ferventer exequere; magis enim placent ei pauca obsequia constanter & bene, quàm multa tepidè & inconstanter exhibita. Atque hæc suo modo etiam aliorum Sanctorum Cultui applicare poteris.

MEDITATIO III.

pro quarta die.

DE RELIQVA CHRISTI VITA OCCVLTA.

Scopus.

Præcipuarum Virtutum ad Sacerdotem spectantium studium.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus in Templo offerri voluerit, & in eo postea per triduum amissus inveniri? nimirum ut in templo suo doceret, cui Virtuti à Juventute assuescere, quæque per reliquam etiam ætatem præ reliquis exercere debemus, *Devotionem* videlicet, & plenam suiipsius ad obsequium divinum *Oblationem*.

Considera II. Cur Christus hanc Orationis ac Devotionis Virtutem tantopere commendârit? quia videlicet teste S. Augustino, *Oratio est Animæ sancta præsidium, Angelo bono solatium, Diabolo supplicium, gratum DEO obsequium, Religionis laus tota, perfecta Gloria, Spes certa, Sanctæ incorruptæ.* Et ut idem alibi dixit, *rectè novit vivere, qui rectè novit orare.*

Considera III. Si omnibus Hominibus Christus tantopere commendatum esse voluit Orationis studium; quanto magis illud à Sacerdotibus exigendum sit, qui Mediatores inter DEVM & Homines constituti, atque, ut ipsum Clericorum Nomen præsefert, ad divina Officia principaliter deputati sunt. Sed & donis gratiisque supernaturalibus pluribus

gra-

gat, atque adeò per crebram & devotam orationem ea petere & impetrare debent. Vide ergo, quomodo hactenus hoc orationis studium amaveris, & amare deinceps velis; atque quantò magis eandem æstimare discas, notatu dignissimam S. Chrysostomi sententiam bene perpende: *Cùm videro*, inquit l. 1. de orando DEO, *quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervidâ vehementiq; curâ teneri, continuò mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in Animo possidere. Et quisquis non orat DEVM, nec divino Colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, vitáque carens, & expers rationis amentiæ; nam hoc ipsum evidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium.* Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Cur Christus in Ægyptum fugere, ibíque tot annos, inter barbaros Homines, cum tot incommodis habitare voluerit, ut scilicet doceret Exemplo suo, quòd non sufficiat dedicare se DEO per solam voluntatem, atque Eidem suaviter per Orationem convivere velle, sed efficacia hujus Oblationis ipso etiam opere confirmanda sit, atque adeò æquè contentus esse quis debeat, sive duros, sive benignos habeat Superiores, in grato vel ingrato loco, Amicis aut Inimicis, cum vel absque magnis commodis habitare jubeatur; hoc enim plenam sui oblationem veraciter factam esse arguit.

Considera II. Quàm æquum sit, ac necessarium, ut omnes quidem Homines, præcipuè tamen Sacerdotes, ejusmodi Indifferentiam habere studeant; si enim generosi Milites præter aut Gloriæ intenti, aut Mercatores lucro pecuniæ inhiantes, nullum inter ejusmodi Loca, Personas, Commoda discrimen faciunt, sed eò Læti & Alacres properant, quò Voluntas Ducis, & Gloriæ, prædæque aut lucri majoris spes vocat; quidni & Sacerdos, utpote verus Miles Christi, & Gloriæ divinæ augmento, & lucro Animarum intentus, ibi potissimùm & cum illis vivere, ageréque desideret, ubi & apud quos majoris DEI Gloriæ, lucríque Animarum spes affulget?

Considera III. An tu hactenus ejusmodi Indifferentiam habueris, aut habere deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Cur Christus ab anno duodecimo usque ad trigesimum nihil aliud de se scribi voluerit, nisi quòd subditus fuerit suis Parentibus, & per hoc ætate, Sapientiâ, Gratiâ coram DEO & Hominibus creverit; nimirum ut nobis rum doceret Exemplo suo, quòd si Homines perfectam Oblationem plenius demonstrare, ac confirmare cupiunt DEO non tantùm in propria Persona; sed etiam per Homines velut Vicarios aut Ministros suos aliquid præcipienti parere debeant; quantóque id, DEI quidem, cujus Personam in Homine aspiciunt, & venerantur, beneplacito; suo verò, in Sapientia cælesti, seu quod idem est, perfectione spiritus ac Gratiâ, & quæ inde nascitur, Gloria non modicè crescent emolumento ac lucro sint facturi.

Considera II. Quàm libenter & promptè omnes quotquot Homines propter hoc Exemplum subijcere debeant se suis Superioribus, sed præcipuè Sacerdotes, ut qui non hoc tantùm, sed aliud quoddam magis admirandum ejusdem Salvatoris sui Exemplum propositum habent, dum scilicet ipse ad pauca cujuscunque Sacerdotis etiam pessimi ac flagitiosissimi verba de cælo glorioſus descendit, & sub speciebus Panis & Vini vilissimis se collocat, tractandúmque pro Arbitrio relinquit.

Considera III. An & quomodo tu hactenus similem obedientiam præstiteris, ac præstare deinceps velis.

Vide etiam Masenium fol. 226. & fol. 498.

Conclusiones.

I. Ergo *sis devotus, & manebit tecum IESVS.* Thom. Kemp. l. 2. c. 8. Nam *devotus Homo ubique fert secum Consolatorem IESVM, & dicit ei: Adesto mihi, Domine IESV in omni loco & tempore. Hac mihi sit consolatio, libenter carere velle omni solatio humano. Et si mihi tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas pro summo solatio.* l. 3. c.

II. Ergo *non magni te reputes, aut specialiter diligi æstimes, si in magna fueris devotione atque dulcedine, quia in illis non cognoscitur verus Amator Virtutis: nec in illis consistit profectus ac perfectio Hominis, sed in offerenda se*

tuo corde tuo Voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate. lib. 3. c. 25.

III. Ergo *quando DEVS Omnipotens & Altissimus, qui omnia creavit ex nihilo, se Homini propter te subjecit, disce temperare pulvis: disce Voluntates tuas frangere, & ad omnem subjectionem te dare.* l. 3. c. 13.

Legatur etiam l. 1. cap. 9.

QUINTA DIES.

Tessera:

Vivo autem, jam non ego: Vivit Verò in me Christus. Gal. 2.

MEDITATIO I.

DE CHRISTI BAPTISMO, IEIVNIO, ET TENTATIONIBVS.

Scopus.

Mediorum à Sacerdote adhibendorum constans & serius usus.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus eo tempore, quo cum Proximo agere, ejúsque salutem procurare decreverat, priùs baptizari à S. Joanne, & accipere Spiritum Sanctum, & audire vocem de cælo dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite:* voluerit, nimirum ut Exemplo suo primam dispositionem in Apostolo & Pastore Animarum requisitam doceret, quæ est, ut ejusmodi Apostolus aut Pastor priùs suas infirmitates & peccata agnosat, neque ob eas ex corde despiciat, nec meliorem alijs Hominibus judicet; deinde ab omnibus suis sordibus & peccatis per Baptismum Pœnitentiæ, & firmum propositum accuratissimè ejusmodi sordes deinceps vitandi (ne, dum alios purgare cupit, maculet potiùs) & omnem Justitiam implendi mundare studeat; & præterea non priùs istud officium curámque suscipiat, quàm legitimè à DEO vocatus, ac per Superiores

ſuos legitimè approbatus & expoſitus ſit, ſícque & ipſe ante re mereatur à DEO Patre: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Aut à Chriſto: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.*

Conſidera II. Quàm æquum ſit, ut ejuſmodi diſpoſitus Apoſtolus aut Paſtor Animarum habere ſtudeat; ſi enim ſte S. Paulo Hebr. 5. *nullus ſibi aſſumit honorem, ſed qui catur à DEO tanquam Aaron*; neque ullus etiam in Mundo facilè tam temerarius & impudens reperitur, qui tro ſe ad proximam dignitatem poſt Regem aut Princip non vocatus aut electus intrudere præſumat; quantò m decebit Sacerdotalem & Paſtoralem dignitatem, quæ S. Dionyſium divinorum Officiorum diviniſſimum eſt, legitima vocatione & præparatione aſſumere?

Conſidera III. An tu cum tali diſpoſitione acceſſeris hoc officium; & ſi quidem acceſſiſſe ſic diſpoſitũ te adver gaude, & confirma, quod egiſti; ſin minùs, corrige, & emen da, quod neglexiſti. Colloquium.

Punctum II.

Conſidera I. Cur Chriſtus poſt Baptiſmum in Eremum ceſſerit, ibique quadraginta dies in jejunio & oratione ſumpſerit, nimirum ut iterum exemplo ſuo doceret Sacerdo tes & Paſtores Animarum, quomodo ſe ad ſubſecutum Officio Paſtorali tentationes præparare deberent; ſi enim racides cuivis Servo DEI ſuaſit: *Fili, accedens ad ſervitutem DEI, ſta in Juſtitia, & in timore, & prepara animam tuum ad tentationem*; quantò magis ejuſmodi tentatio timere debebit is, qui non ſolùm ipſe abrenuntiat Diabolo & à Vexillo illius fugit, ſed alios etiam ad ſimilem fugam impellere conatur? nam, ut rectè S. Gregorius l. 24. Mor. c. 13. dixit, *quanto magis eos ſibi oppoſitos Diabolus conſpicit, tanto ampliùs expugnare contendit.*

Conſidera II. Quibus potiſſimùm armis ſeipſum inſtru xerit, & adverſus incurſum Hoſtis præparârit, ijs videlicet quæ ipſemet Marc. 9. indicavit dicens: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio*; nam Oratio quippe ut S. Beda loquitur, *Dæmones fugat, ac Angelos ad adjut*

rum Salutis invitat: Scutum est in nocturnis terroribus, Laborum requies laborum. Jejunium verò, teste S. Maximo hom. 25. *Murus quidam est Christiano, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis Inimico. Quis enim unquam Christianorum jejunavit, & captus est?*

Considera III. An & quomodo tu hactenus his armis usus sis, & uti deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Cur Christus antè, quàm prædicare, & alia Officia ad salutem Proximi spectantia exercere inceperit, tentari à Diabolo, triplicémque ab eo Victoriam reportare voluerit, nimirum ut omnes Pastores & Apostoli discerent, nihil magis necessarium esse, ad hoc, ut fine damno suo invigilare saluti Proximi possint, quàm ut priùs triplicem victoriam contra Mundum, Carnem, & Diabolum obtinere, seu, quod idem est, Divitiarum, Voluptatum carnalium, & Honoris, ac Gloriæ inordinatum appetitum vincere studeant, ut formidabiles facti Hostibus tantò faciliùs & audaciùs etiam alios contra ejusmodi Hostes educere, ac conciliare queant.

Considera II. Quibus armis præcipuè Christus usus sit in tentationibus istis, nimirum gladio Spiritûs, quod est Verbum DEI Eph. 6. dum eidem semper sententiam quandam ex S. Scriptura, voluntatem DEI comprehendentem opposuit, eique feliciter fugavit.

Considera III. Quàm aptum sit hoc Instrumentum ad Hostes vincendos, idque ex S. Paulo ad Hebr. c. 4. disce: *Vivus est Sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritûs.* Vide proin, quomodo tu hactenus eo usus fueris, & uti deinceps velis. Colloquium.

Vide etiam Masenium fol. 257. & 498. & Sacerd. Christianum Ludovici Abellij fol. 318. & seqq.

Conclusiones.

I. Ergo *noli securus esse, noli credere, licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa Elementi Spiritu terga crispentur: magnos hic campus montes habet,*

intus inclusum est periculum, intus est hostis. S. Hier. Ep. ad Heliod.

II. Ergo resistamus Diabolo, & fugiet à nobis, Jac. nam in hoc bello, teste Gebbenensi Antistite, *certi sumus Victoria, dummodo contra Hostes pugnare, ipsorúmque insultibus resistere velimus.*

III. Ergo fuge Occasiones tentationum; *qui enim amamus, ne intremus in tentationem, sanè tentationum occasiones quarere non debemus,* ait rectè D. Chrysostomus hom. in Matt. Quantùm igitur possumus à Lubrico recedamus, qui in sicco parùm firmiter stamus. Senec. Epist. 117.

Legatur etiam ex lib. 1. de Imit. Christi. c. 13.

Meditatio II.
pro quinta die.

DE VOCATIONE APOSTOLORUM.

Scopus.

Imitatio Apostolorum in implenda Vocatione.

Punctum I.

Considera I. Quos elegerit Christus pro Apostolis sui nimirum, ut S. Paulus Epist. 1. ad Cor. cap. 1. loquitur, non Sapientes secundùm carnem, non potentes, non nobiles, sed rudes, ignobiles, & pauperes Piscatores. Ad quem finem elegerit, nempe ut essent Socij sui in perficiendo Redemptionis opere, summámque adeò post ipsum dignitatem obtinerent, uti S. David Ps. 72. prædixit dicens: *Mihi autem nimis honorificati sunt Amici tui DEVS: nimis confortatus est Principatus eorum.*

Considera II. Cur tales potiùs viros, quàm alios in Apostolos elegerit, nimirum ob causam ab eodem S. Paulo inscit. assignatam: *Quæ stulta sunt Mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia Mundi ac contemptibilia elegit Deus, ut non glorietur omnis Caro in conspectu eius.*

Considera III. Quantus favor & beneficium per hanc Vocationem Apostolis & tibi obtigerit, quámque adeò omnes

cinatum adhibere debeas, ut, sicut eodem cum illis te honore & favore dignatus est Christus, ita tu quoque simili cum Apostolis celeritate ac perfectione vocationem tuam amplexeris. Vide proin, quomodo id hactenus feceris, & facere deinceps velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quàm promptè Apostoli Christum vocantem secuti sint, nimirum *relictis omnibus statim secuti sunt eum.* Luc. 5. nescit enim tarda molimina Spiritûs Sancti gratia.

Considera II. Cur tam celeriter eum secuti sint; quia videlicet interiùs illustrati, non humanam in eo vocem, sed divinam audire se credebant, atque adeò à quo, ad quem finem & terminum vocarentur, perpendebant.

Considera III. Quantò promptiùs perfectiúsque tu ipsum sequi debeas, ut qui & clariùs cognoscis, quis sit, qui te vocat: & quid sperare possis, si eum sequaris, nimirum id, quod Jo. 8. ipsemet promiserat dicens: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Non in *tenebris ignorantiæ*, quia ipse est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Non in *tenebris mortis*, quia ipse est veritas & vita: Non in *tenebris infamiæ*, quia nimis honorati sunt amici ejus: Non in *tenebris peccati*, quia qui cum ipso ambulat, in luce ambulat, atque adeò opera tenebrarum non amat. Resolve te igitur, & conclude, vel nunc cum Apostolis omnia impedimenta abjicere, ut tantò promptiùs ipsum sequi queas. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quòd non celeriter tantùm secuti Christum sint Apostoli, sed etiam constanter ei adhæserint, atque in procuranda divina Gloria, ac animarum salute insigniter eidem cooperati sint.

Considera II. Quàm æquum sit, ut tu quoque tantò ardentiùs & efficaciùs Deo in lucrandis animabus tibi commissis coopereris, quantò majus tibi per vocationem beneficium collatum est, & quantò clariùs tibi animarum talium pretium constat, utpote pro quibus nôsti, ipsum Dei Filium

non dubitâsse, tot labores susc[ipere], tot cruciatus & co[n]-melias perferre, & ipsam denique vitam sanguinémque p[ro]-fundere. Unde meritò quondam S. Ludgardi vulnera ost[en]-dens dixit: vide, filia, quomodo hæc vulnera clamen[t], efflagitent, ne sinas ea frustra me pro peccatoribus obt[ul]-se, sed lacrymis & afflictionibus corporis offensum Pat[rem] placere studeas. Hinc certè S. Paulus Rom. 9. de sc[ip]-fatebatur: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor c[or]-di meo. Optabam enim ego ipse Anathema esse à Christo [pro] fratribus meis.* Et, ut Act. 20. dicebat, *per triennium n[oc]-& die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque [ve]-strûm.*

Considera III. Quid tu hac in parte egeris, aut etiam [in]-inceps acturus sis; an non dices cum S. Paulo. 2. Cor. [12.] *Ego autem libentissimè impendam, & super impendar [ego] pro animabus vestris, licet plùs vos diligens, minùs dilig[ar]-* Colloquium ad Christum.

Vide Masenium fol. 509. aut Sacerd. Christ. Med. [Ex.] fol. 477.

Conclusiones.

I. Ergo audi Christum illis Apostoli Eph. c. 4. ver[s.] monentem: *Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione, [qua] vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.* Et-terum cum D. Petro 2. c. 1. *Quapropter, fratres, magis [sa]-tagite, ut per bona opera certam vestram vocationem fac[ia]-tis; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus [in] aternum regnum Domini nostri.*

II. Ergo audi S. Franciscum suos monentem: *Magna [pro]-mittimus, majora promissa sunt nobis:* Noli ergo [in]-tendere, quod pondus feras in officio, sed quod præmi[um] sperare possis in termino; sic enim omnes dies & labo[res] videbuntur pauci præ amoris & spei magnitudine.

III. Ergo toto pectore in lucrum animarum incumb[e]: *huc enim magistra lex tendit*, teste S. Gregorio Naz. *[Hoc] inter Christum & legem interjecti Propheta; huc spiritual[is] legis Perfector & finis Christus: huc exinanita Deitas: [hoc] assumpta caro: huc nova illa mixtio, Deus, inquam, [et] hom-

bano. *Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe in unum coierunt.*

Legatur etiam ex lib. 3. de Imit. c. 59.

Consideratio pro V. Die.

DE ACTIONIBUS AD PROXIMUM SPECTANTIBUS.

Punctum I.

Ante omnia da operam, ut bene intelligas, quantopere ad dilectionem Proximi varijs ex titulis obligeris. 1. Quia Deus jubet, ut eum sicut teipsum diligas; addítque in hoc universam legem & Prophetas pendere: esse majus omnibus holocaustomatibus & sacrificijs. 2. Pater æternus quid magis requirit, quàm ut, sicut omnes ejus Filij sumus, ita fraterno quoque affectu invicem diligamus; hinc teste S. Joanne 1. c. 4. *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 3. Filius Dei quantopere eam requirat, ipse satis Jo. 13. indicavit dicens: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* 4. Sed & Spiritus S. cùm sit anima corporis Christi, nihil magis desiderat, quàm ut membra omnia arctissimè per charitatem invicem sint conjuncta; hinc Eccl. 35. dicitur: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentientes.* 5. Quàm S. Dei Mater & alij Cœlites eam desiderent, vel ex eo colligere licet, quòd, sicut illi arctissima inter se unione sunt conjuncti, habentes cor unum, & animam unam, ita eandem quoque charitatis unionem videre in nobis gestiant, ut Jerosolyma hæc terrestris, cœlestis illius quandam imaginem referat, & Ecclesia militans triumphanti quoad hoc sit conformis. 6. Denique quantopere ipsa tua tam supernaturalis, quàm naturalis vitæ ratio eam à te requirat, vel inde colligitur, quòd utróve modo spectati tu & Proximus fratres sitis ejusdem Patris, eodem Christi sanguine Redempti & regenerati, ejusdem quoque corporis mystici membra

membra, ad eandem regni cœlestis hæreditatem vocati. Vi
de ergo, quàm potentes sint hi tituli ad fraternam dilectio
nem singulari studio exercendam, & fovendam.

Punctum II.

Incipe considerare, quid dilectio hæc à te requirat, & qu
modo singula capita hactenus observâris. Ut autem tam
ordinatiùs id agas, distinguere potes proximum tuum i
tres classes, in superiores scilicet, æquales, & inferiores, &
singulas iterum in alias species subdividere hoc vel simi
modo.

§. I.

Observanda erga superiores Personas.

I.

Erga Ecclesiam.

Insignis Honoratio
Per vitæ sanctitatem.
Filialis subjectio
Per officij Fidelitatem.
Fortis propugnatio
Per doctrinæ potestatem.

II.

Erga Episcopos, aliósque Superiores

Summa reverentia,
Quia DEI Vicarij.
Charitas ingenua,
Quia Patres pijssimi,
Obedientia promptissima,
Quia Pastores optimi.

III.

Erga Magnates.

Honoris justi oblatio,
Propter statûs eminentiam.
Favoris conservatio
Propter virium potentiam.
Locutionis cautio
Propter periculi præsentiam.

§. II.

Observanda erga Æquales.

I.

I.

Erga alios Sacerdotes.

Concordia in affectu
Propter vinculum Fraternitatis.
Reverentia in colloquio
Propter meritum dignitatis.
Promptitudo in obsequio
Propter titulum æqualitatis.

II.

Erga Benefactores.

Beneficij agnitio
Per dignam æstimationem.
Gratiarum actio
Per crebram prædicationem.
Vicissitudinis exhibitio
Per obsequiorum delationem.

III.

Erga Inimicos.

Injuriæ condonatio
Per divinam dilectionem.
Orationis oblatio
Per ignorantiæ prætensionem.
Amoris conciliatio
Per beneficiorum collationem.

IV.

Erga Vicinos & Amicos.

Pacis constans dilectio
Propter communem consolationem.
Jurium conservatio
Propter Justitiæ defensionem.
Auxilij oblatio
Propter Amoris obligationem.

V.

Erga Mulieres.

Ratissima Aspectio
Propter castimoniæ conservationem.
Brevissima collocutio
Propter publicam ædificationem.
Cautissima conversatio
Propter lapsûs devitationem.

VI.

VI.

Erga Pauperes & Miseros.

Suavis allocutio
Ad causandam consolationem.
Christiana Compassio
Ad demonstrandam dilectionem.
Amorosa subventio
Ad faciendam sublevationem.

VII.

Erga Hospites.

Benevola exceptio
Propter hospitalitatem.
Liberalis tractatio
Propter charitatem.
Jucunda conversatio
Propter hilaritatem.

VIII.

Erga Defunctos.

Creberrima recordatio
Propter gratiæ societatem.
Tenerrima commiseratio
Propter pœnæ acerbitatem.
Celerrima subventio
Propter auxilij necessitatem

§. III.

Observanda erga Inferiores.

I.

Erga Parochianos.

Amor universalis
Propter causæ similitudinem.
Zelus prudens
Propter officij amplitudinem.
Vita exemplaris
Propter suasionis aptitudinem.

II.

Erga Domesticos.

Impera discretè negotium
Propter infirmitatem.
Exige mansuetè supplicium

Propter charitatem.
Redde fideliter præmium
Propter æquitatem.

Punctum III.

Porro ad hæc charitatis fraternæ officia præstanda prodest frequenter unum vel alterum ex sequentibus medijs adhibere.

I. Asuesce omnes proximos, cum quibus tibi agendum fuerit, ut imagines & exemplaria Dei intueri; sic enim non modicum senties stimulum, & ad omnem proximi læsionem studiosè cavendam; & ad omnem illi honorem & reverentiam exhibendam; quem enim horrorem non sentis, si imaginem aliquam sacram ab irato aliquo homine ex indignatione lacerari, vel alio modo inhonorari vides; quantò magis horrebis tu ipse proximum offendere, si eundem ut vivam Dei imaginem contempleris.

II. Asuesce pariter, eundem proximum ut ipsum Christum intueri, illámque Christi sententiam firmiter menti imprimere: *Quantum feciſtis uni ex his fratribus minimis meis, mihi feciſtis.* Matt. 25. Quam enim promptitudinem, lætitiam, & fervorem non in te experireris, si Christum alicubi vel ægrotantem, vel aliâ in miseria constitutum, & tuam opem petentem jacere scires; quàm grandem displicentiam offenderes, imò etiam omni possibili modo dehortareris & exhiberes, si quempiam malè de eo loquentem, murmurantem, aut alio modo injuriantem aspiceres; quantò minùs ipse hæc proximo tuo facere præsumes, si in eo Christum intueri studueris.

III. Asuesce proximum tuum ut fratrem non carnalem, sed spiritualem intueri; si enim fraternitas carnalis tantopere impellit ad mutuam charitatem & obsequia exhibenda, omniáque mala, quæ nocere fratri possunt, summo studio arcenda; quantò magis fraternitas spiritualis, quæ ex novissimo Christi sanguine ortum trahit, & cohæredes regni cœlestis facit, similem affectum cordi ingenerabit, atque ad omnia bona proximo optanda, & procuranda impellet; mala verò, quæ ei accidere possunt, omnia arcebit.

Vide ergo, quomodo hæc media hactenus adhibueris, aut adhibere deinceps velis.

Lege

Lege etiam, si placet, memoriale Sacerdotis à fol. 4 usque ad 13.

Meditatio III.
Pro quinta Die.

DE TRIENNIO ULTIMO CHRISTI ANTE PASSIONEM EXACTO.

Scopus.
Imitatio Christi in agendo cum Proximo.

Punctum I.

Considera I. Quid Christus toto hoc triennio egerit, & mirum id, quod ipsemet Luc. 12. dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?*

Considera II. Quod iste ignis non sit alius, quàm zelus ardentissimus majorem æterni Patris gloriam, & animarum salutem quærendi; quem tribus potissimùm instrumentis seu medijs declaravit, videlicet *orationibus* continuis, *exhortationibus* solidissimis, & *beneficijs* corporalibus & spiritualibus; hoc enim triplex illud est vinculum, quod dilectus culter rumpitur, & de quo ipse per Prophetam Oseam dicebat cap. 11. *In funiculis Adæ traham eos: in Funiculis charitatis.*

Considera III. Cùm tu ob eundem finem ad statum Sacerdotalem & curam animarum vocatus sis, quantopere desideat, ut eundem zeli ardentis ignem in te primum accendere, deinde verò etiam per supra dicta tria media decidere studeas. Examina proin, qualem in te hactenus zelum expertus sis, & quomodo deinceps saltem eum in te magis accendere, & fovere velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera II. Cur Christus ad zelum suum explicandum ignis similitudine sit usus, nimirum ut per hoc indicaret, sic perfectum fore zelum nostrum, si ignis proprietates haberit. Et I. quidem sicut ignis, dum alios calefacit, seu sursum tendit, ita & tu, dum cum alijs agis, mentem per [illegible] nam intentionem, & pias aspirationes semper ad cœlos [illegible]

tem habeas. II. Sicut ignis, dum alias res accendit, nihil
ceralore suo proprio amittit, ita & tu diligenter caveas, ne,
dum alios calefacere studes, ipse in propriæ perfectionis
studio intepescas. III. Sicut ignis pauperem æquè ac divi-
tem calefacit, ita & tu æqualem omnium curam suscipias, ubi
æqualis est necessitas. IV. Sicut ignis magis propinquos
celerius & citiùs accendit, ita & tu primam eorum cu-
ram habeas, qui ob majorem necessitatem magis tibi pro-
pinqui sunt, magísque auxilium tuum exigere videbuntur.
V. Sicut ignis cupit omnia in se convertere, ita & tu, quan-
tum in te est, omnes charitate Dei & proximi flagrantes effi-
cere studeas. VI. Sicut ignis priùs exiccat rem, quam ac-
cendere cupit, ita & tu peccatores priùs à peccatis & carnali-
bus desiderijs liberes, quàm eos ad varias virtutes exercen-
das horteris, & instruas. VII. Sicut ignis non extinguitur,
quamdiu lignum adest; ita & tu zelum tuum non priùs ex-
tingui sinas, quàm vita te, viréque, & occasio deficiant.

Considera II. Quàm efficax hic modus aptúsque sit ad a-
mas lucrandas, ut, qui, sicut ignis proprietates in se conti-
net, ita maximam quoque, perinde ut ignis, efficaciam ha-
beat ad animas amore Dei inflammandas, & per hunc velut pro-
priam Dei Filiorum Tesseram æternæ beatitudinis capaces
reddendas.

Considera III. An tu hactenus similem zelum habueris, &
deinceps saltem procurare velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quibus motivis veluti lignis usus sit Chri-
stus ad hunc in te zelum excitandum & fovendum; nimi-
rum tribus præcipuè. *I. Æstimatione Gloriæ divinæ*: quam tanti sciebat esse faciendam, ut etiam infinitorum
mundorum salus cum illa comparata nihili sit æstimanda,
cum hæc limitata duntaxat & finita sit, illa autem omni li-
mite ac termino careat. *II. Æstimatione animarum*: quas sciebat, tanti à Deo Patre æstimatas, ut non dubitârit,
Filium unigenitum suum mittere ad easdem ab interitu li-
berandas. *III. Æstimatione præmij pro ejusmodi zelo of-
erendi*: Si enim teste S. Chrysostomo, gratius Deo obsequiũ
præstat, qui unicum peccatorem convertit, quàm si immen-

sas divitias in pauperes erogâsset; facilè apparet, quàm ... gens præmium à Deo olim sperare possit, qui omnem ... potiorem certè vitæ suæ partem ejusmodi zelo exercen... impendit.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva ad ... quoque animum ejusmodi zelo inflammandum; si ... dæmon ex odio divinæ gloriæ & hominum, majori ... pse quondam fassus est, impetu in perniciem animarum ... tur, quàm torrens rapidissimus ex altissimo monte in ... ctam vallem ruit; quantò magis amor divinæ gloriæ ... marum simile in te desiderium easdem salvandi excitare ... terit.

Considera III. Quomodo tu hactenus istis motivis ... sis, & uti deinceps velis.

Vide etiam Masenium fol. 509. aut Sacerd. Christ. p. ... 11. & p. 5. med. 16.

Conclusiones.

I. Ergo *talem habentes Dominum, tam misericor... tam benignum, tam mansuetum, tum nostri, tum fratr... nostrorum curam geramus; nam & hoc nostræ salutis ... mentum erit & occasio, si non solùm pro nobis ipsis sollic... sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veri... manuducentes.* S. Chrysost. hom. 3. in Gen.

II. Ergo *in quantum te profecisse pensas, etiam ... tecum trahe, in via Domini socios habere desidera: ... Deum tendis, cave, ne ad eum solus veniat.* Hinc in Apo... calypsi c. 22. scriptum est: *Qui audit,* dicat: *veni. ... jam in corde vocem superni amoris acceperit, foras ... proximis vocem exhortationis reddat.* S. Greg.

III. Ergo offer te Deo & dic cum Isaia: *Ecce, Domine ... mitte me.* Nam, ut bene S. Gregorius Theol. advertit, ... mo magno & Deo, & sacrificio, & Pontifice dignus est, ... qui priùs seipsum Deo hostiam viventem, & sanctam ... buerit, rationalémque cultum, gratum atque acceptum ... stenderit.

Legatur etiam l. 2. c. 3. de imit.

Tertia Hebdomas.

Scopus hujus hebdomadis est, Christi virtutes in patien-
exercitas imitari, quæ uti specialem in se difficultatem,
adeò etiam dignitatē & excellentiam continent, ita spe-
am quoque considerationem merentur, pro qua proinde
gnatius integram tertiam hebdomadam assignavit.

SEXTA DIES.

Effera. Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego
feci, ita & vos faciatis. Jo. 13.

Meditatio I.

DE LOTIONE PEDUM.

Scopus.

acramenti Pœnitentiæ ritè peragendi & administrandi propositum.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus ante institutionem SS. Sacra-
menti Discipulis suis pedes lavare voluerit, ut scilicet suo
exemplo doceret omnes futuros Sacerdotes, quanta cum pu-
itate conscientiæ & ipsi ad SS. Sacramentum Eucharistiæ
ccedere, & alios ad id suscipiendum præparare debeant.

Considera II. Quàm justè idem Christus ad sui Euchari-
ticam perceptionem, singularem puritatem exigat; si enim
dhuc mortalis incarnari & nasci voluit, non nisi puris-
mæ & ab ipsa etiam originali macula immunis Virginis
ispitium elegit; quantò magis nunc tam glorioſus sum-
am ab ijs, qui eum suscipere volunt, sanctitatem & puri-
atem requiret.

Considera III. Si ab omnibus Christianis tanta puritas re-
quiritur, quantò major ab ipso Sacerdote jure meritissimo
xigatur, ut, qui non simplici tantùm modò eundem susci-
pit, ut alij Christiani, sed etiam consecrat, & per modum
mmaculati sacrificij æterno Patri offert. Vide ergo qua-

lem tu puritatem hactenus attuleris, & afferre deinceps lis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quòd Christus non quâcunque cæremo sed specialiter hac externa ac visibili lotione puritatem Sacerdotibus futuris commendare voluerit, ut hâc ratione gnificaret, eos ordinariè non solâ contritione contento sed etiam ipsum visibile Sacramentum Confessionis, ties fieri commodè potest, præmittere, atque ad pedes cerdotis se abijcere debere.

Considera II. Quàm justis de causis hoc quoque à nob stus exigat, nempe ut non modò certiùs copiosiùsque ob jorem dispositionem & dolorem, qui plerumque in Con sione elicitur, purificetis, sed etiam ob actus humilitatis rúmque virtutum tantò dignior aptiórque efficiaris ad Sacramentum, fructúsque illius suscipiendos; cùm juxta pacitatem dispositionis præviæ subsequens Sacramenti perationis effectus dispensetur; Si ergo, dum Princeps quis promitteret, se ad se accedentibus tantò liberaliu dona communicaturum, quantò majora & capaciora v laturi essent, haud dubiè quivis fas amplissimum, quod re posset, afferret; quidni & tu tantò diligentiùs hanc i strui am per Confessionem præmittendam observes, q præstantiora sunt dona, quæ tibi juxta capacitatem tu positionis offerenda promittuntur.

Considera III. Quomodo hactenus hac in parte re g ris, & gerere deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Nec ipsas etiam Cæremonias in lotion dum fine speciali mysterio fuisse adhibitas; indicare nob per eas voluit Christus, quid in alijs lavandis, seu Con nibus audiendis observare specialiter debeant futuri Sa dotes, nimirum 1. Linteo puritatis tam Animæ (propr verentiam Sacramenti) quàm corporis (per firmum C tatis servandæ propositum, ne dum aliorum sordes aud etiam ipsi maculentur) se cingendo. 2. Genua flecten tum per præviam petitionem gratiæ; tum per humilem

omnium pedibus incurvationem, ne, dum aliorum næ- cognoscunt ijsdem meliores se reputantes extollantur.

Æquali cum charitate & sollicitudine omnibus sine dis- mine sordes peccatorum per absolutionem auferendo, & gymatum reliquias per piam & consolatoriam exhorta- nem abstergendo.

Considera II. Quàm solidus & efficax sit hic modus, Con- siones cum magno incremento gloriæ divinæ, cum ingen- uo merito, & cum magno profectu & solatio Pœnitentiũ cipiendi; quàmque adeò meritò de eo illud Christi dictum plicare tibi debeas: *Exemplum dedi vobis, ut, quemad- dum ego feci, ita & vos faciatis.*

Considera III. Quomodo tu hactenus hunc modum ob- veris, aut certè deinceps observare velis. Colloquium.

Videri etiam potest Ludovicus de Ponte. med. 8. part. 4.

Conclusiones.

I. Ergo *Vade & tu, & ostende te Sacerdoti* (per humilem confessionem) *& offer munus tuum* per immaculati Agni cationem.

II. Ergo scito, quòd antiquus Inimicus omnino nititur pedire desiderium tuum in bono, & ab omni devoto Exer- io evacuare. Displicet illi humilis Confessio, &, si posset, Communione cessare faceret. Non credas ei, neque cures am, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos, Thom. mp. l. 3. c. 6.

III. Ergo diligenter examina Conscientiam tuam, & pro ille tuo vera Contritione, & humili Confessione eam mun- & clarifica, ita ut nihil grave habeas, aut scias, quod te re- ordeat, & liberum accessum impediat. Idem l. 4. c. 7. Quid odest diu tardare Confessionem? expurga te cumprimis, que velociter venenum, festina accipere remedium, & sen- es meliùs, quàm si diu distuleris. Ib. c. 10.

Legatur etiam lib. 4. c. 12.

Meditatio II.
Pro 6. Die.

DE SS. EVCHARISTIÆ INSTITVTIO

Scopus.

Amor erga SS. Eucharistiam & æstimatio.

Punctum I.

Considera I. Primum finem hujus Institutionis, scili esset memoriale infiniti Amoris in sancta Passione de strati; hinc sicut in Cruce Corpus, & Animam, & omne guinis sui guttulas amore nostri tradidit & profudit, hoc quoque SS. Sacramento omnia iterum communica luit, & etiamnum ardentissimè largiri desiderat. H Thomas vocat illud Sacramentum Amoris, S. Bernar morem Amorum, & ipse Dæmon ex ore cujusdam obsi ram S. Hostia confessus est, isthic pro nobis latere igne moris, & pro illis ignem Justitiæ.

Considera II. Si juxta Sapientes ingratissimus est, q mantem non amat, cùm hic amato se totum tradat; quan gratus tu futurus esses, si quotidie pignus hoc nobilis Amoris accipiens, & ad hunc ardentissimum Amoris accedens, tamen mutuo necdum Amore accendaris; ardentissimum te Eidem uniendi desiderium sentias.

Considera III. Quomodo deinceps saltem Amoris magnitudinem digniùs æstimare, atque, ut eidem Amore respondeas, omnes vires contendere velis. Co quium.

Punctum II.

Considera I. Alterum finem hujus Institutionis, ut esset Convivium ex pretiosissimo Ejus Corpore & S ne ad nutriendas, impinguandas, & recreandas nostr mas institutum.

Considera II. Quàm verè hoc Convivium per illu gnum Convivium, de quo Christus in Evangelio Luc nomine *Cœnæ magnæ* locutus est, indicatum fuerit, c hoc Convivium sit magnum propter mysteria & m

servenientia, magnum propter cibum & potum, ex quibus constituitur, & magnum denique propter insignes fructus, qui ex illius sumptione percipiuntur.

Considera III. Si magnam sibi Homines gratiam conferre censent, dum vel semel ad mensam suam à Rege quopiam aut Principe invitantur, quàm felicem tu te censere debeas, qui à tanto Rege, ad tantum Convivium non semel, sed quotidie sumendum invitaris. Si Miphiboseth Jonathæ Filius, priusquam à Davide hæc verba: *Tu comedes panem in mensa mea semper*: audivit, præ stupore & admiratione corruit in faciem suam, adoravitque Davidem, & dixit: *Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum similem mei?* Si Jacob Patriarcha Gen. 28. dixit: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in DEVM, cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quid te facere par erit, qui panem talem, panem Angelorum, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, in mensa tanti Regis quotidie sumere permitteris? Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Tertium finem hujus Institutionis, nempe ut esset Sacrificium incruentum novæ Legis, omnium Sacrificiorũ veteris Legis completivum, utpote omnem illorum perfectionem eminentissimo quodam modo continens; hinc est purissimum Holocaustum Sacrificium rememorativum, Eucharisticum, Propitiatorium, Pacificum; unde plus quoque placet unica hujus Sacrificij oblatio æterno Patri, quàm omnia Sacrificia olim in veteri Lege oblata.

Considera II. Si olim magna Gratia reputabatur, quando quis in Sacerdotem electus, DEO varias Victimas & Holocausta offerre poterat: Si & ipsam Christi Humanitatem ex ea parte felicissimam prædicamus, quòd seipsam in Ara Crucis in Holocaustum æterno Patri gratissimam semel duntaxat pro salute totius Mundi offerre potuerit; quàm felicem tu reputare teipsum debeas, cui non victimam bestiarum, sed Immaculatum Agnum; non crudeli & cruento, sed incruento modo; non semel duntaxat, sed quotidie, pro tua & omnium Hominum salute offerre concessum est. Quàm ingratus

proinde futurus sis, si beneficium hoc non, ut par est, agas-
scere, & Sacrificium hoc non, quoties potes, omni possibili
affectu ac reverentia tum in gratiarum actionem, tum in a-
lios fines offerre studeas.

Considera III. Quomodo hactenus tuæ obligationi satis-
feceris, aut certè satisfacere deinceps velis. Colloquium.

Vide etiam Masenium. f. 289. aut solitud. Hagioplia ultimo die.

Conclusiones.

I. Ergo audi S. Bernardum ser. 2. in Cœna, & hoc beneficium æstimare disce: *Potéstne æstimari*, inquit, *quale sit quantum est hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, Amor Amorum, dulcedo omnium dulcedinum. Hæc sunt verè fercula vitalia Iustorum & Sanctorum, hi bibuntur in loco uberi Torrentes lactis, flumina mellis, fragres balsami cælestis. Hîc efficitur una Caro Sponsa cum Sponso: unus Spiritus sancta Anima cum Christo.*

II. Ergo *accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* S. Aug.

III. Ergo, ut idem monet, *fias Corpus Christi, si vis vivere de Spiritu Christi. De Spiritu enim Christi non vivit nisi Corpus Christi. Vis & tu vivere de Spiritu Christi, in corpore esto Christi.* Sic enim ipsemet dixit Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo; & qui manducat me, ipse vivet propter me.*

Legatur etiam lib. 4. de imit. c. 1.

Consideratio pro VIII. die.

De Actionibus ad Officium Pastorale spectantibus.

Punctum I.

Uti in priore Consideratione de Actionibus ad Proximum Spectantibus in genere Examen institutum est, ita de ipsis hîc in specie fiat reflexio, scilicet quomodo ea, quæ ad Vocationem & Officium Pastorale pertinent, observentur; quod haud difficile erit, si, quid circa singula tenendum sit, breviter indicetur.

I. Et

I.

Erga Vocationem.

Magna Æstimatio
Propter Dignitatis Eminentiam.
Perfecta Cognitio
Propter Muneris Exigentiam.
Studiosa Executio
Propter Præmij Excellentiam.

II.

Erga Officium.

Exacta Diligentia
Ob Muneris Dignitatem.
Reflexa Experientia
Ob Operationis Facilitatem.
Invicta Constantia
Ob Coronationis Necessitatem.

III.

Erga Executionem.

Pura Intentio
Ad augendum meritum.
Studiosa Operatio
Ad implendum Officium.
Generosa Resignatio
Ad tranquillandum Animum.

IV.

Erga Conversationem.

Sit sancta Conversatio,
Ut Clericus puteris
Æqualis sit Dilectio,
Ut nullum aspernetis.
Sit efficax Locutio,
Ut plurimos lucreris.

V.

Erga Visitationem Ægrorum.

Hos visita velociter
Pro Obligatione.
Alloquere suaviter
Pro Consolatione.

Hortare efficaciter
Pro Confortatione.

VI.

Erga Confessiones audiendas.

Exacta Audientia
De Peccatis admissis.
Severa Reticentia
De Secretis commissis.
Discreta Pœnitentia
De Delictis remissis.

VII.

Erga Concionem.

Apposita sit & solida
Quoad Materiæ Inventionem.
Excocta bene, & fervida
Quoad Formæ Dispositionem.
Decore multo prædita
Quoad ipsam Elocutionem.

VIII.

Erga Catechesin.

Hanc magni semper æstima,
Ut par est æstimari.
Crebrò tuis deprædica,
Ut par est commendari.
Summâ cum curâ explica,
Ut par est observari.

Punctum II.

Perpende, quantopere obligeris ad hæc Officia magno cum fervore ac perfectione obeunda.

I. Quidem ob ingens Vocationis Beneficium; si enim etiam in hoc Mundo ij, qui ad excelsum aliquod & spectuosum Officium præ multis alijs Competitoribus eligitur, tantò magis se obligatos sentiunt ad illud cum omni diligentia obeundum, quantò majori beneficio ac favore illud sunt promoti; quid te facere par erit, qui nullo tuo merito, sola DEI benignissima dignatione ad Officium omnium Officiorum divinissimum & altissimum es promotus.

II. Ob Gratiæ ad hoc collatæ amplitudinem; quæ quasi est talentum à DEO commissum, unde nisi cum eo opereris, verendum est, ne auferatur, & alteri detur, ut Christs Matt. 25. minatus est. Unde meritò S. Paulus ad Corinth. 2. c. 6. scripsit: *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum Gratiam DEI recipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile* (operandi) *ecce nunc dies Salutis* (nostræ & alienæ promovendæ) *nemini dantes ullam offensionem* (per negligentiam) *ut non vituperetur Ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos sicut DEI Ministros in multa patientia &c.*

III. Ob Functionum excellentiam, & quæstum: non enim ex ordinatæ sunt ad quodcunque temporale lucrum faciendum, sed ad Animas omnibus rebus corporeis longè præstantiores, & infinito Sanguinis Christi pretio redemptas lucrandas; unde quantò ampliùs sperare poteris præmium, si munere tuo rectè fungaris, tantò gravius timere debebis supplicium, si malè illud administres. Certè si ullibi, hìc locum habebit illud Sa. 6. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Punctum III.

Ut ergo tantò faciliùs accuratiúsque hac in parte Officium tuum præstes, sequentia tria media adhibere stude.

I. Arctissimam cum DEO conjunctionem, tum per Charitatis virtutem, tum per familiarem in Exercitijs Spiritualibus Conversationem; sic enim ut Palmes tantò copiosiores feres fructus, quantò arctiùs viti veræ, id est, Christo, fueris conjunctus.

II. Da semper operam, ut Zelum Animarum & vigentem retineas, & quotidiano nutrimento per considerationem motivorum ad eundem excitantium, & ferventem ejusdem à DEO postulationem, & actualem ac sedulam Operationem conserves & augeas; quò enim ardentior & vivacior hic Zelus fuerit, tantò alacriùs & diligentiùs, & hoc ipso etiam plerumque fructuosiùs Muneris tui functiones persolves.

III. Non tam ad labores & difficultates, quas in Functionibus tuis pateris, quàm ad fructum & lucrum tuæ & alienæ Salutis oculos reflecte; sic enim omnes dies & labores videbuntur

buntur pauci & breves præ amoris magnitudine, quâ in DEVM, tuámque & aliorum Animas flagrabis.

MEDITATIO III.

Pro 6. Die.

DE AGONIA ET ORATIONE CHRISTI IN HORTO.

Scopus.

Præparationis solidæ ad tribulationes excipiendas studium.

Punctum I.

Considera I. Cur Christus, etiamsi ab ipso jam Conceptionis suæ puncto clarissimè cognoverit omnia tormenta & dolores, qui in præsenti Agonia ipsi proponebantur, & sanguineum sudorem eliciebant, nunquam tamen hanc considerationem seriò & cum tristitia susceperit, donec ipsum Passionis tempus appropinquavit, videlicet ut iterum suo exemplo nos doceret, ne de tribulationibus futuris ante tempus nimiùm solliciti, tristésque essemus, sed exspectaremus, donec ipsum easdem sustinendi tempus adveniat.

Considera II. Quàm prudens & necessarium sit hoc nostrum omnibus in hac vita per multas tribulationes ad Patriam supernam tendentibus, ne scilicet ante tempus miseriæ velint, & crucem graviorem sibi per antecedentem immanem timorem efficiant; nam, ut rectè Thomas de Kemp. l. 3. c. 30. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas? sufficit diei malitia sua. Vanum est & inutile de futuris conturbari, quæ forte nunquam evenient.

Considera III. An non & tu hactenus ejusmodi vanis timoribus subjectus fueris, & quomodo eosdem deinceps devitare velis, totum te in sinum suavissimæ DEI providentiæ conjiciendo, & cum Heli dicendo: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.*

Colloquium.

Pur-

Punctum II.

Considera I. Cur imminente Passione Christus in montem Oliveti exiverit, ibíque assumptis tribus tantùm Discipulis Petro, Jacobo, Joanne orationem, & quidem talem: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matt. 26. peregerit, nimirum ut absolutissimum exemplar relinqueret, docerétque, quid appropinquante aliqua tribulatione agere debeamus, videlicet 1. Confugere ad Misericordiam DEI per montem Oliveti significatam. 2. Exercere actus *Fidei*, quâ credamus, hanc tribulationem à DEO singulari cum Providentia missam: *Spei*, quâ certò confidamus, ipsum non permissurum, ut supra id, quod possumus, tentemur, sed facturum etiam cum tentatione proventum: & *Charitatis*, quâ nihil aliud, nisi solum DEI beneplacitum inquiramus; hæ enim virtutes per tres illos Discipulos sunt indicatæ. 3. Per humilem & ferventem orationem, cum debita tamen Indifferentia factam, amotionem imminentis mali petere.

Considera II. Quàm solidus hic & perfectus sit modus tribulationes imminentes excipiendi, ita ut nihil à Prudentissimo quoque perfectissimóque Homine requiri amplius possit.

Considera III. Quomodo tu hactenus hunc modum observaveris, aut observare deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quos effectus & fructus Christus ex hac sua Oratione & Fiducia ad Misericordiam divinam, & æternum suum Patrem perceperit, nimirum tres sequentes. 1. Ut Angelus de Cælo missus eum consolaretur, ostendendo ei, quanta in universum genus humanum commoda, quanta in ipsum Christum gloria, & quantus in Patrem æternum Honor reduntaturus esset, si Calicem Passionis oblatum exhauriret. 2. Ut adeò confortaretur, atque ad exhauriendum Passionis calicem animaretur, ut non exspectans Hostium adventum ultro illis occurrerit, atque ad Discipulos dixerit: Surgite eamus. 3. Ut admirandam semper Pacem, & animi æquitatem toto Passionis tempore retineret, neque ullum unquam

unquam aut commoti, aut triſtioris animi indicium amplius præſeferret.

Conſidera II. Quàm præclari ſint hi fructus, & tibi etiam vel maximè optandi, ut qui, ſicut Servatoris Officium in procuranda Proximi ſalute imitandum ſuſcepiſti, ita meritò nihil aliud, quàm Cruces & Tribulationes ſperare poſſis; ad quas proinde generoſo pectore ſupportandas prædictus modus non modicum tibi perinde ac Chriſto, robur ac ſtimulum addet.

Conſidera III. An tu ejuſmodi hactenus effectus experti fis, & quomodo deinceps ſaltem eoſdem per praxin ſedulam ſupradicti modi procurare velis. Colloquium.

Videri etiam poteſt Maſenius. fol. 301.

Concluſiones.

I. Ergo in adverſis tuis memento Sententiæ 2. Par. 20. 1 Joſaphat prolatæ, & dic cum ipſo: *DEVS noſter, in nob non eſt tanta Fortitudo, ut poſſimus huic multitudini re ſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cùm ignoremus, quid age debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dir gamus ad te.*

II. Ergo audi conſilium pij Aſcetæ l. 3. c. 30. in Perſon Chriſti ſic te adhortantis: Fili, ego Dominus conforta in die tribulationis. Venias ad me, cùm tibi non fuerit bene. Hoc eſt, quòd maximè Conſolationem impedit calcitra quia tardiùs te convertis ad Orationem; nam antè, quàm me intentè roges, multa interim ſolatia quæris, & recreas te externis, ideóque fit, ut parùm omnia proſint, donec altera tas, quia ego ſum, qui eruo ſperantes in me, neceſſe exti valens auxilium, neque utile conſilium, ſed neque durabile remedium.

III. Ergo adveniente tribulatione dic cum eodem Abb ta l. 3. c. 29. Et nunc quid inter hoc dicam? Domine, fa voluntas tua. Ego bene merui tribulari & gravari. Opor utique, ut ſuſtineam, & utinam patienter! donec tranſe Tempeſtas, & meliùs fiat.

Legatur etiam lib. 3. de imit. c. 50. & per tertium mod orandi percurratur.

SEPT

SEPTIMA DIES.

Tessera.

Eamus & nos, & moriamur cum illo. Joan.

MEDITATIO I.

DE PASSIONE CHRISTI.

Scopus.

Propositum artis patiendi addiscendæ.

Punctum I.

Considera I. Quàm graves tam corporis, quàm Animi cruciatus toto Passionis suæ tempore passus sit Christus, sive extensivè, sive intensivè eosdem spectes; sive enim ipsam Ejus Personam infinitâ dignitate ac sanctitate præditam, sive Judæos & Lictores homines vilissimos, ingratissimos, & malignissimos: sive tormentorum varietatem & crudelitatem; sive Præsidum Judicúmque Iniquitatem & Odium; sive Sodalij & Auxilij omnis absentiam consideres, undique videbis ingens his cruciatibus pondus accessisse.

Considera II. Quanta cum Patientia, promptitudine, & alacritate hos omnes cruciatus sustinuerit; nam de primo quidem, nempe quòd *patienter* eos sustinuerit, testatus est Isaias cap. 53. dicens: *Sicut Ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* De altero testatus est idem l. c. dicens: *Oblatus est, quod ipse voluit.* & colligitur ex eo, quòd ultro occurrerit Inimicis, dixeritque Apostolis: *Surgite eamus.* De tertio seu de Alacritate ac gaudio testimonium tulit S. David Psal. 18. dum dixit: *Exultavit ut Gigas ad currendam viam suam.* Imò & ipse idem confessus est c. 12. Lucæ. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur.*

Considera III. Quàm longè tu adhuc remotus sis ab hac perfectione Patientiæ, & quomodo deinceps saltem hanc artem à Christo addiscere velis. Colloquium.

Pun-

Punctum II.

Considera I. Quibus motivis se Christus excitaverit ad hanc Patientiæ Artem exercendam, & tantopere nobis commendandam. Nimirum 1. *Necessitate:* cùm enim omnes nos per multas tribulationes oporteat introire in regnum DEI, necesse est utique, ut maturè nos ad eas præparemus, ne damnum potiùs, quàm commodum ex eis reportantes infeliciter miseri efficiamur. 2. *Vtilitate:* cùm, teste S. Paulo 2. Cor. 4. *id, quod leve & momentaneum est tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operetur in nobis*; & ut recte Thomas de Kemp. l. 2. c. 12. dixit, si aliquid melius & utilius Saluti Hominum fuisset, quàm pati, Christus utique verbo & exemplo docuisset. 3. *Dignitate*: cùm per hanc ipse Christus obtinuerit Nomen super omne Nomen, idque omnes etiam alij obtenturi sint, qui cum ipso obedientes usque ad mortem Crucis fuerint. 4. *Iucunditate:* cùm *secundùm multitudinem dolorum in corde consolationes DEI lætificent animas nostras*, teste S. Davide Ps. 93. & experto S. Paulus, *repletus consolatione, & superabundans gaudio in omni tribulatione sua.* 5. *Facilitate:* quia licet per se difficile videatur adversa pati, hoc tamen respectu illorum duntaxat verum est, ut bene advertit S. Bernardus, qui Crucem vident, & unctionem non experiuntur; secùs verò de illis, qui gustant, quàm suavis etiam in ipsis amaritudinibus sit Dominus.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva, digna propter quæ omnes quidem Homines, sed præcipuè Sacerdotes ad hanc Artem addiscendam omni studio incumbant, ut, qui sicut Nomen Domini coram Gentibus cum S. Paulo portare debent, ita cum eodem etiam illis ostendetur, quanta oporteat eos pro hoc Nomine pati.

Considera III. Quantùm hactenus in hac Arte profeceris, & quomodo deinceps saltem eandem addiscere velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quàm multa & efficacia ad hanc Artem addiscendam Media tibi suppetant. Nam 1. si primus Artis addiscendi est Nobilitas Magistri, quid nobilius DEI Filio?

2.

2. Si Condiſcipulorum fervor & alacritas non parvum diſcentibus ſtimulum addit ad ſimilem fervorem concipiendũ, quis non ſummè excitetur ad hanc Artem addiſcendam, ſi adverterat, præſtantiſſimos quoſque Sanctos omnem in ea exercenda operam, ſtudiúmque poſuiſſe? 3. Si præmij promiſſi magnitudo non modicè etiam excitat ad fervorem diſcendi; quis non ad hanc artem ſummo ſtudio feratur, cui novis impliſſimum ſummæ Gloriæ præmium promiſſum? id quod clarè S. Ignatius teſtatus eſt dicere interdum ad ſuos ſolitus: Si magnus fieri Sanctus deſideras, pete à DEO, ut multas tibi adverſitates immittat; neque enim aliud aptiùs invenitur medium ad ejuſmodi Sanctitatem perveniendi, quàm multarum tribulationum conſtans & amoroſa perpeſſio. 4. Si ex Artes præ reliquis avidè & ſtudioſè addiſcuntur, quarum frequens, imò aſſiduus eſt uſus, & quidem cum magno emolumento conjunctus; quis Artem patiendi non ante omnes addiſcere ſtudeat, cujus perpetuus uſus, & ampliſſimus fructus exiſtit?

Conſidera II. Quantas iterum gratias debeas Magiſtro tuo, quòd non modò ad hanc Artem addiſcendam te quà Verbis, quà Exemplo ſuo invitârit; verùm etiam tam multa, tamque efficacia media ſuppeditârit ad eandem faciliùs addiſcendam & exercendam.

Conſidera III. Quomodo tu hactenus hæc media uſurpaveris, & uſurpare deinceps velis. Colloquium.

Videri poteſt etiam Maſenius fol. 312. vel Sacerdos Chriſtianus Med. 5. part. 5.

Concluſiones.

I. Ergo *exhibeamus nos ſicut DEI Miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis &c. per arma Iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* 1. Cor. 6.

II. Ergo *gaudium exiſtima, cùm in varias tentationes & tribulationes incideris ſciens, quòd probatio Fidei Patientiam operatur, Patientia autem opus perfectum habet.* Jac. 1.

III. Ergo doctrinam tuam Patientiâ tuâ confirma; nam *doctrina viri per Patientiam noſcitur*, teſte Salomone Prov.

19. & ideo, ut bene dixit S. Gregorius hom. 35. super Evang. *tantò quisque ostenditur minùs doctus, quantò convincitur minùs patiens; nec enim potest veraciter bona docendo ex pendere, si vivendo æquanimiter nesciat mala tolerare.*

Legatur etiam l. 2. c. 12. ex imit. Christi.

Meditatio II.
Pro septima Die.

DE CRVCIFIXIONE ET MORTE CHRISTI

Scopus.

Crucifixionis & mortis spiritualis ardens desiderium

Punctum I.

Considera I. Qualem & quàm dolorosam, ignominiosam, & luctuosam mortem sustinuerit Christus, cùm ea tempore tum ob præteritos dolores & defatigationes; tum ob novam manuum pedúmque perterebrationem, tum ob multitudinem adstantium, mortíque ejus consentientium; tum ob derelictionem non tantùm ab Hominibus Solatium ferentibus aut non volentibus, aut non valentibus, sed ab ipso etiam æterno Patre omnes tam corporis, quàm Animi cruciatus; non dubiè innumeris partibus sint aucti, ita ut tunc cum vere dicere potuerit: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. 1.

Considera II. Cur hanc tam acerbam Mortem subire voluerit, cùm tamen præcedentes dolores jam sufficientes fuissent ad totum Genus humanum redimendum; ob quas videlicet causas. 1. Ut excessum sui Amoris ostenderet, sícque facto ipso confirmaret, quod verbis prædixerat: Majorem Charitatem nemo habet, quàm ut Animam suam ponat pro Amicis suis. 2. Ut Morte sua vitam nobis pararet, nec vivendi duntaxat bene, sed etiam moriendi modum & Artem doceret. 3. Ut Mortis suæ acerbitate nostræ mortis amaritiem temperaret & dulcoraret. 4. Ut ad mortem spiritualem ipsius amore suscipiendam nos excitaret.

Considera III. Quantas gratias Christo debeas ob has causas has causas, quámque adeò meritò cum S. Bernardo tecum mare debeas: *Nemo desinceps sibi vivat, sed ei, qui pro*

mortuus est; cui enim justius vivam, quàm ei, qui, si non moretur, ego non viverem? Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quid sit Mors spiritualis, quam cum Christo ire debes, nimirum separatio moralis Animæ à Corpore, traditio Spiritus in manus Cælestis Patris, id est, ut non ea quæ corpus seu inferior Homo appetunt, desideres & queras, sed solum æterni Patris beneplacitum; sic enim Apostolus Rom. 12. hortatus est dicens: *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis, quæ sit Voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.* Sic enim cum veritate dicere poteris: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Considera II. Quam libenter hanc mortem suscipere debeas, utpote de qua verè etiam sicut de morte Christi, dici queat, quòd sit pretiosa in conspectu Domini, pretiosa ob difficultatem (quia, cùm nemo seipsum odio habeat, difficile est, sibiipsi vim inferre) pretiosa ob diuturnitatem, quia non tribus duntaxat horis, sed toto vitæ tempore durare debet: pretiosa propter utilitatem, quia ipsa est unicum medium ad veram Animæ vitam obtinendam, juxta notum axioma: *Tantùm vivis DEO, quantùm moreris tibi:* pretiosa propter jucunditatem, quia per eam verè pax & tranquillitas Animæ obtinetur, cùm nihil æquè huic paci obstet, quàm amor proprius, qui per hanc mortem penitus interimitur.

Considera III. An hactenus sic spiritualiter mortuus fueris, aut mori deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quibus potissimùm Instrumentis aut Actionibus Mors Christo illata sit, nimirum Clavorum, Malleorum, & Spinarum violentiâ; hi enim viam Sanguini, & per hunc ipsi etiam Animæ aperuerunt, ut ex corpore exire posset.

Considera II. Quinam sint spirituales clavi & mallei, quibus tu mortem spiritualem tibi inferre debeas, nempe assidui Actus Mortificationis, quibus violentiam Amori proprio & Concupiscentiæ inordinatæ inferre conaberis, ut di-

cere cum S. David Pſ. 43. poſſis: *Propter te mortificamur to-ta die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*

Conſidera III. Si Milites ad mortem damnati plerunque pro ſumma habent gratia, multóque libentiùs moriuntur, ab aliquo dilecto Amico mors ipſis inferri ſinatur; quanto libentiùs tu mortem iſtam ſpiritualem ſuſtinere debes, dum tibi conceditur, ut à teipſo velut tibi Amiciſſimo illa inferri queat, ſummáque, quæ in hac vita optari poteſt, felicitas tibi per eam obtingat, cùm verè de tali morte dici queat quod Apoc. 14. DEVS ipſe ſcribi juſſit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos.* Exclama igitur cum Judæis, & fer ſententiam de teipſo decendo: *Reus eſt mortis: Crucifigatur.* Colloquium.

Vide etiam Maſenium, fol. 324. Vel Theophilum Wegh. hebd. 3. medit. de Chriſto Crucifixo.

Concluſiones.

I. Ergo exclamantem audi S. Bernardum: *Exurgat Deus, cadat armatus iſte, cadat & conteratur inimicus hic. Contemptor DEI, Amator ſui, Amicus Mundi, Servus Diaboli. quid tibi videtur? Certè ſi rectè ſentis, mecum dices: Reus eſt mortis: Crucifigatur, crucifigatur.*

II. Ergo dic cum S. Paulo: *Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini mei IESV Chriſti, per quem mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.* Gal.

III. Ergo crede tibi dictum à pio Aſceta l. 2. c. 12. *In Cruce totum conſtat, & in moriendo totum facet: Ita eſt alia via ad vitam, & veram internam pacem, nempe ſanctæ Crucis & Mortificationis.*

Legatur etiam ex l. 2. c. 11.

Consideratio pro VII. Die.

De actionibus ad ipsum Sacerdotem spectantibus.

Punctum I.

Hæ triplicis ferè ſunt generis, nam aliquæ quidem ad animam, aliæ ad Corpus, aliæ ad res temporales & ex-

nicas spectant. Quid circa singulas observandum sit, hoc loco erit examinandum juxta regulas mox subjungendas.

I.

Erga Personam propriam.

Cura Oeconomiæ Sobria
Propter majorem ædificationem
Cura Corporis moderata
Propter faciliorem Operationem.
Cura Animæ præcipua
Propter potiorem Æstimationem.

II.

Erga Animam.

Malum vitæ sollicitè
Ob grande nocumentum.
Bonum age præfervidè
Ob Gratiæ augmentum.
Curas inanes abijce
Ob Pacis incrementum.

III.

Erga Corpus.

Corpus cibo refocilla,
Ne fame contabescat.
Justo labore occupa,
Ne otio torpescat.
Oratâ quiete recrea,
Ne obrutum langueſcat.

IV.

Erga Mensam.

Præmitte *Benedicite*,
Ut pius agnoscaris.
Quod sumis, sume modicè,
Ut finem consequaris.
Persolve grates impigrè,
Ut sæpiùs pascaris.

V.

Erga Recreationem.

Post Mensam curas abijce,
Ne cassa Mens gravetur.

Aptam Quietem elige,
Ne Corpus enervetur.
Honesta Verba loquere,
Ne Spiritus laxetur.

VI.

Erga Somnum.

Somni Quietem excipe,
Ut fortè moriturus.
Arcana Mentis discute
Ut Judicem passurus.
DEI favores recole,
Ut plures percepturus.

VII.

Erga Reditus.

Moderata Procuratio
Secundùm Necessitatem.
Studiosa Conservatio
Secundùm Æquitatem.
Recta Dispensatio
Secundùm Pietatem.

Punctum III.

Subinde accuratè perpende motiva, quæ te specialiter ... pellere debeant ad tui curam Omnibus alijs anteponendam, quorum

Primum est illâ Servatoris Sententiâ Matth. 16. inti... tum: *Quid prodest Homini, si Mundum universum lu... tur, Anima verò sua Detrimentum patiatur? aut quam ... bit Homo commutationem pro Anima sua?* Unde Sanctus ... c. 29. monet; *Recupera Proximum secundùm Curam ... tuam, & attende tibi, ne incides.* Atque hoc ipsum ... firmans S. Bernardus ser. 18. super Cant. *Si sapis, ... Concham te exhibebis, & non Canalem; hic siquidem ... simul & recipit, & refundit; illa verò, donec impleat ... expectat, & sic, quod superabundat, sine damno ... municat.*

Secundum, quia sicut S. Ignatius suos monere solitus ... persuasum sibi habere debet, se in medio Nationis pravæ ... que perversæ, & non cum perfectis planéque Sapientibus ... Hæc

minibus vivere, atque adeò, ne, ut Oseæ c. 4. dicitur, *sicut Populus, sic Sacerdos*, & luem Peccati ab Infir-, quibuscum agit, contrahat, Salutaribus priùs Antido- Orationis, Mortificationis, Humilitatis, aliarúmque rmatum bene armandus est.

Tertium, quia hæc suiipsius Cura & virtutis studium plùs Salutem Proximi promovendam conducit, quàm Doctri- & alia quæcunque dona naturalia vel humana; *illa enim*, S. Ignatius sapienter advertit, *interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanere ad finem nobis propositum oportet*; unde S. Paulus ad Corinthios 1. c. 2. scripsit: *Sermo meus & Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ Sapientiæ Verbis, sed in ostensione Spiritûs & Virtutis, ut Fides vestra non sit in Sapientia Hominum, sed in Virtute DEI, non in Sapientia Verbi, ut non evacuetur Crux Christi.*

Punctum III.

Ut ergo tantò faciliùs & efficaciùs hanc tui ipsius Curam suscipias, ante omnia commendatum tibi sit triplex medium, nimirum

Studium Orationis avidissimum
Ad obtinendam Gratiam.
Studium Mortificationis continuum,
Ad purificandam Conscientiam.
Studium Humilitatis necessarium
Ad cavendam vanam Gloriam.

Quorum primum quidem requiritur, quia *qui rectè novit orare, novit & rectè vivere*, teste S. Augustino. Secundum, quia *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum Concupiscentiis suis.* Gal. 5. Tertium, quia *perit omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur*, ut rectè S. Gregorius dixit:

Deinde ne, dum amas pericula, pereas in illis, sequentia tria velut Syrtes Sacerdotum peculiari studio devita, & ideo

Degesta Vinum modicè
Ob vitandum Scandalum.
Age cum Feminis Angelicè
Ob cavendum periculum.

Tracta pecuniam cautè
Ob fugiendum vitium.

Denique frequenter te recollige, & renova; quia, ut S. Gregorius rectè monet, *si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necessarium est, ut inchoare nos quotidie studeamus.* Hinc & Christus Apostolis Marc. 6. dixit; *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.*

Meditatio III.
pro 7. Die.

De Christi Sepultura et Descensu ad Inferos.

Scopus.

Charitatis erga Defunctos exercendæ studium.

Punctum I.

Considera I. Quanta cum charitate & reverentia Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus Corpus Christi sepeliendum curæ mandârint, utpote quod firmissimè crediderunt, esse ipsum Corpus, quod ad exolvendum Redemptionis humanæ pretium æterno Patri oblatum fuit.

Considera II. Quàm gratum fuerit hoc obsequium Christo; si enim jam olim DEO tantopere placuit obsequium Tobiæ Senioris in mortuis clam noctu sepeliendis, ut illud ipse S. Angelus Raphaël commendans dixerit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas in domo tua; & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Tob. 12. quantò magis placuisse credenda est Sepultura ipsi DEI Filio, eo tempore, quo ab omnibus derelictus aut sepulturæ carere omnino, aut parùm honorificam accipere debebat, non tanta charitate & liberalitate præstita.

Considera III. Quàm præclaram occasionem, hanc charitatem Christo exhibendi habeat quivis etiam Sacerdos Curam Animarum gerens, si cum debitis Cæremonijs & sincera Miserationis affectu mortuos suos Parochianos ad Sepulturam deducat; quàm longè præstantiorem Myrrham & Aloen Orationis videlicet & Sacrificij, ipse adhibeat, gratissimi

go adeò non Defunctis modò, sed ipsi etiam Christo, qui ille Obsequium perinde, ac si sibi factum esset, acceptat, exhibeat. Vide proin, quomodo hactenus te hac in parte gesseris, aut gerere deinceps velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Cur Christus ad Inferos post mortem descenderit, scilicet ut Diabolis quidem aliisque Damnatis terrorem incutiens ostenderet, quem Peccatis suis tam graviter offendissent, quámque spem Homines damnati habere potuissent Redemptionis, si per veram Pœnitentiam ejusdem participes se facere voluissent; eos verò, qui in Limbo & Purgatorio degebant, eductos, secum in Paradisum cælestem deduceret, sícque etiam Charitatis erga Defunctos exercendæ pulcherrimum Exemplum relinqueret.

Considera II. Quàm copiosa omnibus quidem Hominibus, sed præcipuè Sacerdotibus suppetat Occasio hanc Christi Charitatem imitandi, ut qui ex Officio suo tenentur, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro ipsis offerre, & Ecclesiasticam Sepulturam præstare, & Preces pro Defunctis ab Ecclesia præscriptas offerre, & præterea etiam per Exhortationem tam privatam, quàm publicam alios ad similem Charitatem exhibendam incitare possunt, sícque Misericordiam juxta mensuram maximam, scilicet bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem dispensare in sinum Defunctorum.

Considera III. Quomodo hactenus hanc occasionem æstimáris & arripueris, & deinceps quoque arripere velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quàm multa potentiáque motiva habeat Sacerdos ad hanc Charitatem Defunctis præcipuo studio exhibendam; nam si 1. se ut *Pastorem* consideret, earum Animarum, quæ fortè ex ejus Parochianis in Purgatorio hærent, an non æquissimum videtur, ut Oves tam pretioso Sanguine Christi emptas, in gravissimum Purgatorij ignem delapsas ex tali incendio liberare studeat? an non timebit S. Augustini increpationem dicentis: *Cadit Asinus, & omnes eum sublevare festinant: Clamat Porcus, & cæteri cum eo Porci*

clamare non cessant: Clamat inter tormenta Fidelis, & vox est, qui eum eripiat. Ecce vestra Inhumanitas. 2. Si ecce *Sacerdotem* spectet, qui potestatem accepit, panem & vinum Eucharisticum offerendi; an non ipsi potissimùm conveniat Tobiæ Senioris monitum Tob. c. 4. *Panem tuum & vinum tuum super Sepulturam Iusti constitue?* 3. Denique si ecce ut *Legatum* à Christo ad Animas in cælestem Patriam deducendas consideret, an non æquissimum iterum videbitur, si sicut eos in vitæ itinere peragendo tam sollicitè promoverit in termino jam propè constitutos non deserat, ne, ut P. Jacobus Laynes Soc. JESU Generalis dicere solebat, justa illis causa, Charitatem suorum Ductorum velut imperfectam & mancam accusandi, & querendi, se extremo in discrimine, eóque loco destitutos fuisse, ubi nullam omnino sibi opem afferre queant.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva, & vel etiam ex capite æstimanda, quòd, cùm Sacerdos frequentiores peccandi occasiones habeat, ipsiúsque peccata aliorum Hominũ peccatis longè graviora sint, meritò graviùs etiam Purgatorium timere debeat, quàm alij; à quo tamen seipso liberandi efficacissimum est remedium, si quàm plurimas animas ex hoc Igne liberare studeat, tunc enim sperare potest impletum iri illud Christi: *Quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6. *Et Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Matt. 5.

Considera III. Quomodo hæc media hucusque adhibueris, & deinceps etiam adhibere velis. Colloquium.

Vide etiam Ludovicum de Ponte p. 5. Medit. 1.

Conclusiones.

I. Ergo audi Siracidem c. 22. monentem: *Supra mortuum plora; defecit enim lux ejus*, seu occasio seipsum juvandi, & meritoriè operandi.

II. Ergo exclama cum S. Maria Magdalena de Pat. quantùm, DEVS meus, tuam Majestatem orare debemus pro Animabus illis miseris, quæ ad te videndum & fruendum anhelant! O pietatem! O pietatem! O misericordiam! O misericordiam! O Sanguis Christi descende, descende, & hasce Animas libera! O pauperculæ, quæ tantùm patimini

nihilominus estis ita hilares ac contentæ! Omnium Martyrum tolerata supplicia sunt ad instar amœnissimi viridarij respectu eorum, quæ in Purgatorio exantlantur.

III. Ergo audi & S. Paulum hortantem 1. Cor. 8. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat; & illorum abundantia sit vestræ inopiæ supplementum*, si scilicet ad Cælos veniunt. Legatur etiam l. 3. c. 48.

QUARTA HEBDOMAS.

Hujus Hebdomadæ, quæ ad viam unitivam spectat, potissimus Scopus est, gaudiorum & fructuum, qui ex perfecta cum DEO Unione seu Amore oriuntur, magnitudinem considerare, & ex tali consideratione majus in se Ejusdem Unionis seu Amoris desiderium excitare. Cùm verò hæc magnitudo ex ipsius Christi velut Capitis nostri gloriosa Resurrectione & Ascensione clarissimè eluceat, ideo meritò de his Mysteriis Materia pro Meditationibus hujus Hebdomadæ præscribitur.

MEDITATIO I.

Pro 8. Die.

DE GLORIOSA CHRISTI RESURRECTIONE.

Scopus.

Desiderium futuræ Resurrectionis.

Tessera.

Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEVM Salvatorem meum. Job. 19.

Punctum I.

Considera I. Quomodo contigerit hæc Resurrectio, scilicet per unionem Animæ Christi cum Corpore, & communicationem Beatitudinis ipsi Animæ, Dotum verò gloriosorum, puta Impassibilitatis, Agilitatis, Subtilitatis, ac Claritatis ipsi Corpori factam, & quidem in summo gradu, prout summa Christi Virtus & Sanctitas merebantur.

Con-

Considera II. Quantopere gaudere debeas ob hanc Resurrectionem Christi, tum propter ipsum tanquam Caput tuum (si enim dum gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, quantò magis tam gloriosè coronato capiti tuo te Eidem summè gratulari & congaudere conveniet) tum propter tuum commodum; si enim, cùm Hostis quispiam universalis Patriæ debellatus est, commune quoque omnibus Incolis gaudium & jubilatio exoritur; quantò magis te exultare & gaudere conveniet, quando Capitalemmus Humani Generis Hostem triumphatum à Christo sua aulis?

Considera III. Quantus tibi quoque hinc stimulus addebeat ad omnes tam Corporis, quàm Animi molestias sanctina cum Alacritate Constantiáque perferendas, si memoris, te, sicut Christo compassurus es, ita conglorificatum quque iri cum ipso; & sicut Socius Passionum fueris, ita & Gloriæ futurum. Vide proin, quomodo hoc stimulo usus habnus fueris, & uti deinceps velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Cur Christus post Resurrectionem suam mlongo adhuc tempore in terris permanere, & cum Discipconversari voluerit, nimirum ut non modò Resurrectionnostræ Corporalis articulum suâ præsentiâ magis confirmret; sed etiam ad spiritualem Resurrectionem secum instituendam excitaret.

Considera II. In quo consistat hæc spiritualis Resurctio, scilicet in hoc, ut veterem nostrum Hominem sucrucifigamus, & novum induamus, idque per *Impassibilitatem* (id est, immunitatem ab omni peccato velut unico proprio malo) *agilitatem* seu promptitudinem ad obsequium divinum, & Proximi nostri auxilium: *Subtilitatem* Efficaciam in penetrandis obstaculis perfectionis: & *Claritatem* spiritualem boni Exempli, & solidæ doctrinæ demstremus; ex his quippe indiciis vera Resurrectio spiritucognoscitur.

Considera III. Quibus potissimùm mediis ad hanc Rerrectionem spiritualem uti debeas, nimirum quòd sicut Chstus Virtute propria resurrexit; ita & tu tibi ipsi gener

violentiam inferte, téque non morti duntaxat spirituali, id est peccato violenter eripere, sed etiam ad vitam spiritualem deinceps instituendam excitare velis. Vide proin, quomodo id hactenus feceris, aut deinceps facturus sis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quòd Christus post Resurrectionem suam variis etiam Personis, præsertim Sanctissimæ Matri suæ, Apostolis, Discipulis, Mariæ Magdalenæ, aliisque Mulieribus apparuerit, ac singulare suâ præsentiâ gaudium creaverit, quod quidem tantò majus extiterat, quantò majorem quævis ejusmodi Persona ex illius doloribus & passione tristitiam conceperat.

Considera II. Quomodo & tu, si spiritualiter, ut superiori puncto dictum est, resurgere studeas, simile gaudium *Matri tuæ*, id est, Ecclesiæ: *Fratribus tuis*, id est, alijs Parochis & Operarijs: *Discipulis tuis*, id est, Parochianis, & alijs Fidelibus Christianis creare possis juxta illud pij Ascetæ lib. 1. c. 25. *Quàm dulce & jucundum est, videre fervidos & devotos Fratres, bene morigeratos, & disciplinatos!*

Considera III. Quantopere vel hoc solum etiam motivum tibi sufficere debeat ad Resurrectionem spiritualem totis viribus procurandam; si enim tantopere desideras, alia illicò temporalia gaudia & recreationes convivijs vel compotationibus creare, quantò magis conari debebis, ut Resurrectione tua spirituali eos recrees, ex qua potissimum semper lucrum tu ipse potiùs, quàm aspicientes reportabis. Inquire proin, quomodo hactenus hanc doctrinam cordi habueris, aut habere deinceps velis. Colloquium.

Vide etiam, si placet, Masenium. fol. 337. aut Theophilum Weyeri, fol. 224.

Conclusiones.

I. Ergo audi S. Paulum ad Rom. c. 6. hortantem: *Quomodo Christus surrexit à Mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & Resurrectionis erimus.*

II. Ergo sequere ejusdem consilium ad Colos. monentis:

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextra DEI sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO. Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

III. Ergo *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, Eph 5 communicans tibi claritatem suam, & implens illud, quod pius Asceta l. 3. c. 43. in ea Persona dixerat: *Ego sum, qui humilem in puncto elevavi mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si decem annis studuisset in scholis. Nam quidam angelus me intimè, didicit divina, & loquebatur mirabilia.*

Legatur etiam ex l. 3. c. 49.

MEDITATIO II.

Pro Octava Die.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

Scopus.

Studium magnæ gloriæ comparandæ.

Punctum I.

Considera I. Quanta cum gloria Christus à Patribus in limbo eductis in cælum deductus, quanto cum Jubilo à Sanctis Angelis è cælo obviantibus exceptus, & quanta cum exultatione à Patre æterno ad dextram gloriæ sit collocatus: si enim Romani olim tam glorioſos Triumphos ſuis Ducibus victoriis obtentas adornârunt; quantum à Patre amantissimo & potentissimo apparatum Filio ſuo Triumphum credemus, qui tantum Hoſtem, tam nobili & generoſa victoria devicit?

Considera II. Si Mortales tantopere exultant, ubi primariam quandam Urbem, è qua tamen ſæpe non grande emolumentum exſpectant, expugnatam audiverunt, quantopere tu exultare debeas, dum à Christo cælum, in quo tibi & æterna, & omni felicitate referta manſio paratur, expugnatum, & apertum intelligis.

Considera III. An, & quomodo hactenus gratum te obsequium, beneficium exhibueris, & exhibere deinceps velis. Colloquium.

Punctum II.

Considera I. Quâ de causâ præcipuè Christus à Patre suo cælesti tantopere exaltatus, & ad dextram suam sit collocatus? nimirum quia, ut S. Paulus ad Philipp. 2. dixit, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter hoc enim exaltavit illum DEVS, & donavit illi nomen super omne nomen* (& multò magis Gloriam super omnem Gloriam) *ut in Nomine IESV omne genu flectatur Cælestium, Terrestrium & Inferorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in Gloria est DEI Patris.* Ipséque jure ad Apostolos dixerit Matt. 28. *Data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra.*

Considera II. Quantopere tu quoque in amorem harum trium Virtutum, Humilitatis scilicet, Obedientiæ, & Patientiæ exardescere debeas, ut, quantò in illis similior Christo esse studueris in hac vita, tantò conformior quoque Eidem olim in Gloria sis futurus.

Considera III. Quàm multas habeas & præclaras occasiones harum trium virtutum exercendarum, quámque adeò cupidè eas amplecti debeas, ut, sicut Christi Personam potestate & officio repræsentas, ita in moribus quoque Eidem simillimus appareas. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Etsi Christus de facto ad cælos ascenderit, non tamen nos omnino sic deseruisse, ut non etiam in terris nobiscum permaneat, cùm signatè Matt. 28. Apostolis dixerit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Considera II. Quomodo Christus nobiscum maneat, nimirum quadruplici modo. 1. *Per realem existentiam in Eucharistia*: ob quam verè potest ad nos illa Levitic. c. 26. verba pronuntiare: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos Anima vestra. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis Populus meus.* 2. *Per cooperationem in Laboribus & Operibus nostris*: sic enim Ipsemet Joan. 15. indicavit dicens: *Ego sum Vitis vera, vos Palmites: Sicut Palmes non potest ferre fructum à semetipso,*

ipso, nisi manserit in Vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. 3. *Per Protectionem*, uti S. Cyprianus testatur dicens: *Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis.* Hinc Ipse quoque Joan. 16. c. dixit: *In Mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici Mundum. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.* 4. *Per Patrocinium*: Ipsemet Joan. 16. hortatus est: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis.* Et ideo etiam vulnera sua retinuit, ut tantò efficaciùs pro nobis oraret. Hinc & S. Joannes 1. Ep. c. 2. hortatur: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum justum, & ipse est Propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi.*

Considera II. Quanta ex hac Promissione Fiducia & Solatium cuivis quidem Christiano, sed præcipuè Sacerdoti oriri debeat, si meminerit, se Christum in Laboribus socium, in periculis Protectorem, in Orationibus Advocatum, & in languoribus Consolatorem habere? An non jure in quovis casu adverso & necessitate sibi dicentem imaginabitur, quem aliquando Apostolis in tempestate constitutis dixit: *Ego sum, nolite timere:* Matt. 14.

Considera III. An hactenus ejusmodi Fiduciam & Solatium habueris, aut certè deinceps habere velis. Colloquium.

Videri etiam potest Masenius. fol. 419.

Conclusiones.

I. Ergo audi S. Cyprianum ser. 6. de Martyribus hortantem: *Dimicate constanter, militate fortiter, scientes sub oculis Domini præsentis dimicare; quia non sic est Deus servos suos tantùm spectet, sed & Ipse luctatur in nobis, & congreditur, Ipse in certamine agonis nostri & coronatur, & coronatur.*

II. Ergo, ut monet D. Paulus ad Hebr. 6. *fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut Anchoram habemus Animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi Præcursor pro nobis introivit IESVS secundùm Ordinem Melchisedech Pontifex factus.*

III. Ergo age quod agis; fideliter labora in Vinea

mero merces tua (ait pius Author in Persona Christi l. 3. 147.) *Scribe, lege, canta, gema, tace, ora, sustine viriter contraria: digna est his omnibus, & majoribus præmijs vita aterna. Veniet & pax in die una, quæ nota est Domino, non erit non dies, neque nox, hujus scilicet temporis, sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma, requies secura.*

Legatur totum cit. caput 47. & illa verba bene perpendantur: O si vidisses Sanctorum in cœlo (& multò magis ipsius Christi) coronas perpetuas: quantâ nunc quoque exultant gloriâ, qui huic mundo olim contemptibiles, & quasi vitâ ipsâ indigni putabantur, profectò te statim humiliares atque ad terram, & affectares potiùs subesse, quàm præesse.

Consideratio pro VIII. die.

De Negotiatione Spirituali Sacerdotis.

Ut hæc consideratio, quæ quasi brevis Repetitio & compendium priorum erit, cum optato fructu peragatur, aptissima erit negotiationis, quam Christus Luc. 19. illis verbis: *Negotiamini, dum venio*: commendavit, similitudo, utpote in qua, quidquid ad vocationem Sacerdotis ritè exequendam requiritur, aptissimè indicatur. Quare, ut S. Gregorius Naz. monet, imaginare tibi, vitam tuam præsentem Nundinas esse spirituales, in quibus ampliſſima tibi offeratur occasio emendi, quidquid pro æterna vita necessarium tibi fuerit, ideóque more Negotiatorum, & Mercatorum sequentes industrias observa.

1. *Diligenter considera, quales & quantæ tibi merces sint necessariæ*; Et qualitas quidem mercium à S. Joanne Apoc. 14. clarè his verbis indicatur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos.* Quantitatem verò ex illis Christi verbis Jo. 6. colligere licet: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Tantæ ergo merces emendæ tibi sunt, quantæ sufficiant æternùm victuro. Heu quantæ! Quare audi consilium Salomonis Eccles. 9. & *quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* Ac quemadmodum olim Apel-

les quæsitus, cur picturas suas tam studiosè elaboraret? respondit: quia pingo Æternitati; ita & tu opera tua & labores cum omni diligentia & perfectione absolve, quia laboras, & emis æternitati.

II. *Cave, ne falsas merces pro veris emas; sed optimas semper emere studè:* Falsæ merces sunt Divitiæ, Honores, voluptates, quatenus in ijs præcisè sistitur, de quarum falsitate testatus est Salomon Eccles. 2. dicens: *Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sole.* Optimæ merces sunt virtutes, præcipuè charitas Dei & Proximi, patientia, humilitas, victoria & mortificatio &c. de quibus S. Bernardus dixit: *Vera opes non divitiæ, sed virtutes quas secum conscientia portat.* Itaque tibi dictum puta illud Apoc. 3. *Dicis, quòd dives sum, & ditatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.*

III. *Da operam, ut maturè, dum tempus est, emas:* Etenim Servator suo Exemplo docuit, dum Jo. c. 9. dixit: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Itaque audi S. Paulum Eph. 5. monentem: *Videte itaque Fratres, quomodò caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Non ergo *differas à die bono* (vitæ tuæ) *& particula boni doni* (id est temporis) *non te prætereat.*

IV. *Stude pariter, ut levi pretio quàm plurima merita emas:* quid autem levius bonâ intentione? bonis desiderijs tui ipsius oblatione? atqui secundùm horũ quantitatem tibi vel pauciores merces offeruntur. Audi ergo Apostolum 1. Cor. 10. monentem: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Gloriam Dei facite.* Audi & S. Augustinum de spiritu & anima sic docentem: *Ecce venale est regnum DEI, eme si vis. Nec magnum existimes de re magna propter pretij magnitudinem. Tantùm valet, quantùm habes. Noli quærere, quid habeas, sed qualis sis. Res ista valet tantùm, quantum es tu: te ipsum habe.*

Verbi illud. Audi denique eundem super Ps. 103. loquentem: *Coronat Deus intus voluntatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: non habeo. Charitas de sæculo non rogatur.*

V. *Cura, ut conserves, quæ emisti, & tutò in patriam præmittas*: Attende ergo, ut monet Christus Matt. 6. *ne justitiam tuam facias coram hominibus, ut videaris ab eis: alioquin mercedem non habebis apud Patrem tuum, qui in cœlis est.* Sequère potiùs consilium S. Bernardi S. 54. super Cant. dicentis: *In veritate didici, nihil esse æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altùm sapere, sed timere. Beatus homo, qui semper est pavidus*, & Latrones timens, merces suas, quantùm fieri potest, ab eorum oculis occultat, & per manus Angelorum ad cœlos deportari curat.

VI. *Frequenter super Negotiationem tuam te reflecte, & lucrum cum damno considera, computáque*: Certè hæc inter potiores sedulorum mercatorum industrias non postrema computatur; per hanc quippe errores deteguntur, damna præcaventur, desiderium lucri accenditur, industria acuitur, negotiatio prosperatur, & merces optatæ comparantur & augentur. Unde meritò summopere semper à patribus spiritualibus hæc reflexio commendatur.

Ut ergo concludam denique & hanc, & reliquas omnes considerationes, illis te pij Ascetæ verbis l. 1 c. 23. ad extremum adhortor: *Age nunc, charissimè, quidquid agere potes, quia nescis, quando morieris; nescit etiam, quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi divitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites: Solum, quæ DEI sunt, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, & eorum actus imitando, ut, cùm defeceris, in æterna illi te recipiant in æterna tabernacula. Serva te tanquam Peregrinum & Hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotijs. Serva cor liberum, & ad DEUM sursum erectum, quia non habes hic manentem civitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lachrimis dirige, ut spiritus tuus mereatur ad Dominum post mortem feliciter transire. Amen.*

MEDITATIO III.
Pro octava Die.

DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI

Scopus.

Ardens desiderium hujus divinissimi Hospitis.

Punctum I.

Considera I. Quomodo Spiritus S. super Apostolos venerit, nempe *factus est repentè de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam Domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedítque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. 2.

Considera II. Cur sub his potiùs formis, quàm sub apparuerit, & venerit super Apostolos, nimirum ut ostenderet, se ijs largitum fuisse tres dotes ad verum Apostolatum singulariter requisitas, quas Christus jam olim illis Luc. promiserat dicens: *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis os* (donum linguarum per linguas dispertitas significatum) *& sapientiam* (donum intellectus, sapientiæ, & ignis per ignem indicatum) *cui non potuerunt resistere, & contradicere omnes Adversarij vestri*; per quæ verba donum fortitudinis & consilij per ventum vehementer spirantem significatum innuebatur.

Considera III. Quàm præclari, & Sacerdotibus maxime optandi sint hi effectus, & quomodo tu hactenus cessaveris participaveris, aut deinceps te participem facere velis.

Punctum II.

Considera I. Quòd divinissimus hic hospes Apostolos non tantùm in ordine ad alios perficiendos instruxerit, sed vel maximè etiam necessarijs ad propriam perfectionem medijs copiosè ditârit, ideóque ardentissimum Dei amorem, qui per ignem præcipuè significabatur, infuderit; hinc

tatus postea Gloriæ divinæ & salutis animarum promovendæ zelus, tanta in adversitatibus perferendis constantia, & inter ipsas contumelias exultatio oriebatur, ita ut merito illa sponsæ Cant. 1. verba usurpare possent: *Introduxit me Rex in Cellam vinariam* (unde & musto pleni credebantur) *& ordinavit in me charitatem*, ut scilicet priùs eam erga me, postea erga alios ordinatè ostenderem.

Considera II. Quàm nobilis & Sacerdoti necessarius hic etiam sit effectus, ne, dum alios lucrari, & salvare cupit, ipse suæ animæ suæ detrimentum patiatur. Propterea, ut S. Paulus ad Hebr. 2. hortatur, *abundantiùs observare oportet nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.* nam ut S. Bernardus I. 18. super Cantica bene advertit, *benigna prudénsque charitas affluere consuevit, non effluere.* Hinc duas quoq; dictus Sanctus operationes Spiritus Sancti ponit, quarum priorem vocat *Infusionem*, quâ nos primò intus virtutibus solidat ad profectum; alteram *Effusionem* appellat: quâ foris quoque muneribus nos ornat ad lucrum.

Considera III. An tu hactenus hunc ordinem charitatis observâris, & quomodo eum observare deinceps velis. Colloquium.

Punctum III.

Considera I. Quomodo se Apostoli disposuerint, & præparârint ad hunc optatissimum Hospitem & ignem recipiendum, nimirum per tria media. I. Per recessum ab omnibus creaturis, dum in domum aliquam privatam se abdiderunt. II. Per orationem ardentem, cui toto illo tempore studiosissimè vacârunt. III. Per mutuam charitatem: quâ unanimes & conjuncti adventum promissi spiritûs exspectârunt.

Considera II. Quàm sapienter hæc media adhibuerint Apostoli, *Orationem* quidem, quia cùm omne donum optimum & perfectum desursum sit, haud dubiè donum hoc omnium donorum præstantissimum non aliter magis, quàm per orationem impetrandum erat: *Secessum* autem, quia cùm Spiritus S. velut amor divinus corrivalem non patiatur, meritò omnis priùs amor inordinatus rerum creatarum expellendus est, quemadmodum etiam lignum calorem & ignem non recipit, nisi priùs ab omni humore exsiccetur;

fraternam denique *charitatem*, quia indivisibilis est cum amoris divini, cùm *hoc*, teste S. Joanne 1. cap. 4. *habeamus mandatum à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Considera III. An, & quomodo tu hactenus has dispositiones habere studueris; & quomodo deinceps saltem cautiò diligentiùs procurare velis, quantò magis opus hinc hujus Sanctissimi Spiritûs adventu ac donis. Colloquium.

Vide etiam Theophilum Weyeri Hebd. 4. fol. 230.

Conclusiones.

I. Ergo clama assiduò cum Ecclesia: Veni S. Spiritus, & ple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

II. Ergo *ejice ancillam & Filium ejus* (id est, omnem amorem proprium & rerum creatarum) *non enim erit hæres* (& possessor hujus divinissimi doni) *Filius Ancillæ cum Filio meo Isaac* (id est divino amore) Gen. 21.

III. Ergo audi pium Ascetam in persona Christi l. 3. c. 7. loquentem: *Fili, pretiosa est gratia mea* (Spiritus S. adventus & infusio) *non patitur se miscere extraneis rebus, nec consolationibus terrenis. Abjicere ergo oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere. Tene secretum tibi, ama solus habitare tecum, nullum requirens confabulationem; sed magis ad Deum devotam effunde precem, ut compunctam teneas mentem, & puram conscientiam.*

Legatur etiam totum cit. caput, & attentè perpendatur præsertim ultimus paragraphus.

Meditatio pro nono die.

DE GRATITUDINE PRO ACCEPTIS IN SECESSV BENEFICIIS EXERCENDA.

Tessera: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? vota mea Domino reddam in conspectu omnis Populi.* Psal. 115.

Pri-

Punctum I.

Considera I. Quanta in hoc secessu beneficia à Deo acceperis: id facilè deprehendes, si ex una parte perpendas, quòd Deus, dum tot divinas Illustrationes & ardentia desideria, optimáque proposita tibi communicavit, semen quasi in cor tuum seminaverit; ex altera verò parte consideres, quam pretiosum & vertile sit hoc semen, quantæque Gloriæ & felicitatis tum in hac, tum in altera vita percipiendæ segetem inde sperare possis.

Considera II. Quantopere hoc beneficium crescat, si ipsum etiam seminandi modum, dum scilicet tot consolationes cœlestes & gustus spirituales ultra omne tuum meritum submittere dignatus est, attendas; tum enim clarè deprehendes ingentem prorsus fuisse DEI erga te liberalitatem ac munificentiam, & in eas Psalmistæ voces erumpes Ps. 8. *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum?*

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut tantùm beneficium gratâ mente agnoscas, ore grato deprædices, & ipso etiam opere compensare studeas. Colloquium ad SS Patronos, agendo gratias pro collatis in hoc secessu favoribus, & rogando, ut tua proposita Deo offerre, gratiámque ad ea exequenda uberem impetrare dignentur.

Punctum II.

Considera I. Quemadmodum terra pro accepto semine majores seminatori gratias referre non potest, nec aliæ etiam ab ea exiguntur, quàm ut acceptum semen gremio suo foveat, fructúmque ex eo trigesimum, aut centesimum progerminet; ita nec à te aliam gratiarum actionem magis requiri, quàm proposita in hoc secessu concepta executioni serió mandes, & quod ore facturum te pollicitus es, opere ipso confirmes; hæc enim gratiarum actio uti solidior, diuturnior, Deóque honorificentior, & tibi utilior est, quàm ea quæ voce tantùm præstatur, ita haud dubiè etiam eidem Deo, cœlitibúsque gratior existet.

Considera II. In quo consistat summa propositorum tuorum, quæ executioni mandare debeas, videlicet ut totis v

ribus gratiæ & vocationi respondeas, finémque Sacerdo-
bus propositum adipisci studeas, qui est

DEI honorem quærere,
Ut magis dilatetur.
Seipsum non negligere,
Ut anima salvetur.
Et proximum perficere,
Ut charitas servetur.

Considera III. Quàm facilis tibi futura sit executio
gratiam vocationis, magnitudinem præmij promissi, &
aliorum Sacerdotum fervorem, tum sæcularium longi
ra & difficiliora pro vilissimo lucro aut honore age
exempla perpendas. Statue proin omni conatu in hanc
cutionem incumbere. Colloquium ad B. V. cum simil
affectibus, ut in priore puncto indicatum est.

Punctum III.

Considera I. Quemadmodum ad hoc, ut terra fruct
non satis est, ut semen gremio quasi suo recipiat, sed
requiritur, ut per occationem ab avium insidijs defe
deinde per humorem seu cœlestem, seu terrestrem irri
& per calorem solis calefiat, ac fertile reddatur; ita
tis esse ad profectum tuum, ut plurima bona propos
ceperis (*Non enim omnis, qui dicit mihi, Domine, Dom
intrabit in regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem
tris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in Regnum cœlo
ait Christus Matt. 7.) sed insuper requiri, ut te I. ben
tra tentationes, quæ te perinde ac Christum post secess
vadent, bene munias, & constantiam contra quoscun
sultus teneas. II. Ut humorem gratiæ cœlestis per cru
& ferventem orationem, & Sacramentorum usum
quentiam attrahere studeas. III. Ut hoc semen propo
rum per diffidentiam humilem id viribus tuis, &
confidentiam in divino auxilio, soli cœlesti, id est, Deo,
teste D. Paulo, dat incrementum, exponas, & comme
IV. Ut tu quoque per tuam cooperationem, & medi
quæ per hos dies præscripta accepisti, sedulam ac cœl
tem praxin seriò collabores, ut cum Apostolo Cor. 15
cere possis: *Gratiâ autem Dei sum id, quod sum, &*

non vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego autem, sed Gratia DEI mecum.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad optatam propositorum executionem; & quàm æquum sit, ut ea diligenter & constanter adhibeas, illúdque servorum Naaman 2. Reg. 5. dictum tibi frequenter applices: *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi:* hæc paucula.

Considera III. Quomodo ea deinceps adhibere, sícque deliberatum fructum ferendo, reipsa probare velis, jactum à DEO semen in terram fertilem ac bonam cecidisse. Colloquium ad Christum cum intensissimis affectibus Gratitudinis, Amoris, Fiduciæ, Humilitatis &c.

Videri etiam potest Theophilus Weyeri Hebd. 4. f. 299. & 304.

Conclusiones.

I. Ergo audi devotum Ascetam l. 3. c. 9. in Persona Christi loquentem: *Nihil tibi de bono* (successu Exercitiorum) *adscribere debes, nec alicui Homini Virtutem attribuas, sed totum da DEO, sine quo nihil habet Homo. Ego totum dedi, ego totum habere volo, & cum magna districtione gratiarum actiones requiro. Ille* sanè *major & melior est, qui sibi minus adscribit, & in regratiando humilior est atque devotior.* l. 3. c. 23.

II. Ergo *si spiritualis à DEO consolatio data est, cum gratiarum actione accipe illam, sed DEI munus intellige esse, non tuum meritum. Noli extolli, noli nimiùm gaudere, nec inaniter præsumere: Sed esto humilior ex dono, cautior quoque & timoratior in cunctis actibus tuis: quoniam transibit hora illa, & sequetur tentatio.* l. 2. c. 9.

III. Ergo crede tibi à Christo repeti, quod olim Discipulis Joan. 15. *Iam non dicam vos Servos, sed Amicos; omnia enim, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Cave ergo, ne audire cogaris ab eodem Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.*

Legatur etiam l. 2. de imit. c. 10.

DIVISIO TERTIA

Octiduanæ Recollectionis per Parabolarum Considerationem faciendæ.

Proœmium.

QUàm frequenter Christus in suis Concionibus Parabolis seu similitudinibus ad compellendos & instruendos mortalium mores usus, ex ipso Evangelicæ doctrinæ contextu Matth. 13. patet, ubi dicitur: *Hæc omnia locutus est JESUS in Parabolis, & sine Parabolis non loquebatur eis.* Cur autem hunc modum præ aliis adhibuerit, rationem hanc esse ajunt Interpretes S. Scripturæ, quòd tum per Parabolas alius nobis plerumque proponatur eidem vitio vel virtuti obnoxius, sinceriùs de subpropositi honestate vel turpitudine judicium ferimus, & factâ deinde ad nos reflexione, miserum felicem Statum nostrum clariùs cognoscamus, atque ad eundem vel detestandum, vel conservandum vehementiùs incitemur. Unde & Ascetæ etiam, qui de modo fructuosè meditandi scribunt, hunc maxidum præ alijs commendant, dum post discussam aliqua virtute aut vitio factum, similem casum fingendum ajunt, quo quis se ipsum hoc modo alloquatur. Quid si hoc aut illud agentem quempiam videres, quod judicium de illo ferres? an non exardescerès in illum vehementer, aut summopere præ

prædicares? idem itaque erga te ipsum facito; tu enim es ille vir &c. Quare cùm, ut varietas delectet, alios etiam modos, secessum sacrum instituendi partim jam assignârim, partim adhuc assignaturus sim, placuit & hunc per Parabolas instituendum subministrare; quod eo etiam ex capite libentiùs faciò, quòd, cùm Sacerdotes Evangelia, in quibus Parabolæ continentur, frequenter pro Concione explicare debeant, id ipsum faciliùs & utiliùs præstare queant, si primò easdem meditando ruminârint; & in eadem meditatione ignis, seu Zelus ac desiderium alienæ salutis promovendæ exarserit. Neutamen à Scopo talibus Exercitijs præfixo discederem, easdem Parabolas sic ordinare studui, ut & quatuor hebdomadarum distributio servaretur, & propriæ cuique hebdomadæ meditationes assignarentur, uti in progressu patebit.

MEDITATIO PROOEMIALIS.

Scopus.

DESIDERIUM AD EXERCITIA FRUCTUOSE SUBEUNDA EXCITANDUM.

Punctum I.

COnsidera I. Cur Christus non modò ipse, antequam Prædicationis officium susciperet, in desertum per 40. dies secesserit, uti Matth. 4. legitur, sed etiam Discipulos suos ad similem solitudinem invitârit dicens Matth. 6. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Nimirum causam esse, ut semoti à quotidianis curis, & hominum turbis seipsos inspicerent, & quid ad suam aliorúmque salutem abundantiùs promovendam deesset, à Spiritu Sancto edocti intelligerent.

Considera II. Quantopere tu quoque opus habeas ejusmodi quiete, utpote qui toties hactenus expertus sis ab ordinarijs

narijs tuis officijs, curis, desiderijs, negotijs &c. Spiritum tuum propemodum oppressum esse, atque adeò nihil magis quàm liberam respirandi in Domino facultatem desiderare.

Considera III. Cùm Christus ultrò te, támque benemè ad talem solitudinem & quietem invitet, quàm grato animo tantum beneficium agnoscere, quámque adeò promptâ voluntate eundem in desertum spirituale sequi, omnibus in rebus, quas tibi ibidem aut omittendas, aut exequendas præscripserit, perfectè obsequi debeas, id quod facies, Ductris tui spiritualis ductum in omnibus accuratè observe. Colloquium ad SS. Patronos, quos rogabis, ut felicem recessûs hujus successum Suffragijs suis à DEO impetrare conentur.

Punctum II.

Considera I. Cùm ex una parte noveris, eâ potissimùm causa à Christo te in solitudinem duci, ut loquatur ad cor tuum, illúdque emolliat, ac cum suo corde uniat, ut fiat secundùm cor DEI; ex altera verò parte iterum propriâ experientiâ didiceris, quàm durum ac difficulter flexibile cor tuum, utpote quod à tot támque efficacibus Christi, superiorúmque ac Patrum spiritualium adhortationibus emollitum non fuerit, quantopere desiderare debeas, & verò enixè suppliciter à Christo rogare, ut in his exercitijs efficaciorem quendam modum adhibeat, ad idem cor tuum expugnandum, & voluntatem tuam Sanctissimæ illius Voluntati perfectè aliquando subijciendam.

Considera II. Quòd jam olim Christus nullum alium modum frequentiùs quàm per parabolas loquendi adhibuerit, ídque duplici potissimùm de causa, ut Scripturarij tradunt, tum quia scilicet Parabolæ propter collationem familium eum spiritualibus miris modis affectus nostros commutant, voluntatémq; nostram ad quodcunq; volunt, pertrahunt, uti Nathan in Davide expertus est; tum quia doctrina per parabolas tanquam sensibiles species propositæ firmiùs memoriæ adhærent, uti vel nos ipsi quotidie experimur.

Considera III. Cùm hunc ipsum modum Christus etiam in his exercitijs adhibiturus sit, quanto cum desiderio, & insignis alicujus fructûs reportandi te ad illa accingere,

ad Samuelis assiduò ingeminare debeas: loquere Domine, quia audit servus tuus. Colloquium ad B. V. rogando, ut quemadmodum illa omnes Christi Parabolas, & alia verba diligentissimè conservabat, conferens in corde suo, ita similem tibi quoque à Filio suo gratiam impetrare dignetur.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm requiratur, aut conducat, ut quis optatum ex tali solitudine & conversatione cum Christo fructum reportet, nimirum duo hæc; ut omnia impedimenta, quæ obstare possent, quò minùs Christi vocem perfectè faciléque percipias, fortiter removeas, & ut copiosum lumen obtineas, quo doctrinam in parabolis proponentis contentam clarè intelligas.

Considera II. Quænam illa sint impedimenta, quæ tibi potissimum obstare posse videntur, nimirum negotia, curæ, conversatio humana, & affectus quicunque inordinatus erga creaturas; vide proin, quomodo hæc removere, omnésque animi vires ad Christi vocem & doctrinam excipiendam convertere velis.

Considera III. Unde lumen illud spirituale, quod secundo loco necessarium tibi esse dixi, petere debeas, videlicet ab eo igne, qui in die Pentecostes supra Apostolos descendit; imò & supra ipsum Christum, antequam in desertum secederet. Da operam proinde, ut ad Christi exemplum priùs baptizeris aquâ sinceræ contritionis aut pœnitentiæ, ut tanto aptior fias ad hunc divinissimum ignem dignè suscipiendum. Colloquium ad Christum, in quo præter alios affectus illa Sponsæ verba frequentiùs repetere proderit: sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Aut certè illa Apostolorum: *Domine, quò ibimus?* verba vitæ æternæ habes. Subjunges insuper hymnum *Veni S. Spiritus*, eóque tam necessariam ejusdem Numinis assistentiam demissè petes.

Legatur ex lib. de imit. Christi l. 1. c. 20. & illa maximè verba bene perpendantur: in silentio & quiete proficit anima devota, & discit abscondita scripturarum. Ibi invenit fluenta lacrymarum, quibus singulis noctibus se lavet, & mundet, ut conditori suo tantò familiarior fiat, quantò longiùs ab omni sæculari tumultu degit.

Pro

Pro prima Die.

Meditatio I.

DE FINE HOMINIS ET SACERDOTIS.

Scopus.

Propositum serium tam suam, quàm proximi salutem studiosiùs deinceps procurandi.

Tessera.

Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine peregrè proficiscente, vocante servos suos, & varia talenta tradente, quam Matthæus c. 25. describit sequentibus verbis: *Homo proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & negotiatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis, & accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem, & qui duo talenta acceperat. Et ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem, & qui unum talentum acceperat: ait, Domine, scio quia homo durus es, metis, ubi non seminasti; & congregas, ubi non sparsisti: & timens*

ili, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo committere pecuniam meam Nummulario, & veniens ego recepissem utique, quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta; Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

Considera II. Qualem exitum habuerit negligentia servi, qui talentum suum abscondit; qualem è contrario illorum diligentia, qui totidem alia talenta lucrati sunt.

Considera III. Si tibi optio daretur, alterutram horum servorum sortem eligendi, an non potiùs cum diligentibus operari, atque adeò simile à Domino præmium exspectare, quàm cum pigro illo servulo talentum defodere, & tam gravem tibi accersere pœnam malles? Vide ergo, quid hactenus egeris, & deinceps saltem in meliorem partem te resolve. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Qualia sint talenta, quæ tibi à Domino tuo concredita sunt, nimirum omnia illa media, quæ tibi sunt in ordine ad tuam proximique salutem procurandam concessa, qualia sunt ex naturalibus quidem ingenium, scientia, vires corporis &c. ex supernaturalibus verò vocatio ad religionem, gratia vocationis, exercitia virtutum juxta instituti normam suscepta &c.

Considera II. Quàm præclara sint hæc talenta, sive dantis charitatem in vocatione, sive accipientis vilitatem, & ingratitudinem, sive ipsorum talentorum propriam excellentiam, & dignitatem; sive lucrum per illa faciendum, scilicet tuam, proximique salutem, sive denique præmium à Domino ob fidelem administrationem offerendum consideres.

Considera III. Si ab ijs, qui tam exigua talenta acceperunt, tam severa ratio exigitur, è contrario autem tam amplum fidelis servitij præmium promittitur, quantum tu, si tam præclara talenta malè impenderis, pœnam, indignationem-

némque timere; aut quantam, si bene collocaveris, retributionem à DEO exspectare possis; quámque adeò novos animos concipere debeas ad eadem talenta, quàm optimè pueris, in tuam, proximíque salutem impendenda. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quis sit modus ille optimus prædicta talenta collocandi, nimirum si nihil aliud cogitaveris, loquaris aut operatus fueris, quàm quod DEUS vult, quo modo vult, & quia vult, id est, si semper occupatus sis in ijs rebus, quas obedientia præscribit; sed & modum, qui tibi vel à Superioribus, vel à regula præscribitur, sedulò observaveris; & nihil aliud in tali exercitio, quàm solum DEI beneplacitum ultimatè quæsieris.

Considera II. Quàm facilis sit hic modus, sive illum in... sive auxiliorum à DEO offerendorum copiam & efficaciam, sive sociorum cooperantium exempla, sive præmij pro... magnitudinem consideres.

Considera III. Quid te potissimùm ab hoc modo ali... bendo hactenus impedierit, & quomodo vel nunc tale ... pedimentum toto animi conatu removere velis. Colloquium ad Christum repetendo assiduè tum illud Davidis ... 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* tum illud servi Matth. 18. *Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Vide, si placet, Ambrosij Nolæ p. 2. Medit. 185. fol. 486.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 25. & illa maximè verba ... perpendantur: igitur ad profectum ferveas, quia merces laborum in brevi recipies, nec erit tunç amplius timor dolor in finibus tuis? Modicum nunc laborabis, & magnum requiem, imò perpetuam lætitiam invenies.

Pro prima Die.

Meditatio II.

Scopus.

Seria detestatio peccatorum antiquorum, & vitæ nov... inchoatio.

Pr...

Punctum I.

Considera I. Parabolam de filio prodigo, quam D. Lucas c. 15. sequentibus verbis describit: *Homo quidam habebat duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam; Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. Et postquam omnia consummâsset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit uni Civium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quos porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reversus dixit: quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in Cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad Patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super Collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei Filius: Pater peccavi in Cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus: Dixit autem Pater ad servos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius ejus senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit Symphoniam, & chorum: & vocavit unum de servis, & interrogavit, quid hæc essent? Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit Patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substan-*

tiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt: epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit, perierat, et inventus est.

Considera II. Quàm bene tota hæc Parabola tibi conveniat, imò quot partibus tua stultitia Parabolici hujus stultitiam excedat, sive Patrem, quem reliquisti considera, sive substantiam, quam dissipâsti, puta, inspirationes, auxilia supernaturalia, virtutes, gratiam, merita &c. amissa, sive meretrices, quibus adhæsisti, scilicet mundanas, carnales cupiditates perpendas, sive ipsorum peccatorum, quæ toto discessûs tui tempore commisisti, multitudinem, gravitatem spectes.

Considera III. Quem fructum ex omnibus hisce peccatis tuis reportâris, an non æqualem filio prodigo? ut scilicet perpetua fame & concupiscentia turpium voluntatum cruciatus fueris, & his ipsis voluptatibus velut siliquis porcorum animum tuum pascere desiderâris, nec tamen unquam illas satiari potueris, sed exclamare cum Salomone ecclesis Eccl. 2. *Cúmque convertissem me ad universa opera quæ fecerunt manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi.* Vide ergo, an non æquum sit, ut cum filio prodigo in versus dicas: *Quanti mercenarij* (id est, Religiosi mei Altissimi DEO fideliter servientes) *in domo Patris mei abundant panibus* (id est, veris & solidis consolationibus, ego autem *hic fame pereo. Surgam, et ibo ad Patrem meum &c.* Loquium ad SS Patronos, ut facilem tibi ad Patrem um suis Suffragiis obtineant.

Punctum II.

Considera I. Quanto cum gaudio & charitate recilius prodigus à Patre suo exceptus sit, nam 1. Misericmotus est. 2. Accurrit. 3. Cecidit super collum ejus. sculatus est eum. 5. Stolam & calceamenta proferri 6. Convivio pingui eum adhibuit. 7. Symphoniam præcepit. 8. Contra fratris invidiam & murmurationem fendit. quæ omnia manifesta sunt indicia singularis ex tali reditu conceptæ.

Considera II. Quàm multis partibus felicior reditus tuus futurus, maximè si stolam gratiæ, quam tibi circumdabit convivium securæ mentis, aut etiam Evchariſtiæ, ornamenta cælestium donorum, quæ tibi paravit &c. perpendas; quantò majus item gaudium non tantùm cælesti Patri & Christo, B. V. & Sanctis, sed etiam Domesticis, Externis, Deactis, & tibi ipsi ex tali tua reversione sit exoriturum, ut veapplicari possit illud Luc. 1. *Multi in nativitate ejus* (& reversione) *gaudebunt.*

Considera III. Quantos stimulos hæc omnia tibi addere debeant, & debeant ad hoc propositum tuum quàm celerrimè, perfectissimèque exequendum, ut, qui hactenus tantam, quantum in te erat, tristitiæ materiam DEO, SS. & proximo dedisti, deinceps offensam talem multiplicato gaudio compenses. Colloquium ad B. V. illud S. Augustini cum lacrymis usurpando: *Per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud eum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilis tua DEO grata nostræ veniam impetret vanitatis.*

Punctum III.

Considera I. Quàm grato animo Filius hic prodigus tantum Patris sui beneficium & favorem agnoverit, quantâ charitate deinceps eum prosecutus sit; si enim juxta Christi sententiam Lucæ c. 7. cui plùs dimittitur, plùs diligit, quantum diligere debebat, cui tam multum remissum est? quàm cautus deinde fuerit in omnibus occasionibus vitandis, per quas prius seductus, & in tanta mala præcipitatus fuerat.

Considera II. Quantò magis tu hæc omnia præstare debeas, utpote qui, sicut plura longè & graviora peccata commiseras, ita majus etiam in eorum remissione beneficium acceptisti, atque adeò majorem quoque gratias agendi, & diligendi obligationem contraxisti.

Considera III. Quomodo huic tuæ obligationi satisfacere, & vel hinc occasionem & causam perfectissimæ vitæ instituendæ sumere velis. Colloquium ad Christum, & æternum Patrem, illud frequenter reperendo: *Pater, peccavi in cælum,*

lum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.
Vide Spinolam p. 2. Med. 163. fol. 420.

Legatur ex lib. 3. de Imit. c. 5. & illa verba matiné bene perpendantur: nihil sic timeas, sic vituperes, & fugias, sicut peccata tua, quæ magis displicere debent, quàm quælibet rerum damna.

Pro prima Die.

MEDITATIO III.

Seu

Si magis placet, Consideratio de Radice peccatorum, seu Concupiscentia.

Scopus.

CONCVPISCENTIÆ ERADICANDÆ PROPOSITVM.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de divite horrea, ædificante, quam S. Lucas c. 12. sequentibus verbis describit: *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt?*

Considera II. Quis sit Scopus per hanc parabolam Christo intentus, videlicet, ut doceret, quàm vana esset cupido temporalium bonorum concupiscentia, quámque adeò omnibus viribus è corde ejicienda, ideò enim mox post absolutam parabolam adjecit: sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.

Considera III. An non in te quoque fuerit similis hic annus concupiscentia, pro qua adimplenda tot inanes inquietudines que solicitudines gesseris; an non illis meritò annume-

meris, de quibus S. David Ps. 38. dixit, *universa vanitas omnis homo vivens; in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur; thesaurizat, & ignorat, cui congregabit*. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quantorum malorum radix fuerit huic diri concupiscentia, & abundantia bonorum & voluptatum temporalium, nimirum omnium illorum vitiorum, quæ ex hoc, convivijs, nimio potu & cibo oriri solent.

Considera II. An non similes effectus in te quoque produxerit hujus vel illius rei, quam tam inordinatè hactenus appetisti, concupiscentia? an non omnium aut plerorúmque vitiorum & imperfectionum tuarum causa & origo extiterit? Unde bella & lites in vobis? nónne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in membris vestris.

Considera III. Si neminem in domo tua patereris, qui pacem turbaret inter domesticos, variáque & gravia tibi ac illis damna crearet, an non æquissimum sit, ut tam noxiam tibi concupiscèntiam ex animo tuo penitus ejicias, memor sententissimæ illius doctrinæ ab Authore lib. de imit. 3. c. 27. hæc his verbis: Juvat igitur, non quælibet res adepta, & delata ex corde radicitus: Crede ergo dictum tibi à DEO, quod olim Sara Gen. 21. Abrahamo dixit: Ejice ancillam hanc (concupiscentiam) & filium ejus (id est inordinatum amorem) Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quo potissimùm medio DEVS hunc divitem a concupiscentia sua avertere conatus sit, nimirum illis verbis: *Stulte hâc nocte animam tuam repetent à te, & quæ parâsti, cujus erunt?* quasi diceret, cur fili mi quæris vanitatem, & mendacium, & non potiùs desideras verum & æternum bonum? cur siti animæ tuæ extinguendæ eligis guttam emoticam ex lacuna sordidarum voluptatum haustam, & non potiùs os animæ tuæ fonti vivo, & puteo aquarum viventium applicas? cur amas bona, quæ quotidie peribunt, & cum illis & tu peribis millies, & non potiùs amas æternum bonum, ut æternùm beatè vivas, & interim bene vivas? cur a-

mas bona, quæ indigent bono, & non potiùs diligis bonum quod affluit bonis? cur amas bona, quæ nolunt à te amari & non potiùs amas eum, quem omnia volunt amare? cur amas formas, quæ te deformant, & non potiùs amas eum, qui si amaveris, faciet te formosum? cur amas bonum, quod alius amet, invides, aut irasceris, & non potiùs amas bonum quod, ut omnes ament, optabis & gaudebis?

Considera II. Quàm efficax sit hoc medium, uti probant alios multos expertus est Rollandus, qui, postquam diem integrum in delicijs consumpsisset, tandem noctu ad se reversus cogitavit: & quid mihi relictum est ex his omnibus delicijs, quæ hodie percepi? an non, quòd de die hoc modo in die, ita, ideni olim de tota vita judicaturus sum? Cur ergo, anima, vagaris per creaturas, quærens bona animæ & corporis? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit. Fecit & sequenti die Religionem ingressus est.

Considera III. Quomodo tu quoque idem medium habere velis, & vel hodie ita omnibus renuntiare, ut cum sanctis Apostolis dicere possis illud Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* Colloquium ad Christum frequens illud S. Augustini l. 10. c. 27. repetendo, *serò te amavi, pulchritudo tam antiqua & bona*, serò te amavi. Ecce tu intus eras, & ego foris, mecum eras, & tecum non eram. Item illud S. Davidis Ps. 72. *quid mihi est in cœlo, & à te, quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vide Spinolam p. 2. Medit. 153. fol 391.

Legatur ex lib de imit. 3. c. 32. & illa maximè verba perpendantur: Tene breve, & consummatum verbum: omitte omnia, & invenies omnia; relinque cupiditatem, & invenies requiem.

Pro prima Die.

Meditatio IV.

De Morte Justorum et Peccatorum.

Scopus.

Propositum se bene præparandi ad mortem.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de servo vigilante, & Domini à Nuptijs redeuntis adventum exspectante, quam S. Lucæ 12. sic describit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominũ suum, quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei: Beati servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Etsi venerit in secundâ vigilia, etsi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ita & vos estote parati, quia horâ, quâ non putatis, Filius hominis veniet.* Vide itaque, quis Scopus à Christo per hanc parabolam intentus sit, scilicet ut nos adhortaretur, ad mortis horam semper ob oculos habendam, atque adeò omnia illa media adhibenda, quæ ad vitam sanctè felicitérque claudendam conducere possunt.

Considera II. Quidnam sit, quod potissimùm in servo Parabolico Christus requisivit, & laudavit, nimirum *vigilare*, id est, non somnolenter officia ad verum DEI servum, id est, Sacerdotem, spectantia obire. 2. *Quoad lumbos succinctum fore*, id est, omnes carnis concupiscentias, quæ à perfectione potissimùm impediunt, per mortificationem refrænare. 3. *Lucernas ardentes in manibus tenere*, id est, totam vitam suam sanctissimo DEI beneplacito (quod juxta Davidem Ps. 118. est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris conformare.

Considera III. Quomodo hæc omnia hactenus observaveris, & observare deinceps velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quale præmium Christus promiserit servo vigilanti, nimirum quòd beatus sit futurus, & super omnia bona constituendus.

Considera II. Quænam sit illa beatitudo, quænam bona super quæ constituetur talis servus, nimirum illa, de quibus Apostolus 1. ad Cor. 21. dixit, quòd nec oculus ea viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderint. Illa item, de quibus S. David Ps. 16. dixit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Considera III. Quàm dignum sit hoc præmium, ut propter illud omnia supra dicta capita exactissimè impleas, & observes, maximè si perpendas, quàm multò difficiliora obsequia exhibeant filij hujus seculi, ut præmium longè caducùs, & beatitudinem tantùm apparentem, paucisque annis duraturam obtineant; an non vel horum exemplo ad filialem servi officium perfectè præstandum te excitabis, illúdque S. Augustini olim efficaciter propositum objicies: *potuerunt isti & istæ, & ego non potero?* an non & illud Naamo à Heliseo suis 4. Reg. 5. dictum applicabis, paucis mutatis, & dices: *si rem grandem tibi dixisset DEVS, certè facere debuisti*, quantò magis, quia nunc dixit tibi: Vigila, sint lumbi tui præcincti, & luçernæ ardentes in manibus tuis? Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid in eadem parabola Christus dixerit de servo, qui dicens in corde suo: moram facit Dominus meus venire: cœpit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere & inebriare &c. nimirum quòd Dominus ejus in die, quâ non sperat, & horâ, quâ nescit, veniet, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

Considera II. Quàm gravis pœna in dictis verbis comprehensa sit, quid enim est dividi à DEO, quàm pœnam damni incurrere, & à beatitudine summa separari? quid aliud est cum Infidelibus accipere, nisi cum his pœnâ sensûs peccatis actualibus debitam sustinere?

Considera III. Si pœna hæc tantò major est in illo servo, qui magis voluntatem Domini cognovit, frequentiúsque à Domino ad vigilantiam excitatus est, pluribúsq; meditationibus tale officium præstandum instructus, majoribúsque præmissis propositis animatus, quantam pœnam exspectare, & timere debeat Sacerdos, qui tot inspirationes, tot auxilia, tot

missa eundem in finem accepit? an non verè vapulabit multo, si vigilantiam negligat, & alia fidelis servi officia ociosiùs persolvat? vide ergo, quid hactenus egeris, & agere deinceps velis. Colloquium ad Christum cum convenientibus affectibus. Vide Spinolam p. 2. med. 156. fol. 400.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 23. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidiè se disponit. Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere.

Pro secunda Die.

Meditatio I.

De Judicio extremo.

Scopus.

Propositum DEO satisfaciendi, antequam rationem ultimam exposcat.

Tessera: Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18.

Punctum I.

Considera I. Parabolam Regis, qui voluit rationem ponere cum servis suis, quam S. Matthæus c. 18. sic describit: *Assimilatum est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, & cùm cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios & omnia, quæ habebat, & reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum,*

Videntes autem conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde. & venerunt, & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus suus: & ait illi; serve nequã omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Considera, inquam, quis sit scopus hujus parabolæ, scilicet, ut frequentiùs animo volvamus, quàm severè olim ratio à nobis sit exigenda, atque adeò in hac vita maturè DEO satisfacere studeamus.

Considera II. Quàm timendus sit ille dies, in quo dicta ratio à nobis exigetur, sive Rex ipse rationem exigens spectetur, utpote, qui est infallibilis propter potentiam, inflexibilis propter justitiam, infugibilis propter potentiam, sit objectum, de quo exigetur ratio, consideretur, quod includit omnem cogitationem, verbum & opus sive sententia attendatur, quæ est irrevocabilis, sive denique ipsa pœna per sententiam decreta perpendatur, quæ etiam pro levibus culpis inflicta superat omnem pœnarum & tormentorum in hoc mundo infligi solitorum acerbitatem.

Considera III. *Si* juxta Christi effatum apud S. Lucam cap. 12. omni, cui multum datum est, multùm quæretur ab eo, & cui commendaverunt multùm, plùs petent abeo, quàm difficilem rationem sit habiturus, cui tam multa singularia beneficia, tam pretiosa talenta, tam præclara sanctè vivendum occasiones, tam multa ad proximo bene faciendum media à Deo sunt oblata. Vide proin, quàm æquum sit, ut tu quoque salutarem hujus judicij timorem concipias; & quidquid ad moderandum hunc timorem conducere potest, studiosè adhibeas, Colloquium ad S.PP. togandum, ut in illo potissimùm rationis reddendæ actu tibi assistere dignentur.

Punctum II.

Considera I. Quo potissimùm medio servus iste Evangelicus remissionem sui debiti obtinuerit à Domino, nimirùm procidens dixit: Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Con-

Considera II. Quo modo alterum quoque caput addere debuisset servus iste, videlicet ut & ipse misereretur conservi sui, & debitum remitteret, quod quia non præstitit, iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum.

Considera III. Quàm apta sint hæc media ad ipsum etiam Deum placandum, quámque adeò sedulò illa à te adhiberi deinceps debeant. Colloquium ad B. V. illud præcipuè usurpando: Domina nostra, mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta.

Punctum III.

Considera I. Quid sit omnia reddere, uti ad exemplum servi in prioribus punctis facturum te proposuisti, nimirum præteritas negligentias novo fervore, & extra ordinario perfectionis consequendæ studio compensare.

Considera II. Quantum gaudium per talem fervorem Deo, Sanctis, tibi, Religioni, aut Ecclesiæ, fratribus tuis, imò & ipsis animabus purgatorij, pro quibus magnam operum tuorum partem à te offerri credo, creaturus sis, quámque adeò potens motivum habeas ad hunc fervorem maximo, quo poteris, animi conatu suscipiendum, atque continuandum.

Considera III. Quàm præclaras item occasiones habeas, eundem hunc fervorem ipso opere demonstrandi, hoc maximè tempore, quo & Deus paratus est efficaciora & plura tibi auxilia elargiri, & domestici tui novum à te fervorem, & meliora vitæ sanctæ exempla exspectant. An non ergo dices cum S. Paulo ad Philipp. 3. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo IESV.* Colloquium ad Christum, illud cum Davide Ps. 142. assiduè repetendo: *Domine, non intres in judicium cum servo tuo &c.* Item illud Ps. 78. *Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes* (& debitores,) *facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius esto*

esto peccatis nostris. Vide Spinolam p. 2. med. 120. fol. 395. Legatur ex lib. 3. de imit. c. 14. & illa verba bene perpendantur: Sto attonitus & considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me?

Pro Die secunda.

Meditatio II.

DE PURGATORIO.

Scopus.

Propositum liberaliter succurendi animabus defunctis, ut, quâ mensurâ mensus fueris, eâdem Deus remetiatur tibi.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de villico iniquitatis, quam Lucas c. 16. sic narrat: *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocavit illum, & ait illi: quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. Ait autem Villicus intra se: quid faciam, quia Dominus meus auffert à me villicationem: fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut, cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: quantum debes Domino meo? at ille dixit: centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam & sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: tu vero quantum debes? qui ait, centum tritici coros. Ait illi: accipe literas tuas, & scribe octoginta.* Considera inquam, quis iste villicus iste inquitatis, nimirum homo, qui in administratione villicationis animæ suæ varias culpas veniales admisit, ideóque post mortem suam, quo tempore facultas villicandi & merendi sublata est, rationem omnium suorum operum dare cogitur, & à villicatione amovetur.

Considera II. Si etiam justus septies in die cadit, quoties credibile sit, te hactenus lapsum fuisse in venialia saltem peccata,

peccata; quámque adeò meritò gravem pœnam timere possis in purgatorio subeundam.

Considera III. Si minima etiam purgatorij pœna omnium tormentorum, quæ in hac vita infligi possunt, gravitatem longissimè superat, quantum timorem te concipere par sit ob tot peccata venialia admissa, quibus unam ex majoribus ejusdem purgatorij pœnis es promeritus, quámque adeò sollicitè prospicere debeas de medijs, quibus tam gravi pœnæ, si non omnino, majori saltem ex parte eximere te possis. Colloquium ad SS. PP. eos denuo in amicos & Patronos eligendo, ut, cùm defeceris, recipiant te in æterna tabernacula.

Punctum II.

Considera I. Quo medio usus sit Parabolicus iste villicus, ut se pœnæ à Domino suo ob villicationem malè gestam infligendæ subduceret, nimirum debitores sui Domini convocavit, eósq; per expunctionem partes debiti amicos sibi fecit.

Considera II. Quantò præclarior tibi occasio offeratur simile medium adhibendi, & amicos longè potentiores simili officio faciendi, scilicet animas defunctorum liberando à suis pœnis, ut illæ vicissim pro te intercedant, efficiántque, ut vel omnino liber existas à gravissimis illis pœnis purgatorij, vel certè non nisi brevissimo tempore ibidem cruciéris.

Considera III. Quàm efficax semper hoc medium à pijs & religiosis personis sit habitum, quàmque frequenti etiam experientiâ confirmatum, ita ut passim opinio jam invaluerit, vix ullum æquè proficuum medium esse ad pœnas illas evitandas, quam misericordiam dictis animabus impensam, cùm ipse Servator dixerit Lucæ 6. eâdem mensurâ, quâ mensi fuerimus, nobis remensum iri. Quanto proin studio deinceps illud adhibere & debeas, & velis. Colloquium ad B. V.

Punctum. III.

Considera I. Quomodo misericordiam erga animas potissimùm demonstrare possis, scilicet si frequenter indulgentias & sacrificia ipsis applices; si omnem vel potiorum operum tuorum fructum satisfactorium, alijs non obligatum, exemplo S. Gertrudis ijsdem liberaliter transcribas; vel si exemplo pij cujusdam Religiosi omnia sacrificia & preces

post

post mortem pro te offerendas, quantùm in te est, ipsis à Deo applicari humiliter petas.

Considera II. Si villicus iste parabolicus tantopere sibi obstrinxit Domini sui debitores, quando partem tam exiguam debiti eorum expungere eos jussit, quantò magis tu tibi animas defunctorum obstricturus sis, si per supradictos, aut alios similes modos non partem duntaxat, sed totum debitum, & quidem tam grave, ipsisque tam onerosum expunxeris: quantam proinde benevolentiam & in hac, & in alia vita ab illis exspectare possis,

Considera III. Quo modo hos modos, aut alios similes adhibueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum cum protestatione, te ideò potissimùm animabus illis succursurum, quod ab ipso didiceris, omnem charitatem, quæ uni ex minimis impensa fuerit, ipsi exhibitam censeri. Vide Spinolam p. 2, medit. 165. fol. 425.

Legatur ex lib. de imit. 3. c. 12. & ilja præcipuè verba bene perpendantur: si dixeris, te non posse multa pati, quomodo tunc sustinebis ignem purgatorij? de duobus malis minus semper eligendam.

Pro secunda Die.

Meditatio III.

De Custodia Sensuum.

Scopus.

Perfecta Sensuum externorum mortificatio.

Punctum I.

Considera I. Egregiam illam parabolam, quam olim S. Franciscus proposuit, dum dixit, Virginem fuisse, quæ unicam habuerit gemmam, summo tamen pretio æstimatam, ad quam ab ipsa obtinendam primò pictor quispiam varias imagines; subinde Musicus suavem concentum; tum coquus sopidissimos cibos; post hunc Pharmacopola pretiosos suffitus & odores; & tandem formosissimus juvenis sese amplexus obtulerint, qui tamen omnes repulsam passi sint, utpote qui rem vanam, & vix momento duraturam in pre-

tium

tium spoponderint. Verùm cùm post hos Rex aliquis potentissimus, sapientissimus, pulcherrimúsque suas illi nuptias promitteret, si gemmam illi offerret, hunc enim verò dignissimum suæ gemmæ possessorem censuit, promptissimèque illi gemmam obtulit.

Considera II. Quod judicium tulisses de hac Virgine, si ab ullo ex prioribus quinque Amasijs se persuaderi passa esset ad gemmam suam tam pretiosam pro tam vili munere offerendam: an non stultissimam judicâsses?

Considera III. An non tu hactenus simile quid egeris? Quid aliud enim hæc Virgo, nisi animam tuam? quid aliud gemma, nisi voluntatem tuam, aut amorem? quid aliud quinq; illi Amasij nisi quinque sensus tuos repræsentant? vide ergo, à quo hactenus & quoties persuaderi te passus sis, ut voluntatem tuam atque consensum traderes, ne modicâ, quam ille offerebat, voluptate carere deberes; vel nunc ergo stultitiam tuam corrige, & deinceps blanditias sensuum tuorum contemnere disce. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quàm libenter renunciare debeas voluptatibus sensuum, utpote quæ viles, fluxæ, vanæ & noxiæ sunt, quod pulchrè videtur indicâsse Thomas K. lib. de imit. 1. c. 20. dum dixit: *Quid potes alibi videre, quod hic non vides? ecce cælum & terra, & omnia elementa, nam ex istis omnia sunt facta.* Quasi diceret, quemadmodum partus ab ipsa Matre varias qualitates accipit, ita voluptates omnes ab elementis velut matre varias itidem qualitates acceperunt, à terra quidē vilitatem, ab aqua fluibilitatē seu brevitatem, ab aēre vanitatem, ab igne virtutem nocendi corpori & animæ.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva ad persuadendum quemvis, ut omnibus sensualibus voluptatibus renuntiet, omnémque suum amorem in Regem parabolâ supra posita descriptum transferat.

Considera III. Quomodo tu hactenus hac in parte te gesseris, & deinceps gerere velis. Colloquium ad B. V.

Pun-

Punctum III.

Considera I. Quis sit Rex ille, cui Virgo nostra parabolica gemmam suam obtulit, nimirum Deus, qui omnes qualitates in Rege illo descriptas perfectissimè continet, ita ut jure de illo usurpare possit illud sop. c. 7. *omnia bona venerunt mihi pariter cum illo, & innumerabilis honestas* (atque voluptas) *per manus illius.*

Considera II. Quàm dignus sit Rex iste, ut gemmam voluptatis, aut amoris tui eidem offeras, cùm in eo velut fonte reperias abundantissimè id omne, quod à sensibus tuis, & creaturis velut eorum objectis expectare poteras.

Considera III. Quomodo proin Deum omnibus his sensualibus voluptatibus præponere, & in has aut similes vota prorumpere in omni tentatione sensuali velis: *Quis ut Deus Deus meus & omnia, quid mihi est in cœlo, & à te quid voluit super terram?* Colloquium ad Christum cum convenientibus affectibus, maximè illud S. Bernardi assiduè repetendo: *IESV dulcedo cordium, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium, & omne desiderium.*

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 21. & illa maximè verba bene perpendantur: Non potest cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in te requiescat, & omnia dona, omnémque creaturam transcendat. Item: quæram alij pro te aliud, quodcunque libuerit; mihi aliud interim nil placet, nec placebit, nisi tu Deus meus, spes mea, salus æterna.

Pro secunda Die.

Meditatio IV.

DE INFERNO.

Scopus.

Horror peccati mortalis & voluptatum cum zelo alienæ Salutis.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de divite Epulone, quam S. Luc. c. 16. sic describit: *Homo quidam erat dives, qui induebatur*

batur purpurâ & byſſo, & epulatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis; & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus: & ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus, inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Et ait: Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non, Pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: ſi Moyſen & Prophetas non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Conſidera, inquam, quantas hic Epulo pœnas illo in loco patiatur, quas breviter, ſed nervosè deſcripſit, qui dixit, in inferno eſſe omnis boni abſentiam, omnis mali præſentiam, omnis mali indeſinentiam.

Conſidera II. Quas ob cauſas in tantum malum inciderit dictus Epulo, nimirum, quia bona recepit in vita, id eſt, quia illicitis voluptatibus fruendis vitam ſuam totam impendit.

Conſidera III. Quàm ſtulta hæc fuerit mercatio, quâ pro momentanea voluptate empta ſunt tam gravia, æternaque mala; an non jure merito dives hic cum Jonatha 1 Reg. 14. exclamare potuerit: *paululum guſtavi mellis, & ecce morior*, & quidem in æternum. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Conſidera I. Si Epulonem hunc aliquis à pœna hac ſua

inexplicabili liberâſſet, quanto amore in hunc ſuum R
demptorem rapiendus fuiſſet; aut ſi ei optio facta eſſet à D
vel in inferno manendi per æternitatem, vel redeundi
nos, & centum annis in ſaveriſſima, qualem nullus homin
in terris unquam fecit, pœnitentia perſeverandi, quàm b
tum ſe judicatur⁹, & quàm prompto animo poſteriorem
partem accepturus fuiſſet.

Conſidera II. Cùm tu quoque toties Deum morti
fortè offenderis, toties infernum merueris, & tamen com
ritas in inferno pœnas non luas, an non perinde hoc be
ficium æſtimare debeas, ac ſi reipſa in inferno poſitus e
dem extractus fuiſſes? an non ergo vel ex hoc ſolo ca
Deum ſummè amare, omniáque adverſa & difficilia p
ptè, alacritérque in conſideratione pœnæ hujus comm
& condonatæ tolerare debeas?

Conſidera III. Quid potiſſimùm tibi hactenus difficil
ciderit; quid item Sacerdos aliquis damnatus, ſi liber
nem ſperare poſſet, de tua hac difficultate ſentiret; quan
vem eam duceret, etiamſi millies & centies millies gra
& diuturnior eſſet, adeóque ab alieno exemplo ſapere &
enâ calamitate tuas ærumnas leviter ferre diſce. Colloqu
ad B. V.

Punctum III.

Conſidera I. Quàm ſollicitus fuerit hic Epulo, ne frat
ſui veniant in hunc locum tormentorum, quámque a
ſuppliciter ab Abrahamo petierit, ut mitteret Lazarum
domum Patris ſui.

Conſidera II. Si carnalis affectio & propinquitas tan
valuit, quantùm in te efficere debeat ſpiritualis fraternit
utpote qui eodem cum peccatoribus ſanguine, Chriſti
licet, es ſpiritualiter regeneratus; imò & ratione voca
nis tuæ arctiorem ipſius etiam Paternitatis ſpiritualis u
junctionem es nactus.

Conſidera III. Si ipſi huic Epuloni conceſſa eſſet à D
facultas ad ſuos remeandi, eóſque alloquendi & juvan
quàm potentibus argumentis eos ad odium peccati & v
ptatum, ad horrorem inferni, ad amorem & timorem

ertaturus; quàm nulli labori parsurus fuisset in eorum sa-
ne promovenda &c. Quantò magis ergo hæc eadem tu
rstare debeas, utpote cui non concessa duntaxat facultas
, cognatos hos tuos & filios spirituales alloquendi & ad-
vandi, sed etiam tam copiosa auxilia offeruntur, ut tale
ficium majori cum fructu ijsdem exhibere possis. Collo-
ium ad Christum cum congruis affectibus. Vide Spino-
m p. 2. med. 167. fol 429.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 24. & illa præcipuè verba
ne perpendantur: disce nunc in modico pati, ut tunc va-
as à gravioribus liberari. Hîc primò proba, quid poss
ostea, si nunc tam parùm valeas sustinere? si modò modi-
us passio tam impatientem efficit, quid gehenna tunc faciet?

Pro tertia Die.

Meditatio I.

De Regno Christi.

Scopus.

Perfecta Christi Imitatio.

Tessera: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Joan. 8.

Punctum I.

Considera I. Parabolam à S. Ignatio in lib. exercitiorum propositam de Rege, qui omnes suos subditos ad bellum contra hostes evocavit, eâ tamen conditione, ut tempore eidem belli eodem victu, vestitu, aliisque rebus, quo ipse ipsis fuerat, utantur, sed in ijsdem laboribus, & vigilijs, & reliquis ceteris cum eodem perstiant, post finitum verò belli tempus participes fiant victoriæ & felicitatis, prout laborum & molestiarum socius quisque extiterit, uti fusiùs in libello Exercitiorum S. Ignatij legere est.

Considera II. Quid respondere debeant subditi tali Regi; an non æquissimum sit, ut quisque promptissimo animo ad ejus signa convolet, paratissimúmque se ad omnem ejus voluntatem offerat?

Considera III. Quantò promptiùs tu sub vexillum Chri-

sti confugere debeas, sive Ducis tui præstantiam & dignitatem; sive hostium, contra quos certandum est, erga te odium & crudelitatem; sive victoriæ, quam sperare sub tanto Duce justissimè potes, nobilitatem; sive præmij tandem & prædæ, quam ex tali victoria referes, magnitudinem pendas. Colloquium ad SS. PP. gratulando de tam insigni victoria sub tali Duce obtenta.

Punctum II.

Considera I. Quænam sint potiores militis proprietates, nimirum deserere patriam & amicos, indifferentem esse ad omnia loca & officia, paratum esse ad omnia Ducis imperia exequenda, nullâ inopiâ, difficultate, aut periculo territum contra hostes suos fortiter ac generosè in conspectu Regis sui, & pro ejusdem gloria pugnare.

Considera II. Quàm promptè ac perfectè hæc omnia milites hujus sæculi præstent, & quidem tam modico salario excitati, tam incertâ spe prædæ aut victoriæ allecti, tam infirmi ac humilis Ducis exemplo animati.

Considera III. Si isti talia poterant cum tam levibus auxilijs & motivis, quantò faciliùs tu eadem exequi ac observare possis tam potentis Regis præsentiâ animatus, tot auxilijs adjutus, & tantis præmijs excitatus. Vide ergo, ne modo hactenus has conditiones impleveris, aut certè deinceps implere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Contra quem potissimùm hostem militare sub Christi vexillo debeas, nimirum contra te ipsum; idcirco nim ipse Dux tuus indicâsse videtur, quando Matth. 16. dixit: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Unde recte Thomas Kempis lib. 1. c. 3. ait: *hoc deberet esse negotium nostrum, videlicet seipsum, & quotidie se ipso fortiorem fieri.* Et 3. c. 53. *si verè velit esse spiritualis, oportet eum remanere tam remotis, quàm propinquis, & à nemine magis cavere quàm à se ipso. Si te ipsum perfectè viceris, cetera facilius subjugabis. Perfecta victoria est de semetipso triumphare.*

Considera II. In quo consistat hæc victoria, scilicet

perinde ac bello victi solent, totus secundùm arbitrium victoris, id est, rationis tuæ & Dei vivas, quod præclarè itetum indicavit Thomas Kemp. l. 3. c. 53. dum in persona Christi dixit: *Qui semetipsum subiectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè victor est sui, & Dominus mundi.*

Considera III. Quomodo hanc victoriam obtinere possis, scilicet ijs medijs, quibus victoriæ corporales obtineri plerumque solent, quorum tria sunt potissima. Primum auxilium divinum. Secundum Patrocinium certorum SS. maximè BB. MARIÆ de Victoria. III. Generosa & constans hostium aggressio & persecutio, quàm multùm juvat Ducis præsentia repræsentata, memoria præmij victoribus promissi, & consideratio infamiæ, servitutis, & crudelitatis incurrendæ & sustinendæ ab eo, qui hostibus suis in hoc certamine succubuerit. Vide itaque, quomodo tu hactenus hæc media arripueris, aut certè arripere deinceps velis. Colloquium ad Christum eligendo eum in Ducem, & Sacramentum militare denuò dicendo.

Legatur ex l. 3. de imit. c. 61. & illa præcipuè verba bene perpendantur. Eia fratres pergamus simul, JESUS erit nobiscum. Erit adjutor noster, qui est Dux noster & præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores, simus parati fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut fugiamus à cruce.

Pro tertia Die.

MEDITATIO II.

DE ABNEGATIONE OMNIS AMORIS INORDINATI ERGA RES CREATAS.

Scopus.

Studium dictæ Abnegationis.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine, qui volens turrim ædificare, non potuit perficere, quam sic S. Lucas c. 14. descri-

scribit. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiunt illudere ei, dicentes, Quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare?* Considera ergo primò quàm bene se hominem hunc Sacerdotes designentur, utpote, qui vi status sui obligantur ad perfectionis turrim ædificandam.

Considera II. Quàm præstans sit hæc turris Sacerdotis perfectionis, sive illius altitudinem spectes, quæ meritò dicitur pertingere usque ad cœlos; sive firmitatem considera quæ tanta est, ut portæ inferi non possint prævalere adversus eam; cùm enim perfectus homo Deum pro muro suo habeat jure cum S. Davide Ps. 26. exclamare poterit: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*; sive candorem attendas, ob quem rectè turris eburnea dici potest; denique Incolas ejusdem & thesauros perpendas, nempe Deum cum gratia & virtutibus, meritísque supernaturalibus quæ in eadem velut tutissimo & dignissimo habitaculo reconduntur.

Considera III. Quantum beneficium tibi à Deo per sacerdotij munus concessum sit, dum per illud tibi tam copiosa media obtulit ad tam præclaram altámque turrim ædificandam, quàmque adeò promptè hæc media arripere, & in viribus te ad turrim hanc ædificandam accingere debeas. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quodnam sit fundamentum ad ædificationem talis turris necessarium, scilicet omnis amoris inordinati erga res creatas abnegatio; ita enim Christus ipse fine hujus parabolæ indicâsse videtur, dum dixit: *sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Considera II. Quàm convenienter hæc abnegatio fundamentum sacerdotalis perfectionis ponatur; cùm enim una parte perfectio sacerdotalis in perfecta charitate consistat; ex altera verò parte, ut Thomas K. l. 2. c. 7. *dilectus tuus talis sit naturæ, ut alienum non velit ad-*

re, sed solus velit cor tuum habere, & tanquam Rex in suprio throno sedere, facilè patet, non posse Sacerdotem unquam ad perfectionem pervenire, nisi generosè priùs omnibus rebus creatis valedicat.

Considera III. Quomodo tu hactenus fundamentum hoc posueris, aut ponere certè deinceps velis. Colloquium ad B. Virg.

Punctum III.

Considera I. Non satis esse ad turrim hanc ædificandam, si quis fundamentum posuerit, sed insuper requiri, ut sumptus habeat ad perficiendum, id est, media convenientia eligat, & adhibeat, quorum auxilio reliquum perfectionis ædificium super exstruere, atque ad ipsum charitatis apicem perducere possit.

Considera II. Quæ sint illa media ad hunc finem tantopere necessaria, nimirum auxilij divini humilis imploratio, B.V. & SS. Patronorum summa veneratio, seria Deo soli serviendi resolutio, profunda, sibique semper diffidens demissio, & constans denique propositorum executio.

Considera III. Quàm parùm hactenus tu hos sumptus comparare studueris, & quàm justè ob eorum defectum illudere tibi non modò homines, sed & dæmones potuerint, ac dicere: *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Vide ergo, quomodo deinceps saltem illos parare, atq; ad dictum perfectionis ædificium erigendum novo animo te accingere velis. Colloquium ad Christum cum congruis affectibus.

Legatur ex lib. 3. c. 58. & illa præcipuè verba bene perpendantur: si ad hunc apicem scandere gliscis, oportet viriliter incipere, & securim ad radicem ponere, ut evellas, & destruas occultam inordinatam inclinationem ad te ipsum, & ad omne privatum & materiale bonum.

Pro tertia Die.

Meditatio III.

De linguæ custodia.

Scopus.

Propositum linguæ refrenandæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine, qui iter summi mi menti peragere jussus, equo alicui indomito & feroci se co misit, nec tamen ullum ori illius frenum circumdedit, u de per avia & devia abreptus,& in obvios quosque irru sibi & illis gravissima damna creavit. Considera, inqu quale de tali homine judicium ferre alij homines, imò tu ipse de eodem sentires? an non stultissimum judica an non indignum commiseratione ob damna, quæ ipse incurrit, dignum verò omnium aliorum, quos stultiti hoc facto suo læsit, odio censeres? Quòd si verò & ipse damna sæpiùs expertus, & ab alijs frequenter, ut tandem quando saperet, frenúmque æquo induceret,admonitus & tamen adhuc errorem non emendaret, an non gravi insuper pœnâ supplicióque dignum pronuntiares?

Considera II. Quàm convenienter per hunc homin significentur ij, qui linguam suam effrenare negligu quis enim nescit, quanta damna & injuriæ Deo, nobis & proximo nostro creentur, si frenum huic equo, id est, guæ circumdare negligamus? ut meritò S. Jacobus dic c. 3. omnem naturam bestiarum domitam esse à natura mana, linguam autem solam domari vix posse, utpote quietum malum, & plenum veneno mortifero.

Considera III. An non & tu talia damna frequenter ctenus sis expertus, atque adeò justissimas habeas causas diendi,& sequendi consilium Ecclesiastici c.4. *Aurum tu & argentum confla, & verbis tuis facito stateram, & fr nos ori tuo rectos, & attende, ne labaris in lingua tua.* C loquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quodnam sit illud frenum, quod ling inducere debes, nimirum firmissimum decretum non loqu di, nisi quando, & quantùm necessitas, utilitas, aut cha exigit, & serius conatus in hoc decreto executioni mand

lo, ut enim frenum duabus partibus constat, ita & hoc spirituale frenum dictis duabus partibus absolvitur.

Considera II. Sicut quandóque non sufficit simplex frenum ad equum aliquem continendum, utpote minùs ferocem, ideóque aliud mordacius frenum superaddendum est, ita & in lingua domanda, si quandóque prædictæ duæ industriæ non sufficiunt, tertiam superaddendam esse, scilicet voluntariam castigationem, quoties in lingua lapsum te adverteris.

Considera III. Quàm efficacia sint hæc remedia, & quomodo tu hactenus ea adhibueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quanta commoda tibi ex tali refrenatione secutura sint, nimirum similia ijs, quæ aliquis ab equo bono, benéque refrenato sperare potest, quorum tria sunt potissimùm. Primum est, ut iter suum sine gravi molestia pergat. Secundum, ut brevi tempore ad terminum sibi præfixum perveniat. Tertium, ut, si hostis immineat, facilùs certiúsque illum effugiat.

Considera II. Quàm longè præstantiùs hæc commoda ex refrenatione linguæ sperari possint, nam 1. Quæ gravior in via spirituali molestia, aut quod gravius offendiculum reperitur, quàm peccatum? atqui hoc sicut in multiloquio non deest, ita vel maximè abest à linguæ custodia, hinc S. Petrus 1. c. 3. ait: *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo.* 2. Brevi tempore ad perfectionem, quæ Sacerdotis terminus est, pervenit; nam teste S. Jacobo c. 3. *Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir.* 3. Suorum hostium insidias faciliùs declinat, quia, teste Salomone Prov. 10. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est,* quid mirum ergo, si facilè se ab insidijs hostium expediat;

Considera III. Quàm efficaciter hæc motiva persuadeant, ut omnem tuum conatum & diligentiam adhibeas in lingua tua refrenanda, quantóque adeò studio deinceps in hanc curam incumbere velis. Colloquium ad Christum.

Legatur ex lib. 1, de imit. c. 10. & illa maximè verba bene

considerentur: vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse. Malus usus & negligentia profectus nostri multùm facit ad incustodiam oris nostri.

Pro Tertia Die.

MEDITATIO IV.

DE FERVORE IN PERFECTIONIS STVDIO.

Scopus.

Idem fervor excitandus.

punctum I.

Considera I. Parabolam de Patrefamilias, qui variis horis exijt conducere Operarios, quam S. Matthæus c. 20. sic describit: *Simile est regnum Cælorum homini Patrisfamilias qui exijt primo manè conducere Operarios in Vineam suam. Conventione autem facta cum Operarijs ex denario diurno, misit eos in Vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in Vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exijt, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? dicunt ei: quia nemo nos conduxit; dicit illis: Ite & vos in Vineam meam. Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus Vineæ Procuratori suo: Voca Operarios, & redde illis mercedem incipiens à novissimis usque ad primos. Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus Patremfamilias, dicentes: Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam: nónne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum est, & vade: Volo autem, & huic novissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere?*

re? an Oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Considera, inquam, quis Scopus à Christo per istam Parabolam sit intentus, nimirum ut ostenderet, fieri posse, & verò etiam non infrequenter solere, ut ij, qui seriùs ad servitium divinum accedunt, æquale aut etiam majus à DEO præmium accipiant, quàm ij, qui maturiùs accesserunt, & totam ferè vitam in Vinea Domini consumpserunt.

Considera II. Quàm magnum ex hac doctrina solatium haurire possitis, & tu, & alij tui similes, qui aut seriùs sacerdotium aggressi estis, aut certè non nisi tepidè ejusdem munera & officia peregistis, quantósque adeò animos concipere debeatis, ad priorem negligentiam novo fervore compensandam.

Considera III. Quid tu hactenus hâc in parte egeris, & quid deinceps agere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quo potissimùm medio priores negligentias, & jacturam meritorum compensare possis, nimirum si novo fervore perfectioni consequendæ studeas; ut enim aqua fervens majus spatium occupat, ita & animus fervore Spiritûs accensus ad majora semper charitatis perfectionísque spatia seu augmenta se dilatat.

Considera II. In quo potissimùm consistat hic fervor, scilicet in hoc, ut omnium, quæ retrò sunt, oblitus ad anteriora te convertas, & singulari studio ad quotidiana tua opera perfectè obeunda incumbas, quæ quidem perfectio operum in hoc consistit, ut facias ea semper, quæ DEO placent; & eo modo, quo ipsi placent; & quia ipsi placent.

Considera III. Quos fructus ex tali fervore sperare possis, nimirum illos, quos Thomas Kemp. lib. 1. c. 25. indicavit his verbis: *Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & senties leviorem laborem propter DEI gratiam & virtutis amorem: Homo fervidus & diligens ad omnia est paratus &c.* Unde S. Ignatius in Epist. 2. §. 3. suos ita hortatur: *Fovete semper in sinu cordis vestri vividum quendam sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exercendos labores, quia rarum aliquod & exiguum facinus sexcentis vulgaribus minutisque antecellit; ad quem enim virtutis*

gra-

gradum multis annis piger non potest adrepere, exiguâ temporis intercapedine diligens mirabiliter volat &c. Vide ergo, quomodo deinceps talem fervorem excitare velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs hunc in te fervorem provere, & conservare possis: tria præcipuè conducent. Primum est, ut sæpe consideres charitatem DEI, & beneficia tum generalia, tum particularia per vitam tibi collata, quæ quotidiem sanè sunt prunæ ad fervorem excitandum. Secundum, ut frequenter animo volvas, quòd hæc unica sit via ad summam felicitatem in hac & altera vita obtinendam. Quem in finem proderit, tibi imaginari, idem nobis contigisse quod homini illi, cui Rex thesaurum suum aperuisset, potestámque facultatem concessisset, unius diei intervallo, quantùm vellet, & posset, auferendi. O quàm ferventem se homo iste in tali labore ostenderet; quàm nullum momentum sibi sineret, quod non in aufferendis ex thesauro divitijs consumeret! an non & tu quoque illis Eccl. 15. c. 9. verbis tuæ hortaberis: *quodcunque facere potest manus mea, instanter operare.* Tertium est, ut oculos convertas ad aulicos, milites, mercatores, & similes personas, & consideres, quantum faciant, & patiantur, ut hominis favorem sibi concilient, præmiáque & lucra peritura obtineant; an non enim talibus exemplis motus exclamabis: potuerunt isti, & isti, & ego non potero?

Considera II. Quàm efficacia, multísque exemplis humanus sint confirmata hæc motiva.

Considera III. Quomodo tu hactenus ea adhibueris, ut certè adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p. 2. Med. 171. fol. 444.

Legatur ex l. 1. de imit. c. 25. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Igitur ad profectum ferveas, quia mercedem laborum tuorum in brevi recipies, nec erit tunc amplius dolor aut timor in finibus tuis. Modicum nunc laborabis, & magnam requiem, imò perpetuam lætitiam invenies.

Pro quarta Die.

MEDITATIO I.

DE PAVPERTATE SPIRITVALI.

Scopus.

Amor paupertatis augendus.

Tessera.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. Ps. 115.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum Matth. 13. Considera, inquam, quis sit thesaurus iste, nimirum ipse DEVS, qui in agro Statûs Religiosi vel Ecclesiastici absconditus jacet, invenitur autem ab omnibus, qui talem Statum non modò amplectuntur, sed etiam veri Religiosi aut Sacerdotis officium implere pro viribus conantur.

Considera II. Quàm pretiosus sit iste thesaurus, sive antiquitatem spectes, quæ est æternitas; sive magnitudinem, quæ est infinita & inexhauribilis; sive tandem varietatem consideres, quæ est omnium bonorum perfecta congregatio, uti ipse DEVS Moysi Exod. 33. indicavit, dum dixit: *ego ostendam omne bonum tibi.* Et expertus est S. Franciscus illud assiduò ingeminans: *DEVS meus & omnia.*

Considera III. Quantum desiderium quivis meritò concipere debeat thesauri hujus inveniendi, quámque adeò felicem te judicare debeas, quod aditus tibi à DEO apertus sit.

Punctum II.

Considera I. Quid requiratur ad thesaurum istum obtinendum, nimirum, ut vendas vel opere, vel affectu saltem universa, quæ habes, & emas agrum talem, & cum eo etiam ipsius DEI tui fruitionem, non in altera duntaxat, sed hac etiam vita quantùm mortali homini fas est, obtinendam.

Considera II. Quid sit vendere universa, scilicet per Paupertatem exuere omnem affectum erga Parentes, Consanguineos,

guineos, divitias, & se ipsum, ita ut non aliter ullam eri[s] amemus aut adhibeamus, quam ordinata erga DEVM & eos ipsos charitas requirit, atque adeò quantùm discretio pati tur, vilissima quæque in cibo, potu, vestitu, habitatione, s ciis, aliisque similibus rebus & optemus, & eligamus.

Considera III. Quàm longè tu hactenus à tali paupert abfueris, & quomodo deinceps saltem exercere eandem v lis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quod medium præcipuè conducat ad d ctam Spiritûs paupertatem obtinendam, nimirum si freque ter ea, quæ relinquis, cum thesauro, quem emere stanter compares, certóque tibi persuadeas, omnia ea, quæ relin sti, infinities præstantiùs te in hoc thesauro invenire, utp de quo meritò usurpare possis illud Sap. c. 7. *Venerunt mi omnia bona pariter cum illo, & innumerabilis honestas p manus illius, & lætatus sum in omnibus &c.*

Considera II. Si Elcana 1. Reg. 1. uxori suæ ob sterilita tem flenti dicere ausus est: *Anna, cur fles, & quare non c medis, & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* Quantò magis tu mih Deum repræsentare, & ob hujus vel illius rei creatæ desid ctionem tristanti dicentem quasi audire debeas: nunquid ego melior tibi sum, quam ista aut illa creatura? nunquid ego sum fons ipse solidarum voluptatum & deliciarum? cu ergo derelinquis fontem vivum, & fodis tibi cisternas dis patas, quæ continere non valent aquas.

Considera III. Quàm efficax sit hoc medium, quàmq adeò sollicitè & efficaciter tu illud adhibere debeas & vel Colloquium ad Christum, illud S. Davidis Ps. 72. affectuos & efficaciter pronuntiando: *Quid mihi est in cœlo, & a quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Vide Spinolam p. 2. Med. 90. pu. 1. f. 124.

Legatur ex lib. 2. de imit. c. 11. & illa maximè verba pon bè considerentur: tunc verè pauper, & nudus spiritu esse po terit, & cum Propheta dicere: Quia unicus & pauper sum ego: nemo tamen isto ditior, nemo potentior, nemo liber rior: qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se po

Pra

nere.

Pro quarta Die.

MEDITATIO II.

DE CASTITATE.

Scopus.

Amor ejusdem Virtutis augendus.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de filia cujusdam Mendici, quæ ut fusiùs describit Joan. Nierenbergius l. 1. de adorat. in Spiritu. c. 6. à Rege sapientissimo, potentissimo, & pulcherrimo in Sponsam electa est, & in Prætorium magnificum introducta, quod Rex mirificè adornavit undique sculpens sui imaginem, ut conciliaret sui amorem; sed & familiam & servos innumeros disposuit, quia ipsemet ei varijs in obsequijs ministravit, delicias suas esse cum illa reputans. Insuper instituit hæredem Regni sui, promissis donis multò majoribus, si fidem servaret. Considera, inquam, quis animus tali Virgini esse deberet; an non æquissimum foret, ut omnem conatum adhiberet in tali Rege amando, summámque illi fidelitatem exhiberet?

Considera II. Si talis mulier sollicitaret ad adulterium, contempto Rege, mancipia stabulo inservientia, & hæc ipsa renitentia, fidémque Regi servare cupientia cogeret ad adulterium, atque ut tantò liberiùs his amoribus vacare posset, ipsum Sponsum hostibus suis occidendum offerret, qualem stultitiam ab ea commissam, & quàm gravi infamiâ pœnâque dignam judicares?

Considera III. An non hoc ipsum faciat quævis anima per votum castitatis DEO desponsata, si spretis Sponsi sui cælestis amoribus ad carnales voluptates se convertat, eásque sive cogitatu, sive verbo, sive opere ipso prosequatur? Vide ergo, an non & tu similem stultitiam admiseris, & quomodo vel deinceps errorem hunc corrigere velis, delibera. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Si dicta Sponsa post turpe adeò facinus non modò

modò à Sponso suo non puniretur, sed ultro ab eodem ad reconciliationem invitaretur cum plenissima veniæ concessione, imò & novorum donorum & favorum promissione, quantopere hoc beneficium æstimare, & quanto amore deinceps in Sponsum suum accendi deberet, novúmque adeò propositum concipere, sumâ cum fidelitate eidem Sponso suo adhærendi.

Considera II. An non tibi idem beneficium tantò perfectiùs sit exhibitum, quantò nobilior est Sponsus, quem offendisti, & quantò ignobilior eras, qui offendisti, & quum denique frequentiùs hæc ipsa gratia post iteratum lapsum collata est.

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut singulari studio deinceps castitati studeas, & totum tuum amorem ex huic Sponso consecres, ut vel nunc tandem jure usurpare possis illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Colloquium ad B. V. eam in testem fidei de novo datæ eligendo.

Punctum III.

Considera I. Quo medio eadem Sponsa uti debuisset ad à tam gravi & probroso scelere contineret, videlicet oculos suos frequenter in Sponsum suum convertendo, ejúsque pulchritudinem & amabilitatem cum turpitudine stabulariorum, quos deperibat, conferendo, an non enim tunc cum S. Bernardo exclamâsset: *IESVS sole serenior, & balsamo jucundior, omni dulcore dulcior, & cunctis amabilior!* an non, cum Sponsa dixisset, *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus?*

Considera II. Quantopere hoc medio Sponsum sibi devincire potuisset; si enim Sponsus in occulto vidisset à vetulis procis Sponsam suam ad adulterium sollicitari, eam veré constanter spurios suos hos amores reijcere, ac sponsi sui pulchritudinem, debitámque illi fidelitatem objcere, an non perquam summè illum hoc facto recreandum, atque in Sponsæ tuæ amorem rapiendum fuisse? Atqui non minorem Christus Sponso suo recreationem faciet illa anima, quæ sensus suos ad adulterium spirituale incitantes constanter reijcit; an non ergo vel hoc solum motivum sufficiat, ad sensuum accuratam custodiam adhibendam, omnémque carnalem voluptatem amore Sponsi sui fortiter ac generosè repudiandam.

Co

Considera III. Quomodo tu hactenus hoc medium adhibueris, aut adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum, novam ei fidelitatem promittendo &c.

Legatur ex l. 2. de imit. c. 7. & illa præcipuè verba bene perpendantur: oportet dilectum pro dilecto relinquere, quia JESUS vult solus super omnia amari, dilectio creaturæ falsa, & instabilis, dilectio JESU fidelis & perseverabilis.

Pro Quarta Die.

MEDITATIO III.

DE REGVLARVM ET CONSTITVTIONVM ECCLESIASTICARVM ACCVRATA OBSERVATIONE.

Scopus.

Studium dictæ observationis augendum.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de fideli dispensatore, quam S. Lucas c. 12. sic describit: *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam super omnia, quæ possidet, constituet illum. Quòd si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & caperit percutere servos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari: Veniet Dominus servi illius in die, quâ non sperat, & horâ, quâ nescit, & dividet eum, partemque ejus cum fidelibus ponet. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & facit digna plagis, vapulabit paucis.* Considera, inquam, quàm convenienter per hunc dispensatorem intelligatur is, qui super familiam fuarũ potentiarum constitutus tritticum voluntatis divinæ in tempore illis distribuit, id est, omni tempore potentias suas in executione voluntatis divinæ occupat.

Considera II. Cùm voluntatem DEI certissimè manifestent Regulæ Ordinis tui vel Ecclesiæ, quantam de illis æsti-

mationem concipere, & quanto studio in exactam illarum observationem incumbere debeas.

Consid. III. Quomodo hactenus in hac parte te gesseris; an non & tu secutus fueris Exemplum servi illius, de quo idem S. Lucas c. 12. loquitur, dixeríque cum eo: *moram facit Dominus meus venire:* atque adeò liberè regulas vel constitutiones tuas, & voluntatem DEI transgressus sis, differens studium perfectionis in posteriores annos. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quæ causa fuerit, cur hactenus minùs fidelem Dispensatorem te in regularum & constitutionum Ecclesiasticarum observatione ostenderis, an non fortassis quam nimis de regulis talibus æstimationem concepe an non easdem negligenter legeris, aut meditatus sis tan per respectum humanum impediri te permiseris ab earu observatione? an non sinistro quodam judicio corrupta dicaveris, earum exercitium parùm prodesse ad perfectionem, neque etiam, si omittatur, multùm eidem obesse pos an non rem arduam nimis putaveris, curam tuam ad mi marum etiam legum observationem tam constanter co vertere.

Considera II. Quibus medijs occurrere velis his difficultatibus, nimirum 1. frequenti meditatione dictarum re larum. 2. Firmâ persuasione nihil perinde conducere ad nem, quem in ingressu Religionis vel suscepti Sacerdo tibi præfixisti, consequendum, quàm earundem observa nem; item nullo exercitio magis te placere DEO, aut Sup rioribus posse, qnàm si in regulis observandis fidelem te hibueris; tum enim meritò spes magna de te concipi rit, etiam in majoribus negotijs & officijs fidelem se juxta illud Christi Lucæ 16. qui fidelis est in minimo, & majori fidelis est. 3. Generoso contemptu respectuum manorum ad exemplum S. Pauli ad Gal. c. 1. si adhuc hom nibus placerem, Christi servus non essem.

Considera III. Quàm efficacia sint hæc media, quæ adeò singulari studio illa deinceps adhibere & debeas, & lis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quale præmium Dominus in dicta Parabola collaturus dicatur fideli Dispensatori, nimirum super omnia, quæ possidet, constituet eum.

Considera II. Quàm præclarum hoc sit præmium, diuúmque propter quod omni diligentiâ in Regularum observationem deinceps incumbas, quid enim est super omnia constituere, nisi in altera vita omnis boni possessorem efficere, & in hac vita in procuranda sui nominis gloria, & hominum salute præ alijs adhibere, copiosáque eum in finem auxilia conferre velle, ut adeò de tali Religioso vel Sacerdote vel maximè verificetur illud S. Davidis Ps. 1. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur die & nocte, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcúnque faciet, prosperabuntur.

Considera III. Quàm æquum sit, ut tu, qui specialiter ad divinam gloriam, tuámque & proximi salutem procurandam vocatus es, à tali promissione præ alijs etiam movearis ad Regularum observandarum studium, ut per hoc medium tantò aptior fias instrumentum ad dictos fines procurandos.

Colloquium ad Christum.

Legatur ex lib. 3. de imit. Christi c. 3. & illa præcipuè verba bene perpendantur. Audi, fili, verba mea, verba suavissima, omnem Philosophorum & sapientum hujus mundi scientiam excedentia. Verba mea spiritus & vita sunt, nec humano sensu pensanda. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter.

Pro quarta Die.

Meditatio IV.

De Obedientia.

Scopus.

Studium dictæ virtutis augendum.

Punctum I.

Consid. I. Parabolam de duobus filijs, quã S. Matth. c. 21. sequentibus verbis narrat: *Habebat homo quidem duos filios,*

& accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in Vinea mea. Ille autem respondens, ait: Nolo, postea autem panitentiâ motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, Domine, & non ri

Considera, inquam, quem Scopum Christus in hac Parabo sibi præfixerit, scilicet, ut ostenderet obedientiæ præstan atque efficaciam, utpote ex qua potissimùm sanctitas, me ta, & dignitas totius hominis sit æstimanda; hinc citatu rabolæ statim subjunxit: *Amen dico vobis, quia publican meretrices præcedent vos Regno DEI.*

Considera II. Quàm multis exemplis hæc doctrina in nus sit probata, ex multis duo sufficient; Alterum D qui quinque annorum obedientia magni Antonij gl comparavit; alterum ipsius Christi, qui, quia usque ad tem crucis obediens factus est, accepit nomen super nomen.

Considera III. Cùm tu eâ potissimùm de causâ Reli nem ingressus sis, vel Sacerdotium assumpseris, ut ad p ctionem, verámque sanctitatem faciliùs citiúsque per res, quanto studio deinceps in hanc virtutem incumbe beas, & velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. In quo consistat vera & perfecta obed scilicet in hoc, ut non modo exequaris, quod Superior cipere, aut etiam optare duntaxat cognoveris, verùm optimum judices, ideóque cum magna promptitudine luntatis suscipias; ita enim Christum Magistrum exe suo docuisse, S. Matth. c. 11. testatur, qui illud hau assiduè usurpavit: *Ita Pater, quoniam sic placitum ante te.*

Considera II. Si Filij hujus sæculi hanc ipsam obed tiam tam perfectè exhibent propter levissimam mer aut aliud humanum motivum, quantò perfectiùs, pron que tu obedientiam exercere debeas, ex qua summam gloriam, tibi summam felicitatem in hac & altera vit ximo verò tuo summum auxilium, solatiúmque omni

Considera III. Quomodo hactenus partes has obedi impleveris, aut certè implere deinceps velis. Colloq

B. V. ſtatuendo illud deinceps aſſiduò cum ipſa non tam labiis, quàm opere pronuntiare: *Ecce mancipium Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

Punctum III.

Conſidera I. Quo potiſſimùm medio uti debeas ad inſtitutum aliquem in obedientia profectum faciendum, nimirum ut vocem Superioris in ijs, quæ peccatum non involvunt, perinde ut vocem ipſius DEI excipias, maximè cùm ita moneat Servator tuus. Lucæ 10. dicens: *Qui vos audit, me audit.*

Conſidera II. Quàm efficax & ſuave ſit hoc medium; ſi enim Filij hujus ſæculi tam libenter audiunt voces potentum, ſapientum, & amantum, an non & tu cum gaudio exceptus eſſes vocem Superiorum tuorum, ſi crederes, eam eſſe vocem ipſius DEI potentiſſimi, ſapientiſſimi, & ſummè amabilis? an non exclamares cum Apoſtolis Joan. 6. *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes?* aut cum Sponſa Cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora?*

Conſidera III. Quomodo tu hoc medium hactenus adhibueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloquium ad Chriſtum cum congruis affectibus, maximè illo, quē S. David Pſ. 58. expreſſit, dum dixit: *Paratum cor meum DEVS, paratum cor meum.*

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 13. & illa præcipuè verba beneponderentur; quid magnum, ſi tu, qui pulvis es & nihil, propter DEVM te homini ſubdis, quando ego Omnipotens altiſſimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te humiliter ſubjeci?

Pro Quinta Die.

Meditatio I.

De Oratione.

Scopus.

Orationis deſiderium ſtudiúmque augendum.

Tessera:

Rectè novit vivere, qui rectè novit orare. S. Augustin. hom. 40.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Amico, quam sic S. Lucas describit: *Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicit illi: Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: Dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.* Considera, inquam, Scopum in hac Parabola intentum; scilicet, ut indicaret, quomodo oratio nostra constituta esse debeat, ut à DEO, quidquid petierit, impetret.

Considera II. Quænam sint illæ proprietates, quas oratio fructuosa habere debet. Nimirum 1. Ut sit amicus; quis enim, nam, ut Joan. c. 9. dicitur, *Peccatores DEVS non exaudit, sed si quis DEI cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* 2. Ut speret firmiter, se impetraturum, quod petit; ita enim quemadmodum amicus iste toties pulsans fecit; ita monet S. Jacobus c. 1. dicens: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* 3. Ut humiliet se, pulsétque, id est, humilitatem tam in habitu & gestu corporis, quàm in ipsa verborum & petitionum relatione præseferat, indigentiam suam simul & indigentiam coram DEO profitendo; talis enim *oratio penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat*, quemadmodum Ecclesiasticus testatur. 4. Ut perseveret in oratione, sicut amicus in pulsu; nam, ut S. Aug. super Ps. 65. ait, *DEVS, quod vult, daturus est, etsi differt, non aufert; non levitate mutat, quod promisit; non facilè de sententia movetur; quod promisit, fixum; fallere non potest, habet, unde faciat.* Imò S. Bernardus ait, *postquam oratio egressa est ab ore nostro,*

scribit eam in libro suo, & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit utilius.

Considera III. Quomodo tu hactenus has conditiones observaveris, & deinceps observare velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quæ potissimùm impedimenta te à tam salutari studio hactenus impediverint: an non exigua nimis de oratione, ejúsque fructibus æstimatio concepta sit? an non exigua cura, & præparatio ad eandem ritè peragendam præmissa sit? an non inanes sollicitudines curæque velut importunæ muscæ orationis tuæ suavitatem perdiderint? an non inordinatus quidam affectus erga res creatas à tam suavi ac salutari cum DEO colloquio abstraxerit?

Considera II. Quomodo hæc impedimenta removere possis, nimirum si certò tibi persuadeas, quod B. Aloysius dixit, Religionum & Ecclesiæ tam miseras facies ex una neglecta oratione provenire; illam esse compendiosam viam ad perfectionem, sine illa neminem se perfectè vincere posse. Imò S. Ignatius tanti faciebat orationem, ut P. Natali suadenti longioris temporis pro oratione præscriptionem diceret, sufficere etiam unicum quadrantem quotidianæ orationis ad vitam perfectè instituendam, ut Lancizius opusc. 2. n. 182. testatur; an non enim hac veritate bene perspecta omnem diligentiam in oratione adhibebis? an non curis tuis & affectibus cum S. Bernardo aut Christo dices; *Manete hic, donec vadam illuc, & orem?* an non cum P. Suarezio fateberis, malle te omnem scientiam, aliáque dona naturalia perdere, quàm unam orationis horam negligere?

Considera III. Quomodo deinceps hæc media adhibere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm industriæ conducant ad orationem fructuosè peragendam; præ omnibus efficacem fore puto, si frequenter ponderes amabilitatem, & dignitatem Dei, sicque in illius amore semper crescere studeas; si enim in hoc mundo homines, quantò vehementiùs se amant, tantò

ardentiùs desiderant simul colloqui, omnéque tempus in tali colloquio consumptum breve & jucundum esse fatentur, quantò magis animæ DEVM amanti jucundum erit, quam frequentissimè cum ipso conversari, & perinde ut Sponsa cum Sponso colloquens facere solet, omnes cogitationes et affectus importunè se tali colloquio ingerentes foràs rejiciet.

Considera II. Quàm efficax sit remedium istud, uti vel ipso Dœmonis conatu, quo orationem impedire studet, colligere potes; nimirum ut Patres Spirituales, cùm adverterint aliquem inordinato amore cuipiam mulieri adhærere, studeant, ut omne cum ea colloquium atque consortium fugiat, ne per talem familiaritatem majus augmentum capiat amicitia & Dœmon, ne per familiaritatem cum DEO semper in illius amore proficiat homo, omni conatu ab orationis frequentia & fervore abstrahere eum nititur.

Considera III. Quomodo tu proinde hunc Dœmonis conatum eludere, & quàm frequentissimè deinceps, diligentissiméque orationi vacare velis. Colloquium ad Christum de Iud assiduè cum Apostolis rogando: *Domine, doce nos orare.* Vide Spinolam p. 2. Med. 150. pu. 1. fol. 384.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 18. & illa præcipuè verba cum zubore perpendantur: Per diem laborabant (SS. Patres in eremo) & noctibus orationi divinæ vacabant, quamquam laborando ab oratione mentali minimè cessarent. Omnis labor ad vacandum DEO brevis videbatur, & præ magna dulcedine contemplationis, etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis.

Pro quinta Die.

Meditatio II.

De Humilitate.

Scopus.

Amoris erga dictam virtutem augmentum.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Pharisæo & Publicano, quam in hæc verba S. Lucas c. 18. describit: *Duo homines*

scenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum elevare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Considera, inquam, quem scopum Christus per hanc Parabolam intenderit, scilicet ut nobis præstantiam & efficaciam humilitatis declararet, atque adeò ad illius amorem & praxin excitaret.

Considera II. Quàm bene iste Publicanus docuerit, in quo vera humilitas consistat, dum scilicet, non tantùm se per intellectum despexit, sed etiam per voluntatem, adeóque utramque humilitatem, intellectûs scilicet & voluntatis conjunxit, nam ut S. Bernardus 142. in cant. ait, *alia est humilitas, quam veritas parit; alia, quam charitas formar.* Ad quam utramque hortatur Apostolus ad Ep. Kemp. c. 4. *Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione vestra cum omni humilitate.*

Considera III. Quid sit despicere se ipum; id te optimè magister humilitatis docebit, de quo S. Paulus ad Philip. c. 2. dixit: *qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formâ servi accipiens*; unde ut servus nihil proprium habere voluit, sed omne lucrum Deo velut Domino obtulit; ipse ut servus omnia onera nostra in se suscepit; ipse vilissima in victu, habitatione, vestibus &c. elegit; ipse ut servus omni honore caruit, factus opprobrium hominum, & abjectio plebis. Aspice ergo, & examina, an hactenus secundùm hoc exemplar humilitatem exercere studueris, & vel deinceps errorem tuum, & negligentiam emenda. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum ex humilitae sua Publicanus iste retulerit, nempe descendit justificatus in domum suam, ut adeò verè in eo completum sit, quod Christus in fine parabolæ dixit: *qui se humiliat, exaltabitur*; quæ enim ma-

jor exaltatio optari potest, quàm ex mancipio diaboli filium & hæredem Dei effici.

Considera II. Si parva ista humilitas tantopere exaltavit hunc Publicanum, quantò altiùs exaltatura sit Religiosum vel Sacerdotem, qui eidem perfectiori modo, scilicet ad exemplar Christi studuerit; nimirum efficiet, ut, sicut Christus accepit nomen super omne nomen, ita & ipse ante alios in perfectionis studio proficiat, atque adeò perfectus DEI amicus, & vir secundùm cor DEI dici possit, quod nomen meritò summum honorem, quem homo optare potest, continet, atque adeò super omne nomen æstimari debet. Hoc sanè nomen accepit frater Urigman ex Dominicana Familia, qui, cùm nullum sibi congruum locum reperire posset, nisi in profundo inferno sub ipsomet Lucifero, hanc de cœlo audivit vocem: *citò huc ascende ad thronum altissimum meum Dei.*

Considera III. Quàm pretiosus sit iste fructus, & quam verè per illum impleatur, quod Christus Matt. c. 11. promisit, dum dixit: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, id est in hoc per amorem perfectum quiescetis, hanc enim solam esse veram animæ quietem, S. Aug. l. 1. conf. c. 1. indicavit dicens: *fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Colloquium ad BB. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs potissimùm ad insignem illam humilitatem pervenire possis, nimirum duobus maximè, quorum prius est exemplum Christi, ut enim Rebecca Gen. 24. mox de camelo descendit, quando vidit Isaacum pedibus ambulantem, ita & anima veri Religiosi aut Sacerdotis mox de camelo superbiæ aut propriæ æstimationis desiliet, si viderit Christum pro se tantopere humiliatum, unde S. Bernardus ait: *Exinanivit semetipsum Christus, ut præstaret exemplo, quod docturus erat verbo; & ut non ponat se ultra magnificare homo super terram, intolerabile est enim impudentia, ut, ubi se exinanivit majestas, verus eulus insletur, & tumescat.* Posterius medium est cognitio sui, & consideratio propriorum vitiorum, ut enim

nox pennas expansas contrahit, ubi sordidos pedes aspexit, ita & homo facilè de se conceptam opinionem dimittit, si, quantis vitijs & imperfectionibus abundet, accuratiùs perpendat.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media, multísque hactenus exemplis confirmata.

Considera III. Quomodo & tu deinceps illa diligentiùs adhibere velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p. 2. med. 167. fol. 432.

Legatur ex lib. 3. c. 8. & illa præcipuè verba bene ponderentur: Merita non sunt ex hoc æstimanda, si quis plures visiones aut consolationes habeat; vel si peritus sit in scripturis, aut in altiori ponatur gradu, sed si verâ fuerit humilitate fundatus, & divina charitate repletus; si Dei honorem purè & integrè semper quærat; si se ipsum nihil reputet, & in veritate despiciat, atque ab alijs etiam despici, & humiliari magis gaudeat, quàm honorari.

Pro quinta Die.

Meditatio III.

De frequenti recollectione sui.

Scopus.

Accuratus usus variorum Examinum.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de muliere, quam sequentibus verbis S. Lucas c. 15. describit. *Mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? & cùm invenerit, convocat amicas, & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?* Considera, inquam, quàm bene hæc parabola Religiosis, & Sacerdotibus applicari possit, qui & ipsi Dei favorem, & amorem, item fervorem in Spiritu non quidem adhuc omnem, sed tamen ex parte per negligentiam suam & teporem amiserunt.

Consi-

Considera II. Si mulier ista drachmam unicam, rem levis adeò pretij, tam sollicitè quæsivit, quantam tu diligentiam adhibere debeas in tua drachma quærenda, quæ tantopere tibi necessaria est ad gloriam Dei, tuámque, & proximi salutem cum summo tuo & illius commodo procurandam.

Considera III. Quomodo dictam drachmam quærere debeas, nimirum accendendo lumen, id est, per humilem orationem petendo à Deo illustrationem intellectûs, & everrendo domum conscientiæ per scopum accurati examinis, tum singulis mensibus & hebdomadis paulò longiùs, tum quotidiè circa vitia in genere, & circa unum in particulari instituti. Vide ergo, quomodo hactenus hanc diligentiam adhibueris, an cum veritate illud S. Davidis Ps. 76. dicere potueris: *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum hæc mulier tulerit ex tam sollicita drachmæ quæstione, nimirum & ipsam drachmam invenit, & singulare ex tali inventione gaudium percepit, unde convocans amicos dixit? *congratulamini, quia inveni drachmam, quam quæsivi.*

Considera II. Quantò nobilior sit fructus ille, quem tu ex frequenti recollectione colliges, nam præterquam quòd fervorem tuum semper sis recuperaturus, & aucturus, atque adeò insignem etiam profectum in sanctitate & meritis facturus, summum gaudium creabis inprimis Deo & SS. qui singulariter delectantur super uno pectore pœnitentiam agente; deinde domesticis, quia, ut Thomas Kemp. l. 1. c. 23. ait, valde jucundum & dulce est, videre fervidos & devotos fratres, bene morigeratos, & disciplinatos; animabus purgatorij, quæ tantò efficaciùs subsidium à te sperant, quanto magis in perfectione & charitate profeceris; denique tibi ipsi, quia si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo; & si ante mortem tam magnum gaudium percipiet, quale in ipsa morte, & post mortem experietur, quando audies à Christo: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Ut adeò meritò exclamârit Tho-

mas

mas Kemp. l. 1. c. 11. *O si adverteres, quantam tibi pacem, & alijs lætitiam faceres te ipsum bene habendo, puto, quòd sollicitior esses ad spiritualem profectum.*

Considera III. Quàm digni sint fructus, propter quos omnem diligentiam in frequenti, imò assidua tui recollectione adhibeas. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm te impediverit hactenus, quò minùs optatum ex talibus recollectionibus fructum reportares; an non ex primarijs impedimentis illa fuerint, quòd non eam, quàm par erat, æstimationem de ijs habueris; quòd ex tam frequenti inspectione tui ipsius tædium conceperis, atque adeò non nisi obiter eam peregeris? Quòd in ijs nunquam tibi debitum scopum præfixeris, sed exteriorum duntaxat defectuum reformatione contentus, ad ipsam radicem exscindendam animum non applicueris? quod à vehementia passionum & frequenti in vita relapsu in desperationem actus, omnem de fructu secuturo spem abjecerit, ideòque dictas recollectiones frequenter neglexeris?

Considera II. Quibus medijs talia impedimenta removere possis, nimirum certò tibi persuadendo, unum ex principalibus medijs ad perfectionem citò faciléque consequendam esse frequentem tui inspectionem, & recollectionem; eam præterea esse officinam virtutum, in qua timor Dei, humilitas, cognitio sui, compunctio, perseverantia, fervor, prudentia &c. cuditur; id quod S. Ignatius præcipuè expertus est, utpote cujus prudentia & sanctitas singularis huic potissimùm exercitio, & frequenti meditationi. l. ult. 1. p. hist. soc. adscribitur.

Considera III. Quomodo deinceps in hoc negotio gerere te velis. Colloquium ad Christum.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 19. & illa præcipuè verba bene perpendantur: secundum propositum nostrum cursus profectus nostri; & multâ diligentiâ opus est, bene proficere volenti: Quod si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille, qui rarò aut minùs fixè aliquid proponit.

Pro

Pro 5. Die.

Meditatio IV.

DE PURA INTENTIONE.

Scopus.

Studium puræ Intentionis.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de fermento, quod accepta mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentatum totum, uti S. Lucas c. 13. memorat. Considera inquam, quàm bene per hanc mulierem significetur anima cujusvis hominis, sed maximè Religiosi aut Sacerdotis, qui intentionem puram velut fermentum tribus satis farinæ, id est, tuis cogitationibus, verbis, & operibus miscet, ut sapidas, id est Deo gratas omnes suas actiones efficiat.

Considera II. Qualis debeat esse intentio Religiosi aut Sacerdotis, nimirum ut non tantùm propter metum inferni aut spem æternæ beatitudinis, sed ex solo Deum glorificandi, eique bene placendi desiderio quasvis suas actiones suscipiat.

Considera III. An tu quoque hactenus talem intentionem elicere conatus sis, aut certè deinceps omnibus tuis operibus præmittere velis. Colloq. ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quas ob causas specialiter studere debeas, ut in prædicto puræ intentionis exercitio, quàm maximè proficias; præ multis sufficere tibi potest, si ex una parte memineris vitam nostram comœdiam esse, in qua quisque personam sibi à Deo assignatam repræsentare debet; ex altera verò parte certò tibi persuadeas, Deum solum omnia videre omnes proprietates perfectissimè, quas in spectatore talium operum desiderare posses, nam si ad spectaculum ejusmodi muniter spectatores sapientes, multi, in magna dignitate constituti, munifici, & constanter perseverantes requirantur, ubi has conditiones magis, quàm in Deo reperies, qui solus

ri infinita sapientiâ præditus est, solúsque cor & intentionem hominum cognoscit, ita solus quoque sincerum de tuis actionibus judicium ferre potest; qui solus omnes tuas non actiones tantùm, sed etiam cogitationes spectat, verbáque singula audit, qui solus dignitate infinitos homines & Angelos superat, atque adeò eminenter majus theatrum constituit, quàm si omnes tam Angelos, quàm homines possibiles pro spectatoribus haberes; qui solus denique pro quovis motu & actione majus tibi præmium promittit, quàm si totus mundus, aut mille mundi in præmium offerentur.

Considera II. Si Actores in Comœdijs tantopere excitantur ad personam suam quàm convenientissimè repræsentandam, omnémque laborem & difficultatem, quem suscipere debent, levem ducunt solius vanæ laudis, aut præmij parvi desiderio ac spe allecti, quantas tibi vires & alacritatem addatura sit cogitatio, quâ tibi persuaseris, te pro omnium tuarum actionum spectatore Deum ipsum cum sua tota cœlesti curia habere.

Considera III. Si jam olim Democritus ausus est dicere: unus mihi pro populo est, & populus pro uno; si Epicurus uni ex consortibus studiorum scripsit, hæc se non multis, sed ipsi scribere, satis enim magnum alterum alteri theatrum esse; quantò magis tu hoc ipsum de Deo dicere possis, ac debeas, atq; adeò hunc unum deinceps pro spectatore desiderare, & eligere debeas. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs dictam puritatem intentionis obtinere possis; ex multis duo potissimùm eligenda censeo, quorum primum est, ut sæpe volvas animo, quàm falsa, vana, inconstans, & noxia tam animo, quàm corpori sit laus humana, ut meritò S. Augustinus in quad. Epist. dixerit: *laudamur mendaciter, delectamur inaniter; & vani sunt, qui laudantur, & mendaces, qui laudant.* Secundum est, ut bene perpendas quid sit bene placere Deo, nimirum tanti hoc faciendum, ut ipsa etiam beatitudo beneplacito Dei sit postponenda, quemadmodum sancti Cœlites de facto faciunt, dum majus gaudium percipiunt ex eo, quod Dei beneplacitum in se, & alijs impleri cernunt, quàm ex ipsa sua gloria capiant.

Con-

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad finem obtinendum, ut rectè S. Basilius c. 10. const. Mon. dixerit, vanam gloriam esse dulce bonum, sed imperitis nu- tùm, S. Ignatius verò dixerit, eam ex ignorantia & cæc amore provenire, unde ipse, postquam in meditatione fr quentiùs circa hanc materiam se exercuit, fassus est, se minùs, quàm vanam gloriam timere.

Considera III. Quomodo tu dicta media hactenus adh bueris, aut certè deinceps adhibere velis. Coloquium Christum cum congruis affectibus.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 9. & illâ præcipuè verba ne perpendantur: Fili, ego debeo esse finis tuus supremu ultimatus, si verè desideras esse beatus; ex hac intentio purificabitur affectus tuus sæpius ad te ipsum, & ad creata malè incurvatus.

Pro sexta Die.

Meditatio I.

De zelo animarum.

Scopus.

Idem Zelus magis accendendus.

Tessera: Diligamus nos invicem, quia charitas ex D est. 1. Joan. 4.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine, qui incidit in trones, quam sic S. Lucas c. 10. describit: *Homo qu descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latr qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abier semivivo relicto. Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eâdem viâ: & viso illo pretervit. Similiter levita; cùm esset secus locum, & videret eum, pertra Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus e & videns eum, misericordiâ motus est. Et appropians gavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & i mens illum in Iumentum suum, duxit ad stabulum, &*

am ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit tabulario, & ait: curam illius habe, & quodcunque superogaveris, ego cùm rediero, reddam tibi. Considera, inquam, I. Scopum hujus parabolæ à Christo intentum non alium fuisse, quàm ut nos doceret, quomodo charitatem erga proximum exercere debeamus,

Considera II. Quàm pulchrè per factum Samaritani hujus omnia charitatis fraternæ officia designentur; per oleum quidem misericordia, quam in aufferendis ab eo miserijs declarare debemus; per vinum verò lætitia, quam per variorũ beneficiorum collationem ei conciliare oportet. His enim duobus actibus totum charitatis officium comprehenditur, ut jam olim duo illa axiomata indicârunt: *Quod ab alio odisti tibi, fide, ne tu alteri feceris.* Tob. 5. *& omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7.

Considera III. Quàm longè tu hactenus abfueris à tali charitate, quàm frequenter imitatus sis Sacerdotem & Levitam, qui, ut hæc ipsa Parabola refert, viso proximo afflicto transierunt. Vide ergo, quid deinceps statuere hac in parte velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quo potissimùm motivo dictus Samaritanus excitatus fuerit ad tantam charitatem exhibendam; scilicet quia videbat esse hominem ejusdem secum naturæ, gravibus que vulneribus affectum.

Considera II. Quantò promptiùs tu proximo tuo succurrere debeas, quem non naturâ duntaxat tibi conjunctum, sed insuper propter arctissimam conjunctionem ex Sanguine Christi, quo uterque redemptus, & spiritualiter renatus est, provenientem novo & singulari vinculo tibi obstrictum esse Christi; qui vulnera tantò graviora accepit, quantò gravius est peccatum, quàm ullum vulnus corporis, & quantò graviùs timeret mors animæ æterna, quàm ea, quâ vita corpotalis auferetur.

Considera III. Quàm potentia sint hæc motiva ad zelum animarum in te accendendum, maximè si præterea consideres præmij magnitudinem, quæ ijs, qui charitati singulari-

ter ſtudent, à Deo promiſſa eſt, ſi enim, teſte S. Matteo c. 12. *diligere proximum tanquam ſe majus eſt omnibus holocaustomatis* & ſacrificijs, quis dubitet, præmium quoque majus quàm alijs operibus promiſſum fuerit, tanto operi reſpondeſurum? Colloquium ad B. V.

Punctum. III.

Conſidera I. Quid te potiſſimùm hactenus impedierit quò minùs officio charitatis juxta vocationem tuam ſatisfaceres an non fortaſſis cauſa fuit, quòd charitatis præſtantiam & motivum non ſatis perpenderis? an non horror difficultatis & laborum à talibus te officijs abſterruit? an non amor ſolitudinis, & quietis, otiſque ſpiritualis nauſeam tibi de officiorum ad proximi ſalutem pertinentium peperit?

Conſidera II. Quomodo dicta impedimenta removere poſſis, videlicet, ſi certò perſuadeas, te in hoc maximè discipulum Chriſti te declarare, ſi dilectionem ad proximum exhibueris; ſi item firmiter credideris, Deum omnia charitatis obſequia perinde accipere, ac remunerari, ac ſi ipſi immediatè exhibita forent, & tandem ſi quanta Chriſtus quo fervore ac charitate pro ſalute hominum egerit, attenſus ſit: ſeriò ac frequenter perpendas.

Conſidera III. Quàm efficacia ſint hæc motiva; omnino enim non ageres, ſi Chriſtum in terris degentem, aſſiſtentem, inopem, languentem, aſpiceres? quod ergo tunc ageres, deinceps præſtare ſtude, ideóque in omni charitatis occaſione à Chriſto dictum tibi puta: *Quamdiu feciſtis uni de minimis meis, mihi feciſtis.* Matt. 25. Colloquium ad Chriſtum. Vide Spinolam p. 2. med. 141. fol. 259.

Legatur ex l. 1. de imit. c. 15. & illa præcipuè verba ponderentur: quidquid ex charitate agitur, quantumcunque etiam parum ſit, & deſpectum, totum fructuoſum reditur.

Pro sexta Die.

Meditatio II.

De Indifferentia Religiosi vel Sacerdotis.

Scopus.

Sudium ejusdem Indifferentiæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Pastore, quam S. Joan. c. 10. refert: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro; qui autem intrat per ostium pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit: & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.* Considera, inquam, quid Christus per istam parabolam indicare voluerit, nimirum illum, qui pastoris boni officium implere cupit, ante omnia indifferentem esse debere ad quævis officia à superioribus designanda, neque ad aliud se intrudere debere, nisi quod ab illis oblatum est; cùm enim Christus sit ostium, per quod intrare debemus ad oves pascendas, & custodiendas, superiores autem Christi personam sustineant, meritò superiorum talium voluntas pro voluntate Christi, atque adeò pro ostio ad munus Apostolicum agnosci debet.

Considera II. Si ad pascendas oves irrationales nemo facilè admittitur, nisi qui ab ipso Domino ovium approbatus est; quantò magis in ovibus rationalibus pretiosissimo Christi sanguine emptis & redemptis custodiendis talis solicitudo est adhibenda, quámque adeò periculosum sit, se ultrò pro tali munere ingerere.

Considera III. Quomodo tu hactenus hac in parte te gesseris, aut gerere deinceps velis. Colloquium ad SS PP.

Punctum II.

Considera I. Fructum, quem pastor iste parabolicus portavit ex eo, quòd per ostium intraverit, nimirum vocem ejus audiverunt. II. Eum secutæ sunt. III. Co ei fructus pepererunt. IV. Laudem & mercedem à Domino suo reportavit.

Considera II. Quomodo hos ipsos etiam fructus spiritualis sperare possit, si non nisi per legitimam nem Pastoris officium susceperit, uti experientia ipsa Apostolis, tum in alijs Apostolicis viris confirmat; trario verò qui non per ostium intrat, licuti fur est, dicente Christo Jo. 10. ita meritò etiam subtractionem xiliorum divinorum, & ex horum defectu malum diæ successum, &, quod consequens est, infamiam nas furibus talibus convenientes incurret. Unde P. sar Alvarez dicere solitus erat: quæ stultitia est, te aliquid rectè facturum, ad quod te non promoveat aut ipsum non fore voti compotem, cùm aliquid pit, etiamsi media, quibus illud intendit, tibi alien sparata videantur.

Considera III. Quàm optandi sint hi fructus alicui Religioso vel Sacerdoti, quámque adeò digni, propter coneris per verum ostium ad oves educendas semper re. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm hactenus impedierit minùs ad omnia officia æqualiter indifferens esses, amor proprius, quo nimis inordinatè labores aversaris, è contrario verò sensuales & vanas delectationes appetas an non appetitus honoris & laudis te impellebat, pto humilium officiorum tædio ad altiora magisque rifica aspirares, viámque tibi ad illa etiam illicitis sterneres?

Considera II. Quo medio hæc impedimenta removeas, videlicet, si consideres, id, quod in quovis vero Religioso aut Sacerdote quæri, & appeti debet, lùm beneplacitum Dei; quid enim hoc fine præstito

bi poterit, quò minùs æqualiter omnia officia de manu superiorum suscipias, & cum æquali alacritate ac diligentia ministres?

Considera III. Quomodo hactenus hoc medio usus sis, ac uti deinceps velis. Colloquium ad Christum. Vide Spiritualem p. 2. med 135. fol. 343.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 11. & illa præcipuè verba bene perpendantur: desideria te sæpe accedunt, & vehementer impellunt; sed considera, an propter honorem meum, an propter commodum tuum magis movearis.

Pro sexta Die.

Meditatio III.

De sedula Administratione officii.

Scopus.

Accurata munerum Administratio.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Negotiatore quærente bonas Margaritas, qui inventâ unâ bonâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matth. 13. Considera, inquam, quàm meritò per hunc Negotiatorem intelligatur quivis Religiosus vel Sacerdos, qui non suam duntaxat, sed alienam etiam salutem procurandam suscepit, atque adeò prætiosas margaritas animarum quærere statuit.

Considera II. Quàm pretiosæ sint hæ margaritæ, sive illas in se spectes, sive pretium à Christo Negotiatore optimo pro illis oblatum attendas; sive SS. de talibus margaritis judicia consideres; nam S. Catharina Senensis, cùm semel animæ pulchritudinem vidisset, deinceps, quotiescunque operarium Evangelicum transeuntem vidit, pedum ejus vestigia osculata est. S. Ignatius, si quando homines ipsi occurrerent, considerans animarum à Christo redemptarum splendorem ac pretium, vix interdum lætitiæ æstuantis vim, ne se extra effusius proderet, temperabat. S. Franc. Xav. cùm

parvulum quendam baptizatum ad cœlos transmisisset, fa
sus est, sufficiens sibi hoc præmium itineris in Indiam fel
pti fore, etiamsi Deus nullum aliud addere statuisset.

Considera III. Qualem tu hactenus de margaritis hi
æstimationem habueris, aut certè deinceps habere velis. Co
loquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quomodo has margaritas parabolicus
Negotiator obtinuerit, quòd scilicet abierit, & vendi
omnia, quæ habuit, & emerit eam.

Considera II. Quomodo hanc ipsam industriam
tualis Negotiator adhibere possit, & debeat, si videli
ipse omnes alias curas seponens totum se impendat
suo, atque in eo rectè & fructuosè administrando omn
ligentiam atque conatum adhibeat, id quod S. Ignatius
dicare voluit, cùm dixit, finem Societatis esse, ut no
lùm saluti propriæ cum divina gratia quisque vacet, sed
eadem gratia etiam in salutem proximorum procuran
impensè incumbat.

Considera III. Quomodo tu hactenus hanc indefi
adhibueris, & deinceps adhibere velis. Colloquium ad

Punctum III.

Considera I. Quæ media potissimùm conducant ad
ctuosam muneris administrationem: tria præcipuè
rim. Primum est, ut puram intentionem tam in illorum
sceptione, quàm continuatione habere studeas; hoc
est in nomine Domini laxare rete, & absque hac intent
ferò olim querêris cum Apostolis, multis annis te in
quopiam laborâsse, sed nullum aut exiguum fructum
Secundum est, si quas habes regulas aut directiones
officium tuum à superioribus præscriptas, eas exactè
ves; sic enim sperare poteris verificatum iri de te, quo
viro legem divinam observante S. David Ps. 1. dixit:
omnia, quæcunque faciet, semper prosperabuntur. Ter
est, ut frequenter & accuratè te per examen circa
tuũ reflectes, id est, quid profuerit, aut obfuerit, attend
& pericula, quæ occurere in illius administratione
prudenter prævidere, ac contra illa salubriter te

videas; hoc enim medium præ alijs salutare S. Ignatius experus est, unde tantam in rebus spiritualibus, & animabus rerandis dirigendísque peritiam, felicitatémque est consenus.

Considera II. Quàm efficacia simul,& facilia sint hæc media, quàmque frequenti hactenus experientiâ, copiosissimóque fructu comprobata.

Considera III. An & quomodo tu hactenus ea adhibueris, an non eorum illorum neglectûs causa fuerit, quo minùs optatum ex officijs tuis fructum reportares. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p. 2. med. 90. p. 2. fol. 224.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 47. & illa præcipuè verba sibi applicentur: age, quod agis; fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. veniet una hora, quando cessabit omnis labor & tumultus.

Pro 6. Die.

Meditatio IV.

DE CAVTELA OPERARII.

Scopus.

Cognitio insidiarum Dæmonis, & Devitatio.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine seminante, quam in in hunc modum S.Matth. c. 13. describit: *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abijt. Cùm autem crevisset herba, & fructum fecisset,tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminâsti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Et ait illis: inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? & ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis,& triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm*

mùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Considera, inquam, quàm convenienter hæc parabola cum Religioso aut Sacerdoti in salute proximi procuranda occupato conveniat, quàm bene labores illius tritico, vitia vero & imperfectiones, quas dictis laboribus ex impulsu dæmonis immiscet, zizanijs comparentur.

Considera II. Si quantò præstantius est triticum, tanto graviùs est damnum, quod zizania tritico tali immixta causant, quantopere abominanda, & cavenda sint zizania, quæ fructum laborum nostrorum, puta Dei gloriam, nostrámque & proximi salutem impediunt.

Considera III. An hactenus dignam de damno tali æstimationem conceperis; debitámque diligentiam in zizania spiritualibus præcavendis adhibueris. Colloquium a SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quænam sint illa zizania, quæ Diabolus non in medio duntaxat, sed etiam in initio & fine tui tritici, id est, laborum superseminare conatur; nimirum primum in initio conatur malam intentionem immiscere, ut te ipsum potiùs id est, laudem, honorem, vanam delectationem tuam quàm Dei gloriam, aut proximi salutem quæras, quod quidem vel ex eo colliges, quòd ad illa munera, in quibus tua commoda minùs reperiuntur, non æquè promptus sis, atque ad alia, quæ magis sunt honorifica, sensibúsque jucunda. II. In medio laborum efficere conatur, ut vel cum tædio vel cum negligentia, vel cum impatientia, vel cum inordinata complacentia, vel cum sensuali affectu actiones munere tuo convenientes exerceas. III. In fine laborum studet, vel tristitiam inordinatam ex malo successu, vel vanam gloriam & despicientiam aliorum ob felicem eventum, vel vanam jactantiam, & inordinatam lætitiam; aut nimiam tui æstimationem, & noxium altiorum munerum, operúmque appetitum ingerere.

Considera II. Si quodvis horum zizaniorum sufficeret ad triticum laborum tuorum corrumpendum, quantum damnum creatura sint tam multa, támque noxia zizania, si non studiosè ab agro tuo, id est, animo avertas.

Co-

Considera III. Quàm diligentiam hactenus in ijs, vel præcavendis, vel evellendis adhibueris, aut quam deinceps adhibere velis. Colloquium ad SS. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm media conducant ad dicta zizania avertenda; ea videlicet, quæ Christus Matth. 29. indicavit, dum dixit, *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Verè enim ex defectu horum mediorum omnes aut pleræque tentationes, maláque inde creata oriuntur, unde Christus in Parabola dixit, inimicum superseminâsse zizania, cùm dormirent homines.

Considera II. Quid sit vigilare, nimirum oculos mentis apertos habere ad fraudes dæmonis cognoscendas; item instructum esse armis, quibus repellas inimicum ab agro, qualia arma sunt studium puræ intentionis, imaginatio præsentiæ Dei, contemptus sui & rerum terrenarum, amor Dei &c. hæc enim remedia sunt ijs vitijs, de quibus in priori puncto mentio facta est, profligendis, & cavendis aptissima, uti consideranti patebit.

Considera III. Quomodo hæc media hactenus adhibueris, aut certè deinceps adhibere velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p. 2. med. 888. fol. 219.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 6. & illa præcipuè verba bene ponderentur: scito, quod antiquus inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni devoto exercitio evacuare. Sit tibi in cautelam & perpetuam humilitatem ruina hæc superborum de se stultè præsumentium.

Pro septima Die.

Meditatio I.

DE BENEFICIO REDEMPTIONIS.

Scopus.

Amor & Imitatio Christi patientis.

Tessera: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi.* ad Galat. 6.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Pastore, quam his verbis S. Matth. c. 18. describit: *Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit? & si contigerit, ut inveniat eam; Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.* Considera, inquam, quanta charitas fuerit istius Pastoris erga hanc ovem, sive voluntas ipsa quærendi, sive modus & labor in quærendo adhibitus, sive gaudium post inventionem conceptum attendatur.

Considera II. Quantò major fuerit charitas Christi erga te, utpote qui tot labores susceperit, tot contemptus sustinuit, tot dolores exantlavit, & ipsam denique tam acerbam, & ignominiosam mortem cum summa patientia & charitate toleravit, & ita quidem, ut non minùs pro te solo, quàm pro omnibus hominibus simul passionis suæ merita obtulerit.

Considera III. An non cum S. Augustino justissimè exclamare possis: *Domine, qui tibi non servit, quia ater creatus est, infernum meruit; sed qui non servit tibi, quia redemptus est, meretur, ut novus pro ipso infernus fiat.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Cùm amor perfectiùs rependi non possit, quàm per amorem, quantopere conari debeas, ut, sicut Christus summè amorem suum erga te per passionem ostendit, ita tu quoque vicissim amorem tuum perfectissimè declares.

Considera II. Quâ potissimùm in re amorem tuum declarare possis, & debeas, videlicet, ut tu quoque vicissim pro animam ponas, & cruci saltem spirituali te affigas; ut enim ipse Christus Joan. 15. dixit: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: hinc S. Joannes 1. c. 4. *in hoc*, ait, *apparuit charitas DEI in nobis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*; quantò magis pro ipso Christo.

Considera III. Quàm libenter hanc mortem suscipere pro Christo debeas, maximè si quoties hanc, & longè graviorem

sis promeritus, perpendas; an non enim feres contra te ipsum sententiam, & dices: *Reus est mortis: crucifigatur*? an non exclamabis cum Latrone Luc. 23. *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus, iste vero nihil mali gessit.* Colloquium ad B. V. illud cum affectu pronuntiando: *Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac, ut tecum lugeam.* Item: *Sancta Mater istud agas, crucifixi fige plagas, cordi meo validè, tui Nati vulnerati tam dignati pro me pati, pœnas mecum divide.*

Punctum III.

Considera I. Quid sit spiritualiter mori, & crucifigi cum Christo, nimirum 1. Ut omni affectu inordinato erga creaturas exutus per tres clavos, paupertatis, castitatis, obedientiæ cruci, id est, mandatorum & Regularum aut constitutionum tuarum observationi te affigas; nam, ut S. Maximus ait; tota vita Christiani (utique etiam Religiosi aut Sacerdotis) si secundùm Evangelium vivat, crux est, atque Martyrium. 2. Ut omnem inopiam, contemptum & dolorem (qui ut P. Balthasar dicere solebat, erant tres comites Crucifixi Christi) magna cum patientia & alacritate sustineas. 3. Ut perinde ac crucifixus aliquis aut mortuus homo, totum te aliorum arbitrio & directioni committas, hoc enim est, obedientem esse usque ad mortem crucis.

Considera II. Quàm meritoria & honorifica tibi apud DEVM & homines mors hæc sit futura; si enim Abraham tantopere placuit DEO, tantúmque apud ipsum meruit, quia Filium suum voluit sacrificare, quantò plùs tu mereberis, & placebis, si te ipsum, quem magis, quàm ullus Pater Filium suum diligit, amare debes, DEO per spiritualem crucifixionem sacrificabis? an non pretiosa erit hæc mors in conspectu DEI? an non cum Christo nomen super omne nomen accipies? an non tanquam granum emortuum afferes multum fructum in salute proximi? an non mors hæc finis erit omnium malorum, atque adeò tu deinceps audacter dices cum S. Paulo ad Galat. 6. *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini mei IESV in corpore meo porto.*

Considera III. Quàm libenter & promptè ob hos fructus te ipsum crucifigere debeas & velis. Colloquium ad Christum

stum dicendo cum S. Bernardo: *Sequar te, quocunque ieris, mihi tolli non poteris, cùm meum cor abstuleris, IESV bone nostri generis.* Vide Spinolam p. 2 Med. 162. fol. 417.

Legatur ex lib. 2. de imit. c. 11. & illa præcipuè verba bene ponderentur: Habet JESVS nunc multos amatores regni cælestis; sed paucos bajulatores suæ crucis. Unum tibi summè necessarium est, ut omnibus relictis te relinquas, & in totaliter exeas.

Pro septima Die.

MEDITATIO II.

DE FRVCTIBVS EX PASSIONIS DOMINICÆ CONSIDERATIONE REFERENDIS.

Scopus.

Item, qui in titulo.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Patrefamilias, quam in hunc modum S. Matthæus c. 21. commemorat: *Erat Paterfamilias, qui plantavit Vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cùm autem tempus fructuum appropinquâsset, misit servos suos ad Agricolas, ut acciperent fructus ejus. Et Agricolæ apprehensis servis ejus alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Novissimè autem misit ad eos Filium suum, dicens: Verebuntur Filium meum. Agricolæ autem videntes Filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet Agricolis illis? ajunt illi: Malos malè perdet; & vineam suam locabit aliis Agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Considera, quam, quanta fuerit ingratitudo horum Agricolarum, & quantò gravior futura fuisset, si idem Filius Patrisfamilias semel iterúmque Patri pro eorum delictis satisfeciisset, eorúmque eorum pœnam in se transtulisset? Con-

Considera II. Quanta hactenus fuerit tua ingratitudo, qui vineam tam nobilem non modò neglexisti, nec tantùm servos DEI, id est, Superiores, & Patres Spirituales, qui fructus à te DEI nomine exigebant, contempsisti, sed ipsum etiam DEI Filium tam gravibus, totiésque repetitis peccatorum vulneribus aut sauciâsti, aut omnino interemisti.

Considera III. Quanta sit bonitas DEI, qui non modò te pro meritis hactenus non punivit, sed ultrò ad veniam invitat, vineámque etiam deinceps adhuc relinquere statuit, ut vel nunc tandem optatos fructus à te recipiat. Vide ergo, quomodo tantæ & Patris & Filij charitati respondeas. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quinam sint illi fructus, quos Christus à te Patris sui æterni, imò & suo nomine exigit, nimirum sequentes. Primus est, gratitudo pro collata vinea, id est, pro vocatione Religiosa aut Sacerdotali, & pro beneficio Redemptionis, per quam tibi dicta Vocatio à Christo obtenta est. Secundus est, dolor de præterita ingratitudine, negligentiisq; in vinea excolenda commissis, nec non de summa injuria, quam & Christo, & Patri ejus per peccata tam gravia, quibus passionis causa extiteras, intulisti. Tertius, fiducia, tum de bonitate DEI, tum de meritis Christi concepta. Quartus, Amor intentus erga tantos benefactores, quo nihil aliud desideres, aut agas alio fine, quàm ut ipsis placeas, mutuúmque erga illos amorem demonstres. Quintus, Patientia generosa, quâ & DEI, & Christi amore nihil laborum, aut miseriarum refugias, sed omnia similia singulari cum alacritate suscipias, & sustineas.

Considera II. Quàm pretiosi sint hi fructus, & quàm accepti tam Patri æterno, quàm ipsi Christo; quàm item tibi & proximo salutares sint futuri.

Considera III. Quomodo deinceps hos fructus diligentiùs ex vinea tua persolvere, atque adeò præteritas negligentias compensare velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quo medio deinceps uti velis ad dictos fructus

ctus producendos, scilicet frequenti, imò assiduâ passionis Christi memoriâ & meditatione; nam, ut S. Augustinus n. 119. in Joannem dixit, *Crux Christi non tantùm est lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis, in qua virtutes omnes non tam verbis, quàm ipso opere, atque adeo efficacissimè docentur.*

Considera II. Quàm multis hoc remedium singulariter profuerit ad dictos fructus obtinendos, ut meritò non tantùm S. Augustinus dixerit, se in omnibus adversitatibus non inveniſse tam efficax medium, quàm vulnera & passionem Salvatoris, sed verè etiam alij dicere possint, se nullum non salutare medium ad virtutes plantandas, & perfectionis studium promovendum fuisse expertos, quàm ejusdem passionis frequentem considerationem. Hinc S. Mariæ Magdalenæ conversionem auspicanti crux ab Angelo in spelunca eo artificio posita est, ut, quocunque se verteret, unum ex mysterijs passionis illi objiceretur. Sed & S. Franciscus Xaverius fassus est, se ad omnem sanctitatem præcipuè crebrâ vitæ mortisque Domini nostri meditatione accendi, ex qua emdescebat in illo humanæ salutis & Martyrij cupido, tocius que se ad illius imitationem pro gloria DEI hominúmque salute devovendi.

Considera III. Quomodo tu hactenus hoc medio usus fueris, aut deinceps uti velis. Colloquium ad Christum cum congruis affectibus. Vide Spinolam p. 2. Medit. 180. f. 472.

Legatur ex lib. 2. de imit. & illa præcipuè verba bene ponderentur: si nescis speculari alta & cælestia, requiescere in passione Christi, & in sacris vulneribus ejus libenter habita.

pro Septima Die.

Meditatio III.

DE TRIBVLATIONVM VTILITATE.

Scopus.

Studium Patientiæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de homine seminante semen suum, quam sic S. Matthæus c. 13. memorat: *Exiit, qui semi-*

nat,

nat, seminare semen suum. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres Cæli, & comederunt ea: alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in Spinas: & creverunt Spinæ, & suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Considera, inquam, quàm convenienter per hoc semen non tantùm Verbum DEI, ut Christus interpretatus est, sed etiam tribulationes, & quæcunque aliæ patiendi occasiones intelligantur; nam verè hæ sunt semen bonum, quod si in terram bonam cadat, centuplum, imò millecuplum feret fructum, cùm, teste S. Paulo ad Rom. 8. *non sint condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Considera II. Quàm frequenter etiam hoc semen vel in spinas impatientiæ, & indignationis; vel in petram cordis indurati, & in malitia obstinati: vel secus viam cadat, id est, absque intentione bona & ordinatione ad vitam æternam suscipiatur, dum scilicet vel ex sola necessitate, vel propter vanam gloriam, aliúdve motivum humanum tribulationes quandóque gravissimæ perferuntur.

Considera III. An non tu quoque hactenus dictum semen in Spinas, aut petram, aut secus viam cadere passus sis, & quomodo deinceps saltem hunc errorem corrigere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quænam sit illa terra bona, in qua semen tribulationum fructum trigesimum, aut centesimum refert, nimirum terram bonam esse, animam in Statu gratiæ constitutam, quæ si patienter ferat tribulationes, id est, æquo, & in divinam voluntatem resignato animo, fructum trigesimum ex tribulationibus ducit; si verò etiam cum gaudio & alacritate easdem suscipiat, & cum S. Francisco Xaverio ampliùs, ampliùs clamet, sexagesimum parere censenda est; si verò etiam constanter in simili Statu perdurat, tunc centesimus fructus ab illa meritò sperari potest, quem quidem Chri-

Christus copiosè retulit, utpote qui obediens factus est usque ad mortem crucis.

Considera II. Si filius hujus sæculi desiderio lucri temporalis impulsi tantopere optant terram bonam, ex qua copiosam messem referant, sique tot ac tantas industrias ac labores adhibent, ut terram suam bonam efficiant, quantò magis tu omnem industriam adhibere debeas, ut terram animæ tuæ ad excipiendum fructuosè tribulationum semen optimam fæcundissimámque efficias.

Considera III. Quomodo hac in parte te hactenus gesseris, & gerere deinceps velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quâ potissimùm industriâ terram animæ tuæ fecundam efficere, & supra dictas tres proprietates, scilicet patientiam, alacritatem, atque constantiam inter tribulationes obtinere possis, an non præ alijs placebit, & proderit, ut rivos sanguinis ex vulneribus Christi profluentes in eandem animam tuam derives? si enim aqua naturalis tantas vires habet ad agros naturales fæcundandos, quantò magis vitæ hæc sanctissimo Christi Sanguini respectu terræ spiritualis concedenda erit? Certè S. Augustinus ser. 32. ad Fratres in eremo dicere ausus est, nihil tam salutiferum esse, quàm quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit DEVS & homo.

Considera II. Quos per Canales derivare hos rivos in animam tuam debeas, nimirum frequenti & assiduâ meditatione, & applicatione, ita enim Christus ipse quondam virum quendam Religiosum docuit, dum gravissima desolatione oppresso dixit: Surge, & meam passionem devotè pertracta, & in amaritudine dolorem tuum vinces; quod ille faciens mox liberatus est. Sed & aliàs Florentiæ Virgini cuipiam, quæ in puteum se præcipitare statuerat, ne Sodalis suæ asperitatem diutiùs ferre cogeretur, idem Christus apparens dixit: Redi à te mulier parvi animi, & cogitans, quos ego quantósque cruciatus amore tui pertulerim, fororis tuæ veculas insuper habere disce.

Considera III. Quàm efficax simul, & facilis sit hæc industria, & quomodo tu quoque deinceps eam diligentiùs adhibere velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam d. 2. Med. 186. & 187. fol. 214. & 217.

Legatur ex lib. 2. de imit. c. 12. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Nihil DEO acceptius, nihil tibi salubrius in Mundo isto, quàm libenter pati pro Christo, si quidem aliquid melius & utilius saluti hominum, quàm pati fuisset, Christus utique verbo & exemplo ostendisset.

Pro septima Die.

MEDITATIO IV.

DE CONSTANTIA INTER ADVERSA.

Scopus.

Studium dictæ Constantiæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de viro sapiente, qui ædificavit domum suam supra Petram, quam S. Matth. c. 7. sic narrat: *Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea assimilabitur Viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super Petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit suam super arenam, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Considera, inquam, quàm convenienter per virum hunc sapientem intelligatur quivis quidem Christianus, sed maximè Religiosus aut Sacerdos, qui domum suam, id est, studium perfectionis, posuit super petram, id est, super solidum fundamentum, cui tutò, quidquid voluerit, superædificare potest.

Considera II. Quænam sit hæc petra, nimirum constantia inter adversa, quæ in eo consistit, ut per nullam difficultatem absterreri se sinat à perfectionis studio continuando, sed potiùs, ut Thomas Kemp. l. 3. c. 25. ait, una æquali facie in gratiarum actione permaneat inter adversa & prospera, omnia æqua lance pensando.

Considera III. An tu hactenus super similem petram ædificaveris domum tuam; an verò potiùs similis fueris viro

stulto, qui domum suam ædificavit super arenam (ut eadem parabola loquitur) in quam irruerunt venti, & ceciderunt, & fuit ruina ejus magna. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum ex tali constantia speres possis, scilicet, ut, licet descendat pluvia desolationum, & veniant flumina tribulationum, & flent venti persecutionum, non cadas animo, sed eodem tenore in virtutis & perfectionis studio pergas.

Considera II. Quàm præclarus, & quàm optabilis fructus, maximè Religioso aut Sacerdoti, si enim unius pretiosiùs est ædificium, quantò gravior illius ruina est, adeoque magis optandum, ut firmissimè consistat; quanopere optare, & conari debes, ut nobilissimum illud ædificium perfectionis, quod non tibi duntaxat, sed DEO etiam ad habitium & habitationem dignam præparatur, firmissimæ petra innitatur.

Considera III. Quomodo tu his motivis excitatus deinceps gerere te, & vel nunc media ad constantiam talem acquirendam necessaria indagare, & studiosè deinceps adhibere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quo potissimùm medio uti deinceps debeas ad talem constantiam obtinendam, an non placebit illud, quod olim Christus S. Catharinam Senensem docuit, ut scilicet firmiter credas, Deum esse summè potentem, ut sine nihil sine illius permissione tibi evenire possit; deinde pariter credas, esse summè sapientem, ut adeò omnia, quæ tibi quantumcunque adversa eveniunt, in summam tuam utilitatem convertere possit; tandem ut æquè firmiter persuadeas, etiam summè bonum esse, summéque misericordem, ut adeò etiam velit omnia, quæ tibi accidunt, ad tuum commodum ordinare.

Considera II. Quàm efficax sit hoc remedium, quàm multorum Sanctorum, & præcipuè ipsius Christi exemplo approbatum, & confirmatum, utpote qui adhibito hoc remedio licet in gravissima agonia constitutus, adeò tamen

boratus est, ut ultro obviam processerit inimicis, atque in tota passione sua summam semper constantiam præsetulerit.

Considera III. Quomodo tu quoque deinceps hoc medio uti velis. Colloquium ad Christum. Vide Spinolam p.2. Med.172. pu. 3. fol. 128.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 21. & illa præcipuè verba bene ponderentur: Quantò meliùs ad patiendum te disponis, tantò sapientiùs agis, & ampliùs promereris; feres quoque leviùs animo, & usu ad hoc non segniter paratus.

Pro octava Die.

Meditatio I.

De Cælesti Gloria.

Scopus.

Desiderium Beatitudinis.

Tessera.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Ps. 14.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de cœna magna, quam sequentibus verbis S. Lucas c. 14. describit: *Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servum suum hora Cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et caperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum: Et alter dixit, juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reversus servus hæc nunciavit Domino suo. Tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo: Exi citò in plateas, & vicos Civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait servus: Domine factum est, ut imperâsti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam.* Considera, in quam, quàm bene æterna beatitudo cœnæ comparetur, utpote in qua reperiun-

tur perfectissimè omnia illa tria capita, quæ cœnam aliquam pretiosam atque optabilem facere possunt, nimirum singularis charitas & benevolentia invitantis, jucundissima convivarum societas, & summa multiplicis delectationis abundantia, quam breviter, sed bene indicavit S. David Ps. 16. dum dixit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Considera II. Si famelici hujus sæculi tantopere gaudent, si ad cœnam aliquam à Rege aut alio Domino terreno invitentur, quantopere tu gaudere & exultare debeas, si animo revolvis, te ad illam cœnam, in qua omnes inebriabuntur ubertate domûs DEI, & torrente voluptatis ejus potabuntur, & quidem per totam æternitatem, invitatum esse.

Considera III. Quanto proinde desiderio ad dictam cœnam anhelare, sedulòque cavere debeas, ne aliquid committas, propter quod ab eadem cœna excludi mereatis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quid potissimùm eos, qui invitati sunt, impedierit, quò minùs ad cœnam paratam venirent, nimirum villa empta, juga boum probanda, & uxor ducta.

Considera II. Quàm frequenter etiam similia impedimenta multos, qui ad cœnam cælestem invitandi sunt, impediant, nimirum concupiscentia carnis, divitiarum, honorum, ita enim S. Jacobus c. 1. indicavit, dum dixit: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus; deinde dum concupiscentia conceperit, parit peccatum; peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem*; atque adeò etiam à cœna ista excludit.

Considera III. An non tu quoque simile impedimentum hactenus expertus sis, ob quod, si non omnino animum à voluntatem in illa cœna comparendi abjecisti, exiguum certè desiderium ad eandem conceperis. Colloquium ad [illegible]

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs hæc impedimenta facilè titérque removere possis, scilicet ipsâ consideratione hujus cœnæ, quâ frequenter menti tuæ repræsentes gaudiorum illa percipiendorum magnitudinem, varietatem, & durat[illegible]

dem, ita ut, teste S. Paulo 1. Cor. 2. nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis ascenderit, quæ præparavit DEVS ijs, qui diligunt illum.

Considera II. Quàm efficax sit hoc remedium ad omnem concupiscentiam ex animo ejiciendam, si enim in hoc sæculo ij, qui ad cœnam opiparam invitati sunt, ultro & libenter ad famem usque abstinent à vilioribus cibis, ut tantò majorem voluptatem ex ipsa cœna percipiant, cur non libentiùs abstineat homo à voluptatibus & honoribus terrenis, ut tantò abundantiùs hæc omnia in cælis percipere mereatur; certè S. Augustinus lib. de moribus dicere ausus est, tantam esse jocunditatem lucis æternæ, id est, incommutabilis Sapientiæ, ut, etiamsi in ea non liceret ampliùs manere, quàm unius diei morâ, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delicijs & circumfluentia bonorum temporalium rectè meritóque contemnerentur.

Considera III. Quomodo tu deinceps hoc medio uti velis, & assiduò tibi occinere: *Sursum corda.* Aut cum S. Ignatio: *O quàm sordet mihi terra, cùm cælum aspicio,* & considero. Colloquium ad Christum.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 49. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Pensa, fili, horum fructum laborum, celerem finem, atque præmium nimis magnum, & non habebis inde gravamen, sed fortissimum patientiæ tuæ solamen.

Pro octava Die.

MEDITATIO II.

DE CULTU SANCTORUM PATRONORUM.

Scopus.

Renovatio amoris erga dictos Sanctos.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de grano Sinapis, quam S. Matth. c. 13. sic narrat: *Simile est regnum Cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: Cùm autem creverit, majus*

est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres Cæli habitent, & habitant in ramis eius. Considera, inquam, quàm convenienter huic sinapi regnum Cælorum, volucribus verò in arbore hac habitantibus Beati comparentur, utpote de quibus S. David Ps. 83. dixit: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Considera II. Quàm perfecta sit laus ista, sive suavitas vocis, sive affectum mentis, sive virium intensionem, sive durationis perpetuitatem consideres; quantus proindè ex ista laude in DEVM honor & gloria, in Sanctos ipsos consolatio; in alios verò, qui audiunt, gaudium atque voluptas redundatura.

Considera III. Si Principes hujus sæculi tantis impensis conducunt varios Musicos, qui vocis amœnitate brevem illis voluptatem aurium concilient, síque eos, quos in talibus te excellere advertunt, tanto favore & benevolentia complectuntur, quantò magis tu colere & amare debeas Sanctos, qui non tam te, quàm DEVM, quem plus, quàm te ipsum diligere te profiteris, tam suavi & omnibus numeris absolutâ Musica laudant. Vide ergo, an hactenus debitum honorem & amorem illis exhibueris, & quid deinceps facere velis. Colloquium ad eosdem SS. Patronos, renovando formulam, qui eos in Patronos eligere consueviſti.

Punctum II.

Considera I. Quem potissimùm honorem & cultum illi requirant Sancti; an non putas idem tibi dicturos, quod olim S. Angelus Raphaël Tobiæ utrique dixit, qui cum proponerent, ut pro beneficijs collatis dignaretur dimidiam partem eorum, quæ attulerant, accipere, respondit: *Benedicite DEVM cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

Considera II. Quo modo benedicere DEVM cum Sanctis debeas, videlicet bene semper agendo, id est, quotidianas tuas opera perfectè obeundo, ita enim docuit S. Augustinus in Ps. 148. dum dixit: *Vis semper laudare DEVM? benefac omnibus & semper laudâsti DEVM.* Quàm non tantùm DEO honorificus, Sanctísque acceptus, sed tibi etiam proximoque salutaris sit iste modus colendi Sanctos, utpote qui [illegible]

aliud sit, quàm optima vita, unde merito quidam cecinit:

Sanctorum est cultus pulcherrimus optima vita.

Quámque facilis & jucundus sit, & quàm adeò prudenter faturus sis, si pleraſque tuas minores devotiones in hunc cultum utpote longè solidiorem convertas. Colloquium ad Christum, gratias agendo, quòd & Sanctos tantâ gloriâ beaverit, & tibi tam utilem, solidúmque eos colendi modum suggesserit.

Punctum III.

Considera I. Quos fructus ex tali cultu sperare possis, nimirum mutuum sanctorum Patronorum erga te amorem, unde triplex tibi fructus orietur, videlicet continua tuarum actionum approbatio & complacentia ab ijsdem SS. Patronis tuis concipienda, efficax pro quâvis re tibi impetranda concessio & constans contra omnia adversa, periculáque protectio.

Considera II. Si tam jucundum est in hac vita habere amicum aliquem, qui sincerè diligat, & à quo certam opem & protectionem in quacunque necessitate & periculo exspectare possis, quantò jucundius tibi sit futurum, habere tot tamque potentes & fideles amicos in cœlis, quorum auxilio non a temporalibus duntaxat, sed æternis malis liberari, neque naturalem duntaxat, & perituram felicitatem, sed æternam beatitudinem omnibus bonis affluentem consequi possis.

Considera III. Si hæc motiva suadent omnes Sanctos speciali cultu venerandos esse, quanto majori amore & veneratione colere debeas ipsam Dei Genitricem, utpote quæ & plus amat Deum & te, quàm reliqui Sancti; & potentiùs suo patrocinio defendere potest; & efficaciùs suo patrocinio votorum aut propositorum tuorum impletionem obtinere. Videergo quomodo deinceps te erga hanc quoque gerere velis, & per ardens colloquium formulámque Sodalitatis tuum erga ipsam amorem restaura.

Legatur ex lib. 3. de imit. c. 58. & illa præcipuè verba bene ponderentur: Ego laudandus sum in omnibus Sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum & honorandus

in singulis, quos sic gloriosè magnificavi, & prædestinavi, sine ullis præcedentibus meritis.

Pro octava Die.

Meditatio III.

DE ORDINE DIURNO ORDINANDO.

Scopus.

Actiones quotidianæ reformandæ.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de sagena missa in mare, & ex omni genere piscium congregante, quam cum impleta educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vas, malos autem foras miserunt, uti S. Matth. c. 13. narrat. Considera, inquam, quàm convenienter per hanc sagenam non tantùm regnum cœlorum, sed etiam ordo diurnus quotidianarum actionum tuarum intelligatur; nam & hic forte hactenus tam malas, quàm bonas actiones congregabat.

Considera II, Quodnam sit tuum hac in re officium, nimirum ut tu quoque nunc sedeas, & bonas quidem actiones eligas, & retineas deinceps continuandas, & perficiendas, malas autem & inordinatas foras mittas.

Considera III. Quænam sint actiones bonæ, quæ malæ, id quod discurrendo per singulas totius diei actiones facile intelliges. Colloq. ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quem fructum ex tali reformatione actionum sperare possis, videlicet ut singulas bene atque perfectè obire discas.

Considera II. Quàm præclarus sit iste fructus, & quamopere optandus Religioso aut Sacerdoti, utpote qui hujusmodi statum aggressus est, ut perfectioni consequendæ omnem operam suam impenderet; cùm autem arbor ex bonitas atque perfectio ex fructibus cognoscatur; consequens est, ut ille quoque Religiosus aut Sacerdos perfectus censeatur, qui quotidianas actiones, quibus tota ipsius vita

vita constat, perfectè exercere didicit ; ad quam artem addiscendam cùm summè conducat Ordinis diurni exacta observatio, meritò maximi eandem facere, & in eo observando omnem diligentiam adhibere oportet,

Considera III. An non ob negligentiam in hujus ordinis observatione commissam tu quoque hactenus minùs profeceris in perfectione, & quomodo proinde vel deinceps accuratius eum observare velis. Colloq. ad B.V.

Punctum III.

Considera I. Quæ media potissimùm adhibere debeas ad exactam ordinis diurni observationem procurandam ; tria præcipuè suaserim. Primum est, ut sæpiùs mediteris, benéque perpendas, quantùm momenti possitum sit in actionibus quotidianis perfectè obeundis. Secundum est, ut non modò examen particulare super singulas actiones, saltem potiores accuratè instituas, sed etiam in generali examine diligenter inquiras impedimenta, quæ potissimùm obstant, quò minùs optatum in hoc exercitio profectum facias, eâque per convenientia remedia removere studeas. Tertium est, ut brevem vitæ tuæ terminum tibi circumscribas, atque adeò de die in diem, de hora in horam vivas, dicásque cum S. David Ps. 60. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, & reddam vota mea de die in diem.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media ad dictum finem brevi tempore obtinendum, uti quotidiana experientia satis demonstrat.

Considera III. Quomodo tu hactenus media ista adhibueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloq. ad Christum cum congruis affectibus.

Legatur ex lib. 1. de imit. c. 19. & illa præcipuè verba bene ponderentur : omni die renovare debemus propositum, & ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere : adjuva me Domine Deus in bono proposito, & sancto servitio tuo, & da mihi nunc hodie perfectè incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.

Pro octava Die.

Meditatio IV.

DE AMORE DEI.

Scopus.

Augmentum dicti Amoris.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de Rege faciente nuptias Filio suo, quam S. Matth. c. 22. sic describit: *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios servos: dicens: dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata sunt: venite ad nuptias. illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam: reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum accendit. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos: & impleta sunt nuptiæ discumbentium. Introivit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris; ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Considera, inquam, quàm convenienter regnum cœlorum nuptijs comparetur, uti enim nuptiæ sunt contractus indissolubilis, per quem duæ personæ ad matrimonium habiles conjunguntur in ordine ad perpetuam cohabitationem, ita in cœlo conjungitur per visionem beatificam Anima cum Deo, eique vinculo indissolubili amoris connectitur, ut perpetuò cum illo habitet, & lætetur.

Con-

Considera II. Quàm omni ex parte felices & præstantes sint hæ nuptiæ; si enim sponsum consideres, omnia in eo summa sunt; si sponsam, & hæc pulchritudine suâ, & ornamentis omnem humanam æstimationem superabit; si nuptiale convivium, tale erit, quod appeditum sine fastidio satiet; si amicos, omnes secundùm cor facti; si thalamum, is erit, in quo solo quies suavissima, nec unquam interrumpenda invenietur.

Considera III. Quàm æquum sit, ut quivis summè desideret his nuptiis frui, adeóque de veste nuptiali circumspiciat, ex cujus defectu parabolicum istum hospitem à nuptijs exclusum esse novimus. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quænam sit ista vestis nuptialis, quâ indutí esse debent, qui ad nuptias istas admitti cupiunt, nimirum charitas, quâ Deus ex toto corde, totis viribus, & ex tota fortitudine diligitur.

Considera II. Quid sit ex toto corde diligere, nimirum multa agere & pati pro Deo, id est, non alio fine, quàm ut Deo placeas, tuúmque erga illum amorem declares.

Considera III. Quantò dignior est nuptialis hospes, tantò elegantiorem quoque ac pretiosiorem vestem plerumque habere soleat, Sacerdotes autem omnes alios homines dignitate longè excellant, quantopere tu studere debeas, ut non vulgarem duntaxat charitatem, sed talem, quæ tantam decent dignitatem, procures. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus mediis talem charitatem obtinere possis, præ reliquis efficax fore judico, si frequenter perpendas motiva amoris, certóque tibi persuadeas, ea in Deo infinities perfectiùs, quàm in creaturis reperiri.

Considera II. Quænam motiva amoris communiter ab Ethicis & Theologis assignari soleant, nimirum pulchritudo, bonitas, amor, similitudo. Compara ergo quoad hæc omnia Deum cum creaturis, & vide, quantò perfectius in Deo velut fonte, quàm in creaturis reperiantur.

Considera III. Quàm facilè simul & efficax sit hoc remedium

dium; quis enim sitibundus non malit ex ipso fonte, quàm ex lacuna aut cisterna aquam haurire? quis famelicus non malit verum, sapidissimúmque cibum, quàm depictum famem satiandæ adhibere? quis pauper non malit thesaurum, quam paucos nummos accipere? quæ virgo non potiùs in sponsum eligat formosissimum juvenem, quàm deformem & leprosum Æthiopem? an non ergo & tu illa tibi S. Anselmi præclara verba applicabis: *Quid vagaris ô Homuncio, quærens bona animæ & corporis? quære unum bonum, in quo sunt omne bonum, & sufficit.* Colloquium ad Christum illa S. Bernardi verba eum affectu repetendo: *IESV summa benignitas, mira cordis jucunditas, incomprehensa bonitas, tuam stringat charitas.*

Legatur ex lib. 3. de imitatione c. 5. & illa præcipuè verba bene perpendantur: Amor volat, currit, & lætatur, liber est, & non tenetur: dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus, quia in uno summo super omnia quiescit, a quo omne bonum fluit, & procedit.

Meditatio Finalis.

DE GRATIARUM ACTIONE PRO FELICI SVCCESSV EXERCITIORVM.

Scopus.

Fortis & constans Propositorum Executio.

Punctum I.

Considera I. Parabolam de arbore fici, quàm S. Lucæ 13. sic narrat. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa & non invenit. Dixit autem ad Cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? at ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora: Et si quidem fecerit, fructum: sin autem, in futurum succidetis eam.*

Considera, inquam, quàm bene tibi hæc parabola applicari queat, quàm convenienter tu dicaris arbor illa

quam Deus in vinea Ecclesiæ vel Religionis plantaverat, sed prò dolor, fructum optatum in te hactenus non invenit.

Considera II. Quanta sit bonitas Dei, qui, cùm justissimè posset, succidi te non jussit, sed paratus adhuc est uno anno exspectare, ut tandem aliquando speratos fructus offeras, ideóque in his exercitijs denuo te fodit, & excolit per tot, támque salutares inspirationes ac illustrationes, tam copiosas consolationes, & tot denique támque vehementes animi ad omne bonum commotiones.

Considera III. Quàm æquum sit, ut vel nunc tandem omnes vires contendas in perfectionis studio támque liberali & beneficæ Dei culturæ aliquando respondeas. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quem potissimùm à te deinceps fructum exigat, & exspectet Deus, nimirum seriam & constantem propositorum executionem, in hac enim totus exercitiorum tuorum fructus consistit, ut meritò de tuis propositis illud Christi dictum Luc. 10. applicare possis: *Hoc fac, & vives.*

Considera II. Quodnam sit breve tuorum propositorum compendium, scilicet: ut denuò singulari cum fervore omnium, quæ retrò sunt, oblitus, ad anteriora te convertas, id est, ad destinatum perfectionis scopum atque bravium contendas, adeóque omnibus, quæ te impedire poterant, relictis, seriò atque constanter Christum per veram imitationem sequaris, mundóque ac tibi crucifixus soli DEO vivas.

Considera III. Quàm Deo gratus, tibíque ac proximò salutaris, jucundúsque futurus sit iste fructus, quàm æquum proinde sit, ut omnem diligentiam adhibeas in fructu isto proferendo. Colloquium ad B. V. rogando, ut proposita tua suis purissimis manibus Christo offerre, & copiosam ad ea exequenda benedictionem impetrare dignetur.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs dictam propositorum tuorum

rum executionem promovere possis; an non tria hæc præ cæteris placebunt? Primum oratio frequens, per quam a Deo per SS. Patronos necessaria efficáxque ad talem executionem gratia petatur. Secundum frequens talium propositorum renovatio, maximè in quotidianis meditationibus & examinibus, atque in hebdomadarijs, mensíruisque recollectionibus. Tertium generosa sui victoria in positum aliquo impedimento removendo, ita enim Thomas Kempis l. 1. c. 25. indicavit dum dixit: *Enim verò illi maximè in virtutibus præ cæteris proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia & contraria sunt, virilius vincere nituntur; nam ibi homo plùs proficit, & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva, & veritatem etiam experientiâ confirmata, ut qui majorem tui profectus partem illis adscribere debeas.

Considera III. Quomodo deinceps illa adhibere velis. Colloquium ad Christum rogando, ut, sicut te in solitudinem hanc introduxit, ita etiam educere dignetur, sic tamen, ut priùs benedictionem tibi copiosam largiatur, qui ab ipsius exemplum generosè cum hostibus tuis congredi, fideliterque vincere possis.

Legatur ex lib. 2. de imit. c. 10. & illa præcipuè verba bene ponderentur: Qui gratiam Dei retinere desiderat, is gratus pro gratia data, patiens pro ablata; oret, ut redeat; cautus sit, & humilis, ne amittat.

CAPUT II

CAPUT II.

DE TRIDUANA RECOLLECTIONE A SACERDOTIBVS ET CLERICIS INSTITVENDA.

QUm non omnibus semper aut vacet, aut lubeat, octo dies in sacro secessu consumere; nihilominus autem valde expediat, ut aliquot saltem dies ejusmodi recollectioni impendant, ideò ut his quoque consulatur, placet materiam saltem pro triduana ejusmodi recollectione præscribere. Quia verò non omnes eundem scopum habent, sed aliqui quidem eo duntaxat fine in secessum hunc abdere se desiderant, ut legitimam Electionem faciant, & num ad statum Sacerdotalem vocati sint, clariùs intelligant; alij verò post Electionem legitimé factam, se ad ordines dignè suscipiendos præparare cupiunt; alij denique post susceptos jam Ordines Spiritum & fervorem per occasiones extrinsecas, & quotidianas fragilitates nonnihil debilitatum resuscitare volunt, ideò pro quovis ejusmodi fine separatam & accommodatam materiam præscribam, ita tamen, ut pro quovis die non nisi duæ meditationes sint faciendæ, tum ut plùs temporis habeatur ad deliberationem instituendam, aut statum animæ inspiciendum; tum ut ejusmodi personæ Meditationis Exercitio non admodum assuetæ ex frequentiori Meditatione fastidium non capiant, atque adeò ad reliquas Exercitationes tantò promptiores & alacriores se exhi-

exhibeant. Quem ipsum ob finem etiam Lectionem Spiritualem valde moderatam esse convenit, ut potioribus functionibus, & propiùs ad finem recollectionis accedentibus sit locus.

PRIMUM EXEMPLAR.

RECOLLECTIONIS TRIDUANÆ INSTITVENDÆ.

Pro ijs, qui vocationem suam ad Sacerdotium rite indagare, & legitimam Electionem facere cupiunt.

EX quo titulo facilè patet finis & scopus hujus triduanæ Collectionis; cùm enim ipse Christus Luc. 14. superius monuerit, neminem turrim ædificare incipere, qui non prius sedeat, & computet sumptus, an habeat ad perficiendum, ne postea, quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, homines illudere ei incipiant, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Quod quidem consilium in turri Evangelicæ perfectionis ædificandâ sibi, vocatione propria inquirenda & exequenda tantò diligentiùs observandum est, quantò graviùs plerumque damnum sequitur ex prævia computatione neglecta, non illatio videlicet, & contemptus duntaxat hominum, sed vita etiam miserijs, scrupulis, & anxietatibus referta, imò ipsa plerumque æterna damnatio. Certè Leonardus Lessius, Theophilus Bernardinus, & alij multi arbitrantur, multos ideò etiam damnari, quòd vel omnino non, vel non debito modo deliberârint; eò quòd ad statum vitæ rectè instituendum magna haud dubiè gratia Dei sit necessaria, hanc autem meritò sperare non possint, qui cæco potiùs voluntatis propriæ & passionum impetu abrepti, quàm divinæ vocationis impulsu permoti, statum elegerunt; unde audire tales tandem merentur, quod Salomon prov. 2. in Persona Dei dixit; *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm id quod timebatis, evenerit.* Unde merito S. Bernardus in serm. *Ecce nos reliquimus, nobis*, ait, *pro-*

pera-

planter agere, diu considera, diligentiùs intuere; magnum ob quod proponis, & opus habens multa deliberatione. Experire, quid possis, amicos (Viros sapientes & spirituales) *consule, ne post factum pœnitere contingat.*

PRIMA DIES.

SCopus hujus diei est, ante omnia finem, propter quem creatus est homo, intelligere, & cùm Deus ob altissimas & sapientissimas causas homines diversis vijs ad dictum finem perducere decreverit, *non* enim *est hominis via ejus, ut ambulet, & dirigat gressus suos*, teste Jeremia c. 10. indagare, quâ potissimùm viâ te ad eundem finem pervenire velit; unde hoc potissimùm die dispositiones remotiores ad electionem status faciendæ; & quia inter eas potissima est status gratiæ & amicitiæ cum Deo (juxta illud Christi Jo. 15. *Vos autem dixi amicos:* quia omnia, *quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*; unde & Moyses ad Dei alloquium vocatus, priùs solvere calceamenta jussus est Exod. 3.) ideò laborandum præcipuè erit, ut, siquidem in tali statu te non esse adverteris, ad eundem quàmprimùm per legitima media pervenire studeas; si verò eundem te habere probabiliter conjicias, media pariter ad eundem conservandum, & perficiendum indages.

Tessera.

Domine quid me vis facere? act.

MEDITATIO I.

DE FINE HOMINIS.

Præludium I. est, imaginari, qnemadmodum olim Adam in Paradiso creatus & positus est, ut operaretur, & custodiret illum, mandatum scilicet Dei observando, ita te quoque ob similem causam à Deo quoad animam creatam, & quoad corpus à Parentibus generatum fuisse.

Præludium II. est, petere gratiam, ut finem, ob quem creatus es, clarè cognoscere, & constanter, ac sedulò persequi possis.

Punctum I.

Considera I. Quanti referat, ut finem, propter quem à Deo creatus, & in hoc mundo positus es, ritè cognoscas, & persequaris, cùm planè in hoc fine animæ tuæ perfectio & quies consistat; perfectio quidem, quia, sicut gladius non qui in aurea vel adamantina vagina reconditus est, sed qui bene secat, laudatur: & sicut equus non qui pulcher aspectu, & corpore obesus est, sed qui bene laborat, ambulat, & cursu æstimatur, & laudatur; ita & homo, cùm ratione præditus sit, non ex eo, quòd dives, formosus, aut nobilis sit, sed quòd finem suum assecutus, & rationis talento legitimè usus sit, æstimandus atque luctandus est. Quies verò ejusmodi hominis in hoc ipso fine posita est, quia hic finis est quasi centrum hominis; unde sicut elementa & aliæ res creatæ non quiescunt, donec ad centrum suum pervenerint, ita nec homo quiescere unquam poterit, donec finem suum assecutus sit; unde rectè S. Augustinus in lib. confess. exclamat: *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Considera II. Quàm æquum sit, ut vel nunc tandem finem hunc sollicitè indages; quid enim aliud hactenus per omnes tuos conatus, & labores quæsivisti, quàm ut beatus esset, & quietè vivere posses? si ergo per nullam aliam viam, quàm finis tibi præfixi sedulam prosecutionem eundem obtinere tè posse agnoscis, an non vel maximè rationi consonum putas, ut desertâ viâ, in qua frustra hactenus felicitatem & quietem quæsiveras, eandem per meliorem & certiorem viam quærere statuas.

Considera III. Quomodo hactenus hunc finem indagaveris & persequi studueris; an non potiùs falsam viam ad illum perveniendi sectatus sis, & illam Psalmistæ increpationem mereris: *Filij hominum, usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* An non ergo vel nunc errorem tuum fateberis dicens, sed, quia adhuc tempus corrigendi est, salubrius cum insipientibus illis Sap. 5. *Ergo erravimus à via veritatis, & lumen justitiæ non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Ad quem propriè finem à Deo creatus sis, scilicet, ut, quemadmodum S. Ignatius in libello Exercitionum loquitur, *Dominum Deum tuum laudes* (id est, magnifacias, & omnibus alijs rebus præferas) *reverearis* (id est, nihil committas, quod eidem vel minimè displicere valeat) *eique serviens* (id est voluntatem & beneplacitum illius semper inquirens, & perficiens) *salvus fias*, id est, præmium & felicitatem æternam consequaris.

Considera II. Quàm sublimis sit hic finis; tam magnus scilicet, ut major excogitari nequeat, cùm ipse Deus, Teste D. Thoma, majorem felicitatem, quæ in visione beatifica consistit, excogitare aut facere non queat. Quam dignitatem Deus ipse Gen. 1. indicavit, dum scilicet hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum fuisse testatur, ut, quod ipse habet per sententiam, homo, si velit, per participationem accipiat.

Considera III. An hunc finem, ut par est, cognoveris, æstimâris, & sectatus sis. An non potiùs de te verificetur illud Davidis Ps. 48. Vaticinium: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vide ergo, quomodo vel hodie errorem hunc corrigere velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quòd Deus non contentus tanto beneficio, totum insuper mundum quasi pro palatio, omnes creaturas pro famulis, omnes tuas potentias & vires pro instrumentis assignârit, quibus finem tuum faciliùs, perfectiúsque consequereris; quod quidem beneficium tam magni à S. Davide æstimatum est, ut ps. 8. cum admiratione exclamârit: *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? gloriâ & honore coronâsti eum, constituisti eum super omnia manuum tuarum.*

Considera II. Quàm æquum proin sit, ut rebus his creatis non aliter, quàm quatenus ad supradictum finem conducunt, utaris; quid enim sentires de Amico illo, qui famulos à Rege sibi commissos ad eundem graviter offendendum incitaret

citaret? qui pecunias à Domino concreditas ad suam potiùs recreationem & voluptatem, quàm Domini sui voluntatem implendam expenderet? qui instrumentis ad arcendos Domini hostes subministratis ad ipsum Dominum oppugnandum uteretur; atqui idē facit, qui rebus creatis alio modo, quàm qui ad finem conducit, utitur; hinc rectè S. Augustinus inquit: Minùs te, Domine, amat, qui *præter te alios amat, quod propter te non amat.*

Considera III. Quomodo hactenus his creaturis usus fu & uti deinceps velis. Alloquere ergo te illis S. Augustini verbis: *Quid vagaris, ô anima, per mundum, quærendo bona corporis & animæ; quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit.* Colloquium ad Christum.

MEDITATIO II.

DE VOCATIONE COELESTI INQVIRENDA.

Præludium I. Est, Christum Apostolos vocantem ti imaginari, téque cum illis ad se sequendum istis ad Apostolos dictis verbis invitare: *Venite post me, faciam vos Pisca- tores hominum.*

Præludium II. Est, petere gratiam, ut vocationem suam ritè agnoscere, & dispositiones, quæ ad eandem requiruntur studiosè procurare possis.

Punctum I.

Considera I. Ad hoc, ut aliquis verus cujusdam Regis aut Principis famulus dicatur, non sufficere, ut Aulam ille vel domum ingrediatur, séque eidem ad servicium offerat, sed insuper requiri, ut inquirat, quid ab ipso fieri Rex ac Dominus, & quo in munere ipsum servire velit; atqui & à te quoque, qui fidelis & prudens Domini Dei tui servus desideras, ante omnia inquirendum esse, quo in statu & munere à te occupari, debitúmque sibi obsequium præstare capiat; ne, dum ultro se ad officium aliquod obtrudit, ut omnino à servitio repellatur, aut certè debitis ad illud præstandum medijs & auxilijs privetur.

Considera II. Quàm clarè hujus doctrinæ veritatem Christus suo etiam exemplo probárit, dum nullum ex Apostolis sequi se permisit, quem non ipse priùs vocárit, unde Joan. 15. dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,*

relhoc facto ostenderet, quàm necessaria sit vocationis divinæ (quæ nihil aliud est, quàm dispositio providentiæ divinæ, quâ pro suo beneplacito quosdam seligit, & segregat ad opus ministerij sui, ipsísque gratias necessarias ad tale opus largitur) inquisitio studiosa, & impletio perfecta; ut, quia sine ipso facere nihil possunt, per voluntatis ipsius sollicitam executionem in eodem manere, fructúmque copiosum afferre mereantur.

Considera III. Quàm æquum proinde sit, imò necessarium, ut tu ad Sacerdotium te non intrudas, priusquam te legitimè ad illud vocatum agnoscas; tum quia, teste S. Paulo ad Hebr. 5. *nullus sibi sumit honorem* (Sacerdotij) *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*; tum quia sic etiam gratiam vocationis ad tale munus, & hoc ipso etiam felicem successum, & præmium laborum tuorum sperare poteris, nam, ut idem Apostolus ad Rom. 8? dixit, *quos vocavit, illos & justificavit.* Hinc & ipse Christus loco suprà citato cùm dixisset, *ego elegi vos*: mox addidit: *& posui vos, ut eatis, & fructus vester maneat.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quæ dispositiones requirantur ad vocationem talem inquirendam, tres nimirum. I. *Perfecta indifferentia* seu æqualiter disposita & parata voluntas ad omnem statum, ad quem DEUS vocaverit, amplectendum; quam dispositionem pulchrè indicavit S. Climatus gradu 26. dicens: *In divina voluntate indaganda necessarium est, ita nos comparatos esse, ut nostra omnis voluntas nesset, ac in neutram partem magis vergat. Nam cùm ea ab omni affectu fuerit purgata, & nudata fuerit, apta erit ad Dei institutum percipiendum.* Unde errant, teste S. Ignatio in libello Exercit. qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum beneficium adipisci statuunt, demum postea Deo inservire, utentes præposterè fine ac medio, nec ad Deum tendentes rectà, sed obliquè ipsum ad perversa sua vota pertrahere *conantes.* II. *Sedula divinæ revelationis petitio*, id est, ut per orationem humilem & ferventem ad Deum confugias, ab eóque suppliciter petas, ut quid, quando, & quatenus te facere velit, demonstrare dignetur; sic enim S. Paulus suo exemplo docuit, dum ex equo dejectus mox clamavit:

vit: *Domine, quid me vis facere?* III. *Cooperatio studiosa*, in eo consisteus, ut, cùm Deus non semper statim voluntatem suam per apertam revelationem, sed, ut obedientiam & humilitatem nostram probet, per homines & humana media manifestare velit; talia media studiosè adhibeamus, ut *quantùm nos apposuerimus, ad studium, tantùm ille apponat ad adjutorium.*

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media; cùm planè Deus ex tua parte nihil aliud requirere possit, atque adeò facienti, quod in se est, gratiam vocationis negare non possit, séque certò facturus sit cum servo suo secundùm misericordiam, & justificationes suas docturus. ps. 118.

Considera III. Quomodo tu hactenus hæc media adhibueris, & adhibere deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm media ad cooperationem tuam Deus à te requirat, duo videlicet. I. Ut turrim Evangelicæ perfectionis, quæ in vocationis propriæ studiosa executione consistit, ædificaturus, priùs sedeas, & computes, an habeas sumptus ad perficiendum; id est, diligenter indagas qualitates & dotes ad talem statum necessarias, & an eatenus tu quoque vel jam actu habeas, vel habere facilè possis, illicitè inquiras. II. Ut, cùm ipse Spiritus Sanctus per Salomonem monuerit, ne innitamur prudentiæ nostræ, & utilissimè S. Gregorius p. 1. past. c. 9. advertit, *sæpe sibi mens ipsa de se mentiatur, & fingat se de bono opere amare, quod non amat; & de mundi gloria non amare, quod amat*; illorum quoque directionem & consilium requiras, credibile te cum S. Paulo ad Ananiam mitti, ut ab illo tibi ostendatur, quid Deus facere te velit, sícque tantò certiùs divinam illustrationem sperare possis, quantò longiùs à judicio & voluntate propria recessisti.

Considera II. Quàm & hæc duo media sint idonea ad cooperationem tuam adimplendam, & vocationem intelligendam, cùm experientia quotidiana doceat, eos, qui talia media adhibuerunt, felicem ordinariè successum suorum laborum sortitos esse; qui verò eadem neglexerunt, coactos fuisse cum

secum Apostolis Luc. 5. dicere: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.*

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut tu quoque illa studiosè arripias, atque adeò vel nunc in hoc secessu sedeas, & ad sumptus computandos te accingas. Colloquium ad Christum, & æternum Patrem usurpando illa verba Salomonis Sap. 9. *Mitte illam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis iuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit coram te.*

EXAMEN

Per reliquum hujus Diei tempus instituendum.

Cùm duo præcipuè capita ad Evangelicam perfectionem requirantur, scilicet fuga peccati, & virtutum amor, juxta S. Davidem ps. 33. dicentem: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos, declina à malo, & fac bonum*; meritò hæc duo à Sacerdotibus tantò perfectiùs sunt observanda, quantò major in illis ob excellentiam statûs perfectio requiritur. Unde rectè hoc & sequenti die, quomodo te circa hæc duo capita gesseris, & gerere deinceps velis, per accuratum Examen de hac materia institutum indagabis.

Post invocatam itaque divinam gratiam considera I. Quid ad perfectam animi puritatem, adeóque & primum hominis officium, quod est *declinare à malo*, requiratur, videlicet I. Ut omnem culpam mortalem cane peius & angue oderis, utpote per quam tota unio animæ cum Deo dissolvetur, & per consequens etiam fructus operationis non modicè impeditur. Unde quod olim Blanca Regina Galliæ ad Filium Ludovicum dixisse dicitur, malle se scilicet, cum quocunque mortis genere defunctum, quàm unico peccato mortali obnoxium intueri, idipsum etiam Ecclesia respectu Sacerdotum multo potiori jure dicere creditur. II. Ut etiam omnia peccata venialia deliberatè admitti solita studiosissimè devites, cùm & hæc, sicut magnam cum morbis corporalibus similitudinem quoad effectus alios habent, ita perinde ac illi vires animi ad operandum necessarias non modicè debilitent. III. Ut ipsas etiam fragilitates, seu

peccata ex fragilitate commissa; item imperfectiones & alias actiones levitatem vel minimam sapientes, quantum fieri potest, devites; &, ubi commissæ fuerint, per dignam pœnitentiam deleas, & emendes, memor semper sententiæ à S. Bernardo prolatæ: *Nuga in ore sæcularis nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ.* Item alterius à S. Augustino pronunciatæ: *In moribus Vestris nihil reperiatur, quod cuiquam offendat aspectum, sed quod Vestram deceat sanctitatem.* IV. Ut passiones tuas, & inordinatas affectiones, quæ sunt radix omnium peccatorum, fortiter & constanter reprimes, amorem maximè & concupiscentiam, iram, odium, & tristitiam, quæ præ cæteris periculosæ sunt Sacerdotibus & in grandia sæpe scelera, scandalaque eos præcipitant. V. Ut occasiones quoque externas ad peccatum allicientes, quales præcipuè sunt mulierum consortium, familiaritas cum externis, compotandi consuetudo, & similes, studiosè devites, ne, dum amas pericula, pereas in illis.

In his ergo omnibus primò quomodo te habeas, an habueris hactenus, id est, quibus peccatis, levitatibus, passionibus, aut occasionibus extrinsecis peccandi obnoxius fueris, tardè & accuratè te examina; deinde quàm grandia mala ex ijs orta tibi sint, aut oriri possint, sedulò perpende, & eadem quæ media ad evitanda talia peccata, vel passiones refrenandas adhibere possis & velis, indaga.

Secundò postea considera, quot titulis tam magna conscientiæ puritas à Sacerdote requiratur, nimirum I. *Ob ipsam magnitudinem beneficij Vocationis*, quod sicut maximum est propter status & muneris, ad quod vocatus est, eximiam dignitatem & excellentiam, ita maximam quoque sanctissimam sanctitudinem & amorem requirit, atque adeò vel maximè cavendum suadet, ne talis Benefactor offendatur; alioquin enim jure iterum Christus de Sacerdotibus quereretur, illaque Psalmi 54. verba repeteret: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. &c.* II. *Ob sacrificij offerendi munus*, quod quidem tantum est, ut meritò Thomas Kemp. l. 4. c. 5. dixerit: *Si haberes Angelicam Puritatem, & S. Ioannis Baptistæ sanctitatem, non esses dignus hoc Sacrificium offerre.* Unde, cùm

dim S. Franciscus deliberâsset, & à Deo intelligere petivisset, num Sacerdotij Ordinem susciperе deberet, Angelus illi chrystallinum speculum, & purissimum quidem ostendit, simulque dixit, tantam puritatem requiri, ut quis Presbyterij Ordinem dignè suscipiat, & administret; quo audito nunquam induci S. Franciscus potuit, ut Presbyter fieret. III. *Ob Confessarii & Concionatoris munus*: quod utrumque magnam in dicendo & corrigendo libertatem requirit; quomodo autem hæc obtineri poterit, nisi ipse Sacerdos liber sit à vitijs, à quibus alios absolvere, & abstrahere cupit, dicereque cum Christo possit; *quis arguet me de peccato*: certè, S. Gregorio teste p. 5. pastor. c. 5. *nullum majus præjudicium tulerat Deus, quàm cùm eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui aliorum compescere peccata debuimus, quando pereunti populo mortis Authores sumus, cui ad vitam esse duces debuimus.* Imò non Deus duntaxat, sed ipsa etiam Ecclesia & Religio nostra Catholica non leve detrimentum patitur, nam, ut idem S. loc. cit. ait, *Si quid in Sacerdote vel Clerico justè reprehenditur, ejus vitio ipsa Religionis nostræ æstimatio gravatur.* Unde meritò S. Paulus de Ministris Ecclesiæ ad Timotheum ep. 1. cap. 3. scribens, *hi autem*, inquit, *probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* IV. *Ob propriam infamiam & interitum cavendum*: cùm enim Sacerdos ipso Clerici nomine & veste profiteatur, se de sorte Domini, id est, totum Dei & Ecclesiæ servitio consecratum esse, ita ut dicere possit cum Davide ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* An non magnam apud Angelos, & homines infamiam contrahet, si turpissima defectione à Deo recedat, &, qui priùs cum infelici Juda Christum secutus fuerat, postea cum eodem pecunijs coacervandis, vel alteri cupiditati implendæ deserviat, ac denique eò delabatur, ut ipsum Christum, suámque salutem prodat? an non de ipso verificabitur, quod Apostolus ad Hebr. 6. dixit: *Terra supervenientem habens imbrem, proferens autem spinas & tribulos reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem*; an non in ipso implebitur, quod alter Apostolorum Princeps 2. Petr. 2. dixit; *si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Do-*

mini nostri & Salvatoris IESV Christi, his rursum implicati superantur, facta sunt illis posteriora deteriora prioribus. Melius enim illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, Sancto Mandato. Hinc nempe *non quærit diabolus*, teste S. Hieronymo epist. 22. *homines infideles, & eos, qui foris sunt, & quorum carnes Rex Assyrius in olla succendat de Ecclesia Christi rapere festinat, escæ ejus secundum dicta quæ selectæ sunt; Iob subvertere cupit, & devorato Iuda ad eribrandos Apostolos expetit potestatem.*

Tertiò demum considera, quæ media adhibere velis ad talem puritatem obtinendam, sequentia videlicet. I. *Orationem humilem*, quâ diffidens, te viribus propriis obtinere posse hanc puritatem, frequenter ad Deum recurras, & clames cum S. Davide Ps. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ita sanè Salomon suo exemplo docuit, qui, ut sap. c. 8. dicitur, sciens, quòd non posset esse continens, adijt, Dominum, & deprecatus est. II. *Immaculatæ Virginis amorem, & Veneration-nem*: hinc enim non levia duo præsidia accipies ad animæ puritatem obtinendam; nam & exemplo illius permotus accenderis & ipse ad immaculatæ vitæ studium; & præterea per ipsius patrocinium (quod nunquam libentius, quam per conceptionem suam immaculatam rogata, & ad talem finem implorata præstat) gratiam efficaciter obtinebis ad idem studium fructuosè susciendum & continuandum, ut etiam de te suo modo dici queat: *Totus pulcher es, amice mi, & macula non est in te.* III. *Frequentem Agni immaculati oblationem*: Hinc enim eadem duo præsidia non modicè suggebuntur; nam, ut S. Bernardus in serm. de cœn. Dom. ait, *duo hoc Sacramentum operatur in nobis*, ut & sensum minuat in minimis, *& in gravioribus tollat omnino consensum*, sed & ipsa memoria immaculatæ hostiæ quotidie, aut saltem offerendæ non modicum addet stimulum ad cavendam omnem maculam, quæ minùs acceptam reddere talem oblationem posset. IV. *Crebram peccatorum suorum Confessionem*: sicut enim, quò vas aliquod crebriùs eluitur, & purgatur, tantò puriùs efficitur; ita quò frequentiùs anima per Confessionem mundatur, tantò à peccatorum sordibus liberior,

liberior, mundiórque, ac sanctior evadit. V. *Examen inscientiæ quotidianum*: cùm enim per hoc macula, sordésque, si quæ fortè contrahuntur, mox aûferantur iterum, hoc ipso Diabolus laqueos suos perinde nectere cessabit, ac araneæ rete suum expandere non facilè solent in eo loco, in quo frequenter sua retia scopis destructa fuisse comperiunt. VI. *Examen particulare* super illa vitia, quibus magis adhuc obnoxius es, institutum; cùm enim per hoc examen uni præsertim vitio exscindendo tota cura impendatur, meritò vires collectæ fortiores censentur ad unum post alterum citò expugnandum; sic enim pius Asceta l. 1. c. 11. dicere ausus est, citò nos perfectos evasuros, si quovis anno unum duntaxat vitium extirparemus, quantò magis purificabimur, si quovis circiter mense unum vitium exscinderemus. VII. *Castigationem voluntariam susceptam*: sicut enim equus, qui post cespitationem admissam mox flagello aut calcari corripitur, cautior efficitur, rariúsque labitur; ita etiam quisque faciliùs à crebriori lapsu sibi cavet, qui advertit, quemcunque mox præsenti pœna castigandum esse. VIII *Radicis extirpationem*, ut enim lolia, & zizania non facilè ampliùs succrescunt, si cum ipsa radice extirpantur; ita nec vitia repullulare facilè poterunt, si ipsa eorum radix evellatur. Examina ergo, quomodo hæc media adhibueris hactenus, & adhibere deinceps velis, atque ad hoc ipsum gratiam à Deo & Sanctis per breve colloquium pete.

Materia Lectionis.

Ex libello Exercitiorum legi potest modus eligendi, regulæque pro eo præscriptæ. Ex Ascetis legi potest Leonardus Lessius, aut Theophilus Bernardinus de statu vitæ eligendo. Aut libellus passim obvius, & perutilis ad hunc finem, qui inscribitur *Methodus certi vitæ status deligendi practica*. Aut Ludovicus de Ponte in to. 2. de perfectione. Aut *Sacerdos Christianus seu ad vitam Sacerdotalem piè instituendam manuductio* à M. Ludovico Abellio Sacerdote Parisiensi conscripta.

DIES

DIES SECUNDA.

CUm ad Electionem statûs tria plerumque bene consideranda sint, videlicet I. Quæ dotes ac qualitates ad eum requirantur. 2. Quæ commoda & fructus in eo obtineri possint. 3. Quæ incommoda & pericula in eodem statu occurrere queant; meritò de his tribus hodierna & crastina die meditationes consuetæ instituuntur. Ipsum tamen examen circa alterum Christianæ perfectionis officium, nempe virtutes instituetur, ut, dum virtutes ad Sacerdotem necessarias clarè intelliges, tantò facilùs an sumptus ad Sacerdotium assumendũ necessarios habeas, cognoscas. Ex quo facilè patet, scopum hujus diei esse, dotes ad Sacerdotem necessarias, & in specie virtutes agnoscere, & ad easdem acquirendas ardens desiderium, firmúmque propositum concipere.

Tessera.

Doce me, Domine, facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. ps. 142.

MEDITATIO I.

DE DOTIBUS AD SACERDOTEM NECESSARIIS.

Præludium I. Est, Apostolos in cœnaculo Jerosolymitano sedentes, & virtute ex alto per Spiritum Sanctum infusos intueri.

Præludium II. Est, gratiam petere à Deo, quâ tres dotes ad Sacerdotem requisitas, videlicet magnam scientiam, majorem prudentiam, maximam sanctitatem ritè cognoscam, & studiosè sectari possis.

Punctum I.

Considera I. Tres præcipuè dotes ad Sacerdotem requiri, nempe *magnam scientiam*, *majorem prudentiam* & *maximam sanctitatem*. Et inprimis quidem *magnam*, id est, ad munia sua obeunda sufficientem, *scientiam* in eo requiri, vel ex ipsa functionum ab eo perficiendarum natura pate-

cùm enim modò conciones ab eo habendæ, modò Fidei articuli rudibus explicandi, adultiores in ijs roborandi, vel contra hæreticos propugnandi; modò vitia extirpanda, & virtutes inserendæ sint, hæc omnia autem non vulgarem scientiam desiderent, meritò ea à Sacerdotibus requiritur, ne audire alioqui à Deo illud Oseæ. c. 4. debeant: *Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Considera II. Qualis scientia requiratur in Sacerdote, triplex videlicet. I. *Theologica*, eâque triplex, *Moralis*, quâ, quidquid ad conscientiam, morésque dirigendos requiritur, noscat: *Polemica*, quâ & potiores Hæreses, & modum eas-dem impugnandi, aut se contra illas defendendi, intelligat; *Ascetica*, quâ vitiorum & virtutum naturam, mediáque ad illorum vel extirpationem, vel acquisitionem noverit. II. *Canonica*, quâ, quid in Jure Canonico circa offici j sui functiones & objecta doceatur, cognoscat. III. *Cæremonialis*, quâ & Rubricas pro officio divino, & Missæ Sacrificio præscriptas, & ritus in administratione Sacramentorum, aliísque functionibus Parochialibus observandos sciat.

Considera III. An hactenus hanc triplicem scientiam comparare studueris, aut certè deinceps procurare velis, triplex eum in finem medium adhibens, videlicet frequentem recursum ad Deum, ad studium privatum, ad Doctores tam mortuos (id est, libros) quàm viventes. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Pro altera dote Sacerdotis meritò *majorem prudentiam* requiri; cùm enim ipse aliorum dux constitutus sit, eósque per viam multis periculis & erroribus obnoxiam ducere debeat, bene oculatus sit, oportet, viæque, per quam ducendi sunt, apprimè gnarus; alioquin si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; hinc & ipse Christus Apostolos curam animarum auspicaturos Matt. 10. monuit: *Estote prudentes, sicut serpentes*, id est, semper attendentes, ut caput seu finis actionum vestrarum integer, illæsúsque permaneat.

Considera II. Qualis sit hæc prudentia, quæ tantopere Sacerdoti necessaria dicitur, quòd nempe sit virtus, quâ media

dia ad finem propositum convenientia sagaciter investigantur, appositè seliguntur, & fortiter ac constanter adhibentur: unde tria plerumque hujus prudentiæ officia assignantur, videlicet bene consultare, bene judicare seu eligere, bene imperare seu exequi.

Considera III. An tu hactenus huic virtuti studueris? & quomodo saltem deinceps majorem in ea acquirenda, vel augenda diligentiam adhibere, cúmque in finem unicum medium usurpare velis, scilicet, ut eam juxta consilium S. Jacobi c. 1. postules à Deo, qui dat eam omnibus affluenter. Deinde cum Prudentibus juxta monitum Salomonis Prov. 13. gradiaris: & tandem dictamina quædam prudentum colligas, eáque sedulò in memoria retinens, secundùm illa te, aliósque dirigas. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Tertiam dotem Sacerdotis meritò *Sanctitatem maximam* appellari, eò quòd hæc functionibus Sacerdotalibus *authoritatem* (nam Magisterij authoritas constat ex vita) *efficaciam* (*qui enim manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, ait Christus Joan. 15.) & *venerationem* conferat defendens contra vanam gloriam, & inconstantiam, quæ actionibus ipsius plurimùm insidiantur.

Considera II. In quo consistat hæc sanctitas, scilicet ut te à vitijs & affectionibus inordinatis liberes, & virtutem, quæ statum & vocationem tuam præcipuè decent, studio excolens.

Considera III. An talem in te sanctitatem deprehendas? & quomodo deinceps saltem eam sectari velis, duplex potissimùm mediũ adhibendo, *Orationem* scilicet (nam rectè novit vivere, qui rectè novit orare, S. Augustino teste) & *mortificationem assiduam*; tantùm enim proficies, quantum tibi vim intuleris, ut sæpiùs ex Thoma Kempensi dictum cibi cùm imminutio cupiditatis sit augmentum charitatis, juxta S. Augustinum. Colloquium ad Christum.

Medi-

Meditatio II.

De fructibus et commodis status sacerdotalis.

Præludium I. Est, imaginari tibi Sacerdotes nunc in templis divina officia & ministeria peragentes; nunc domi sibi, suæque saluti vacantes; nunc in domibus alienis ægrorum ac moribundorum visitationi ac consolationi invigilantes.

Præludium II. Est, petere à Deo gratiam, ut commoda & fructus, quos status Sacerdotalis affert, ritè cognoscere, eorumque ardens desiderium & studium concipere possis.

Punctum I.

Considera I. Qui fructus ex Sacerdotali statu in cœlestem curiam redundent. Quàm præclaram inprimis occasionem habeat Sacerdos, gloriæ divinæ augmentum procurandi, cùm enim gloria Dei in hoc consistat, ut ab hominibus magis & magis semper cognoscatur, laudetur, & ametur, quis meliorem habet occasionem, hanc cognitionem & amorem mentibus hominum ingenerandi, quàm Sacerdos, cujus pleræque functiones, puta conciones, Catechizationes, administrationes Sactamentorum, Missæ celebrationes, conversationes privatæ &c. ad hunc finem ordinantur? Ob quam eandem causam etiam cultum B. Virginis & reliquorum Sanctorum promovendi optimam habet occasionem, maximè si eorum Festa reverenter ac devotè celebrari, eorum imagines & reliquias piè ac sollicitè proponi, asservari, ac honorari faciat: eorum congregationes fructuosè administret, & in pietate augeri curet: illorum gesta & laudes Populo pro concione proponat, & ad eorum cultum potenter alliciat.

Considera II. Quàm pretiosus sit hic fructus, dignúsque, propter quem Sacerdotij status (si Deus ad hunc vocare dignabitur) avidissimè eligatur, & susciptiatur; si enim, ut unanimiter Ascetæ docent, gloria Dei pluris est facienda, quàm si infinitos mundos converteres, & lucrareris; an non meritò felicissimus tibi status ille videbitur, qui tam præclarum

Icarum fructum, gloriæ scilicet divinæ copiosum augmentu, affert?

Considera III. Quàm æquum proin sit, ut vel ob hunc solum fructum non modò statum Sacerdotalem vehementer desideres, sed etiam, ubi eum susceperis, illud Apostoli 1 Cor. 10. monitum in mente semper habeas: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quàm copiosus etiam fructus in militantem Ecclesiam, id est, homines in terris viventes ex Sacerdotali statu oriatur; nam inprimis ipsa Ecclesia Catholica per Sacerdotes potissimùm protegitur, conservatur, & dilatatur, ita ut ipsis jure meritò applicetur illud Cant. 3. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Nec minorem fructum ipsa Respublica Christiana à Sacerdotibus refert; tum quia suis orationibus eandem conservant & protegunt; tum quia veræ religionis & cultus divini, à quo salus reipublicæ potissimùm pendet, incrementum & conservationem procurant. Quantus denique in ipsis Parochianos Sacerdotis curæ commissos, eósque tam defunctos quàm viventes oriatur, ex eo facilè patet, quòd totum ipsum Pastorale munus eò præcipuè tendat, ut ovium suarum salutem & incolumitatem procuret, eásque secum olim in cœleste ovile ducere queat.

Considera II. Quàm hi quoque pretiosi sint fructus, utpote non in paucas duntaxat Personas, sed in totas Respublicas, earúmque non temporalem tantùm, sed æternam quoque felicitatem promovendam tendentes.

Considera III. Quàm libenti, gratóque animo accipere debeas Sacerdotium, si te ad illud vocatum adverteris. Iterum ergo exclama cum S. Davide ps. 107. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Colloquium ad B. Virginem.

Puuctum III.

Considera I. Quàm copiosos ipsi Sacerdoti fructus afferat Sacerdotij status, videlicet ut & in hac vita necessarium susten-

stentationem facilius obtineat (si enim regnum Dei quærentibus Christus omnia ad victum & vestitum necessaria liberaliter subministratum iri promisit, quantò magis Sacerdotibus tam studiosè procurantibus, ut Deus non tantùm in ipsis, sed etiam in alijs regnet, nihil deesse patietur) & in altera vita beatitudinem æternam *certiùs, citiùs & copiosiùs* consequatur; cùm hoc ipso, quòd alios tam sollicitè ab æternis inferni, & temporalibus Purgatorij pœnis liberare, & ad æternam felicitatem citò perducere studuerit, Deus mensurâ pari remensurus tantam charitatem, atque adeò beatitudinem citiùs, & copiosius sit largiturus; maximè cùm ipsæ animæ per Sacerdotem salvatæ, aut liberatæ Deum pro ipso assiduè rogaturæ sint, ut gloriæ, quam ipsis Sacerdos obtinuit, ipsum quoque participem facere dignetur.

Considera II Quàm & hic fructus optandus sit, dignúsque, ob quem Sacerdotij status cum maxima alacritate suscipiatur; cùm enim in talis beatitudinis fruitione finis hominis ultimus consistat, Sacerdotium autem, ut ostensum est, optimâ occasionem offerat, talem beatitudinẽ certiùs, citiùs & copiosius obtinendi, facilè apparet, pro maximo favore & beneficio habendum esse, si Deus te per hanc certiorem, securiorem, & breviorem viam ad memoratam beatitudinem perducere velit.

Considera III. Quomodo tantum beneficium excipere; & quâ ratione te ad illud disponere velis. Colloquium ad Christum.

EXAMEN

Per reliquum hunc Diem instituendum.

HOc Examen rectè de virtutibus ad Sacerdotem præsertim requisitis instituetur, ad quem finem quatuor potissimùm bene nôsse & apprehendere debes, nimirum I. Quid in genere requiratur ad veram, solidámque virtutem. II. Quæ virtutes in specie ad Sacerdotem requirantur. III. Quantopere ejusmodi virtutes necessariæ sint. IV. Quibus mediis easdem acquirere possis & debeas; quæ omnia tempore illo, quod inter duas meditationes intermedium habes, suaviter considerare oportebit.

Primum igitur quod attinet, virtus vera & solida nihil aliud est, quàm habitus supernaturalis, quo ad actiones rationi conformes, Deóque beneplacentes eliciendas inclinamur. Ex qua descriptione facilè colliges, tres ad solidam, veramque virtutem proprietates seu conditiones requiri. I. Ut eram honestatem seu conformitatem cum ratione contineat, eáque reipsa per voluntatem appetatur; alioquí enim hoc ipso, quòd liberè non eliciatur actio, virtuosa formaliter non erit. II. Ut cum discretione exerceatur, id est, ut neque per excessum, neque per defectum aliquid rationi contrarium in virtute tali elicienda committatur, sed medium rationis, velut cynosura, fixum semper teneatur: nam, ut rectè S. Bernardus serm. 19. in Cant. ait, Deus vult se amari non tantùm dulciter, sed etiã sapienter; hinc S. 49. in Cant. de discretione loquens, tolle hanc, inquit, & virtus non virtus sed vitium erit. III. Ut constanter etiam inter adversa eliciatur; hoc enim discrimen est inter veram & fucatam virtutem, quod inter faciem naturali pulchritudine præditam, & fucatam seu adscriptitijs coloribus exornatam; utenim hæc, si calidam aquam superfundas, mox evanescet, fraudémque deteget, illa verò augebitur potiùs, quàm minuetur per similem infusionem; ita simili modo se res habet cum vera & fucata virtute, unde meritò Petrus Gerlacus dixit, tunc posse dari solidam virtutem, si stantem te quasi quadratum lapidem omnis casus & eventus inveniat.

Secundum caput, quod sciendum est, requirens, ut sciamus quæ virtutes in specie ad Sacerdotem requirantur, per ipsam enarrationem præcipuarum virtutum resolvendum est.

Prima igitur virtus Sacerdoti perquam necessaria Fides est, quæ, ut S. Chrysostomus S. de fide, spe &c. loquitur, *est origo justitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, Religionis fundamentum, sine qua nullus unquam Deum promeruit, nullus fastigium perfectionis ascendit*; sine quaeste Apostolo, impossibile est placere Deo, Hæc requirit, ut non modò ipse Sacerdos firmissimè omnibus Fidei articulis assentiatur, sed ad idem faciendum alios etiam instruat, & hortetur; è contrariò verò Hæreticis eam oppugnantibus fortiter se opponat.

Altera virtus Theologica, videlicet Spes, quæ juxta S. Chry-

Chrysostomum loc. antè cit. *est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, Sanctorum ultimata sublimitas, bonorum exspectatio futurorum*, duo præcipuè requirit officia à Sacerdote, scilicet I. Ut, quemadmodum S. Paulus 2. Cor. 1. Non sit fidens in semetipso, sed in Deo; neque enim sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, unde in omnibus suis functionibus cum magna fiducia ad ipsum recurrere, firmissimèque sibi persuadere debet, quòd, sicut ipsum ad sacerdotium vocare dignatus est, ita gratiam quoque vocationis necessariam abunde sit largiturus. Unde suo modo Sacerdos cum S. Bernardo S. 3. de octo pan. dicere debet. *Tria considero, in quibus tota spes mea consistit, charitatem adoptionis* (& vocationis) *veritatem promissionis, potestatem redditionis.* II. Ut pariter certò sibi persuadeat, præmium meritis proportionatū certò respondurū, hoc enim illa Christi Matt. 25. verba indicant: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Unde meritò hortatur Apostolus ad Hebr. c. 10. *Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem.*

Tertia virtus Theologica *Charitas* est, quæ juxta S. Prosperum l. 3. de vit. contempl. c. 13. dicitur, *Recta voluntas ab omnibus terrenis & præsentibus prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter, & unita, ac igne quodam Sancti Spiritûs, a quo est, & ad quem refertur, incensa*; vel, ut S. Basilius in Reg. brev. q 211. definit, *est assidua, & ultra vires, animi ad exequendam Dei voluntatem contentio, cum proposito ac desiderio gloriæ ipsius.* Unde tria requirit hæc virtus à Sacerdote. Primum est, ut nihil aliud in suis actionibus quærat, quàm gloriam & beneplacitum Dei; nam, ut rectè S. Augustinus l de moribus Eccles. c. 8. dixit, *eò est omnino tenendum, ad id omnia nostra consilia referenda; bonorum summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum; neq; infra remanendum est nobis neque ultra quarendum; alterum enim periculosum, alterum nullum.* Secundum est, ut omne, quod Deo displicet, studiosè devitet; nec ab alicujus rei creatæ amore aut odio ad tale quid agendum perduci sinat, ut cum veritate illud S. Pauli ad Rom. 8. usurpare possit:

Quis nos separabit à Charitate Christi? Tertium est, ut, quod Deo magis placet, solerter indaget, & fortiter exequatur, gaudeátque, si quàm plurima dura & adversa pro amore ipsius sustinere possit; nam, ut S. Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Philem. rectè dixit, *ea est amantium lex, ut tum demum felices putent, cùm adversa pro hu, quos diligunt, sustinent*; unde licet ij, qui vera charitate Deum diligunt, suavitatem divini amoris non negligant, illius tamen suavitati ærumnarum tolerantiam anteponunt.

Quarta virtus dilectio Proximi est in eo consistens, ut proximum sicut se ipsum propter Deum diligat Sacerdos, atque adeò omnia mala, quæ ipse nollet pati, à Proximo quoque efficaciter avertere conetur; bona verò, quæ sibimet optaret, liberaliter illi communicare, vel procurare studeat. Vnde sequentes actus ad hanc charitatem requiruntur. Primus est, ut *propter* Deum diligat proximum; *si enim quemlibet amat, sed propter Deum non amat, charitatem non habet, sed habere se putat*, teste S. Gregorio hom. 1. in Evang. Secundus est, ut omni conatu ipsum ad æternam beatitudinem perducere conetur, nam, ut sapienter advertit S. Augustinus l. c. *non diligis eum tanquam teipsum, si non ad id bonum, ad quod ipse tendis, adducere satagis.* Tertius est, ut juxta S. Tobiæ Senioris consilium, quo modo potuerit, tam erga Defunctos, quàm erga viventes sit misericors; & si multùm sibi fuerit, abundanter tribuat; si exiguum sibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri studeat memor, quòd Deus compensat voluntatem, ubi non invenit facultatem. Ut autem hæc tria tantò alacriùs exequatur, sequentes duas sententias bene ponderare debet, quarum primam pronunciavit Petrus Blesensis sic Sacerdotem alloquens: *Sine charitate nihil es, sine charitate Sacerdos esse potes, esse non potes.* In hoc enim juxta Christi effatum, agnoscent omnes, quòd Discipuli Christi sint Sacerdotes, si dilectionem habuerint ad invicem. Secunda S. Bernardus in declam. super *ecce nos.* sic loquentis: *Patrimonia Pauperum sunt facultates Ecclesiarum, & sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores non utique Domini & Possessores ultra victum accipiunt aut vestitum.*

Qui-

Quinta virtus castitas est, quam quidem Angelicam oportere in Sacerdote, qui Angelus Dei vocatur, & Angelorum in dirigendo homine participat officium; unde sicut de Angelis, ne suspicio quidem ullius peccati contra hanc virtutem admissi habetur, ita nec de Sacerdote haberi debet. Ut autem hanc virtutem obtineat, sequentia tria media sedulò observare debet. Et primò quidem, cùm nemo, teste Salomone sap. 8. *possit esse continens, nisi Deus det*, ac, ut monet Cassianus l. 6. Instit. *impossibile sit hominem suis, ut ita dicam, pennis ad præcelsa hujus virtutis præmium evolare, nisi eum gratia divina de terræ cœno evexerit*, adeat Dominum, & ex totis præcordis pro hac virtute deprecetur. Secundò ut, quemadmodum S. Cyprianus S. de jejun. & tentat. monet, *primis diaboli titillationibus obviet, nec colubrum foveat, donec in serpentem formetur*; maximè cùm ejusmodi occultæ cogitationes nonnunquam animum gravius saucient, & periculosiores sint ijs, quæ in manifesto admittuntur, ut Concilium tridentinum sess. 14. c. 5. advertit. Tertiò ut, quoniam S. Carolus Borromæus in epist. quâdam sapienter monuit, hanc virtutem nunquam acquirere quem posse, nisi se carnis maceratione afflictaverit, sensus omnes compresserit, otium ut pestem fugerit, & omnem animi ac mentis suæ vim in hujus virtutis pulchritudinem intenderit, hæc omnia sedulò observet, sícque cum S. Paulo 1. Tim. 5. dicere queat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

Sexta virtus *Modestia* seu morum gravitas est; cùm enim ipsi perinde ac Apostolis dictum sit: *Vos estis lux mundi*; meritò honestæ vitæ exemplo alijs prælucere debet, &, ut Concilium Trid. sess. 22. c. 1. de reform. loquitur, sic vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, alijsque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac Religione plenum præseferant, ob oculos semper habens Apostolicum istud monitum: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; cùm verè Sacerdos Christum præcipuè sequi, & imitari debeat; ubi autem Christus est, ibi modestia quoque sit, teste S. Gregorio Nazianz. ep. 193.

Septima virtus *Mansuetudo* est, cujus officium est, iracun-

diæ & asperitatis inordinatos motus reprimere, &, ut clarius S. Cyprianus S. de cœn. Dom. explicat, *incredulos suadendo ad finem flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus leniter respondere, superbos clementer sustinere, humiliter persequentibus cedere*; ac proinde tanto majori studio exercenda est, quando aptior est ad animos hominum lucrandos, sic certè Moyses, teste S. Ambrosio l. 2. offic. c. 7. totius plebis sibi mentes devinxerat, ut plùs eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Hinc & ipse Christus Matt. 11. Apostolis hanc virtutem præcipuè commendavit dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*, non propriæ duntaxat, sed etiam aliorum curæ vestræ commissorum; ut meritò S. Franciscus Salesius p. 3. Philoth. c. 8. mansuetudinem hanc *florem* charitatis dixerit, & tunc demum perfectam esse Charitatem asseruerit, cùm non tantùm patiens, sed etiam mitis & benigna est; unde quod S. Paulus ad Gal. 6 de correptione dixit: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*: de omnibus aliis actionibus cum Proximo suscipiendis observare debet.

Octava virtus *Patientia* tantò magis necessaria est Sacerdoti, quantò magis furorem Dæmonum & malorum hominum in se concitabit, si vocationi suæ satisfacere voluerit; nam, ut Apostolus 2. ad Thimoth. c. 3. monet, *omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*. Unde & ipse Christus Apostolos Joan. 15. monuit: *Non est servus major Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur*; addítque fructum Luc. 21. dicens: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quantóque perfectior est patientia, tantò perfectior quoque possessio animarum est. Quare meritò seipsos Sacerdotes illis Apostoli 2. Cor. 6. nobis hortari ad hanc virtutem debent, & dicere: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis &c.*

Nona virtus *Humilitas* est, quâ Sacerdos sibi verissima sui cognitione vilescit, & cum Christo contemni, hominúmque fieri opprobrium gestit; atque adeò tantò magis iterum

ierũ necessaria est Sacerdoti, quantò majus ædificiũ ædificare intendebat; cùm, ut rectè S. Augustinus S. 10. de verb. Dom. dixit, *qui cogitat magnam fabricam exstruere celsitudinis, de fundamento prius cogitare debeat humilitatis.* Unde hanc quoque præcipuè cum mansuetudine à se discendam Christus monuit: *Discite, quia mitis sum, & humilis corde.* Matt. 11.

Decima virtus *Paupertas* Spiritûs est, quâ videlicet mundo hoc utatur, tanquam non utatur; & habens victum & amictum, & habitationem congruam his contentus sit, nec divitias in animo, nec animum in divitijs habens, ut S. Franciscus Sales. p. 3. Philoth. c. 4. loquitur; cùm enim Sacerdos in sortem Domini assumptus sit, atque adeò cum S. Davide ps. 15. dicere debeat: *Dominus pars hæreditatis meæ*; meritò opibus terrenis inhiare non debet, (*quid enim ultra quærat, cui omnia suus Conditor sit*, ait rectè S. Hieronymus l. 2. de vit. act. c. 16.) sed illas divitias ambire, quæ nos ornare pariter possint, & munire; quas nec acquirere inviti, nec perdere valeamus; quæ contra hostiles impetus armant, à mundo disterminant, Deo commendant, animas nostras ditant, atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt, & nobiscum auferre possumus. Quare monitum saluberrimum S. Bernardi in epist. 103. ob oculos semper habeat sic loquentis: *Quare, ô homo Dei, hæc fuge, si sapis; si habes cor, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est, beatus utique, qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.*

Undecima virtus *Obedientia* tantò magis Sacerdoti necessaria est, quantò præstantius corpus est Ecclesiastica Hierarchia, atque adeò ad illius regimen necessarium est, ut inferiora membra capiti subjecta sint. Hinc meritò Apostolus ad Hebr. 13. dicit: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim* (velut caput) *pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes*; gemitus siquidem iste, quâvis ultione durior est, inquit S. Chrysostomus in cit. locum.

Duodecima virtus *Devotio* est, quæ nihil aliud est, quàm prompta voluntas ad omnia obsequia divinæ Majestati exhibenda; tantóque magis Sacerdoti necessaria est, quantò

magis ipsi convenit, ut sedulum se in divinis muneribus ministrum exhibeat, *ut qui ex hominibus assumitur pro hominibus constituitur in ijs, quæ ad Deum sunt*, ut Apostolus ad Hebr. c. 5. loquitur. Unde meritò Sacerdos operam dare debet, ut in omnibus functionibus ad Deum pertinentibus, & specialiter in SS. Missæ Sacrificio, & horis canonicis peragendis, juxta monitum S. Bernardi S. 1 in Cant. jungat sensum verbis, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi.

Tertium caput de virtutibus sciendum, est digna æstimatio illarum, quæ quidem non meliùs concipi poterit, quam si certissimò tibi persuadeas virtutem esse potissimum instrumentum Sacerdotis, ex quo efficaciam omnem, sive ad beneplacitum Dei, gloriámque promovendam; & ad salutem proximi copiosè & securè procurandam; sive ad salutem propriam certiùs assecurandam, & abundantiùs obtinendam promanare oportet; ut meritò S. Paulus ad Timotheum 1. cap. 4. scribens dixerit: *Exerce teipsum ad pietatem* seu virtutem; *nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autē ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ* atque adeò jure de hac virtute Sacerdos sibi factam Siracidis Eccl. 6. adhortationem credat: *Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad illam, & sustine* (id est, exspecta) *bonos fructus illius; in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius*, ita ut dicere cum eo possis: *Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi magnam requiem.* Eccl. c. 51.

Quartum denique caput, scilicet media ad virtutem acquirendam præcipuè conducentia quod attinet, multa quidem ab Ascetis, præscribuntur, sed quæ ad tria maximè reduci queant, videlicet I. *Ad ardens desiderium*; nam in virtute idem quod de sapientia, dici potest, quòd scilicet facilè videatur ab his, *qui diligunt eam; & inveniatur ab his, qui quærunt illam; præoccupet, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* II. Ad *divinum adjutorium*; quod proinde assiduò cum magna fiducia implorandum est: & III. Ad *constans exercitium*, unde Apostolus Timotheum dixit: *Exerce te ad pietatem*, id est, naturam illius bene cognoscere stude, occasiones illius exercendæ sollicitè indaga-

gi, & easdem avidè arripe; hæc enim tria ad perfectum exitium requiruntur.

DIES TERTIA.

SCopus hujus diei est, ut, cùm pleraque ad statum Sacerdotalem pertinentia jam consideraveris, vel certè in prima hujus diei meditatione adhuc consideraturus sis, dispicias tandem, an sumptus habeas sufficientes ad perficiendum, atque adeò electionem status tandem concludas, & prout ultima meditatio docebit, fortiter exequaris, quæ decreveristi.

Tessera.

Domine, ostende, quem elegeris (statum videlicet) Act. cap. 1.

Meditatio I.

DE INCOMMODIS ET PERICULIS STATVS SACERDOTALIS.

Præludium I. Est, imaginari Sacerdotem in bivio, arctæ scilicet, & latæ viæ constitutum, & ad illam quidem à Christo, ad hanc verò à Dæmone invitatum.

Præludium II. Est, petere gratiam, ut non tantùm incommoda & pericula statûs sacerdotalis bene cognoscere, sed etiam adjumenta, quæ ad illa seu lenienda, seu devitanda à Deo, & ipso statu offeruntur, rectè intelligere queas.

Punctum I.

Considera I. Quàm gravium laborum, molestiarum, & & fastidiorum occasionem penè assiduam offerat Sacerdotalis status. Et I. quidem per ipsas functiones curæ animarum proprias, puta conciones habendas, confessiones excipiendas, administrationem Sacramentorum diu, noctúque, in quacunque tempestate, per longa sæpe & fastidiosa itinera pedibus conficienda suscipiendam, & non rarò cum periculo gravis morbi contrahendi, aut ipsius vitæ amittendæ conjunctam. II. Per curas œconomicas, quæ tantò vehementiùs distrahunt, & lancinant animum, quantò pauciores sunt redditus ad sustentationem necessarij, quantóque pluribus

periculis amissionis sive per tempestatem, sive per fures, sive per infidos Domesticos incurrendæ sunt subjecti. III. Per cognatorum vexationem, qui veluti sanguisugæ opem assiduò flagitant, opibus inhiant, non satiati murmurant & exigua grati animi signa ostendunt. IV. Per mores & crassam indolem tum Parochianorum, tum Domesticorum, maximè si vitijs etiam gravioribus sint subjecti, nec emendari queant.

Considera II. Quanta è contrario pro his fastidijs, & & molestijs aut omnino tollendis, aut alleviandis certè adjumenta idem Sacerdotalis status offerat; nam in primis ipsa gratia vocationis facit, ut omnia possimus in eo, qui confortat. Deinde Zelus gloriæ divinæ, & amor ovium sibi commissarum omnia levia facit; si enim Jacobo Patriarchæ omnes anni in gravissimis laboribus & molestijs exacti breves sunt visi, quia per eosdem Rachelem à se tantopere dilectam lucraturum se sperabat, quantò magis Sacerdoti omnes labores, quos pro gloria Dei, pro animarum, quæ infinities pulchriores sunt Rachele, lucro, imò & pro ipsa Deitate olim fruenda, susceperus est, breves, & leves, imò & delectabiles occurrent. Accedit ipsa Christi promissio, qui regnum Dei quærentibus (uti præcipuè faciunt Sacerdotes) omnia necessaria adjectum iri promisit; & verò si Domini terrestres Pastoribus ovium materialium tam sollicitè necessariam sustentationem subministrant, an Christum Sacerdotibus, quibus oves pretioso suo sanguine redemptas custodiendas commisit, deesse aliquid passurum credemus? at non Apostoli eidem Christo Luc. 22. c. quærenti: *Quando vobiscum eram, nunquid aliquid defuit vobis?* nihil, respondérunt? Ut vero nec propinquorum sollicitatio, aut inordinatus, nec subditorum corrupti & asperi mores perturbent, ipse amor Dei, & illustratio cœlestis efficiet, ut qui & aptum propinquos amandi & juvandi Ordinem, limitémque præscribet; & mores subditorum asperos pernix supportare faciet, ac matres filiorum suorum defectus per-morem tegunt, ac dissimulant, ita ut jure meritò fateri queat in se impletum esse, quod Sponsa Cant. c.2. expertam se beata confitetur: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.*

Considera III. Quàm præclara sint hæc adjumenta, & quia

quàm meritò in eorum præsentia omnia supra enarrata inommoda evanescere, & contemni debeant. Colloquium ad ll. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quæ pericula animæ in statu Sacerdotali ꝛperiuntur; eadem nempe, quæ Navarchis (quales utique etiam sunt Sacerdotes, animarum, quas per periculosum hujus mundi mare ad æternæ felicitatis portum perducere debent, curam gerentes) per mare navigantibus occurrere solent. I. Nempe *Syrenes* suaviter canentes, &, ut navim submergere possint, obdormiscere facientes, per quas mulierum inordinatus amor & consortium rectè intelligitur, quæ, proh dolor! jam multos Sacerdotes in barathrum æternæ damnationis præcipitârunt. II. *Scopuli*, per quos negotia, & curæ, conversationésque rectè intelliguntur; in quos, uti quotidiana iterum experientia testatur, non pauci impegerunt Sacerdotes, naufragiúmque animæ sunt passi. III. *Pirata*, per quos dæmones Sacerdotibus, ut quos copiosa meritorum propriorum & animarum lucra facere nôrunt, præcipuè per varia tentationum & persecutionum genera insidiantes intelliguntur.

Considera II. Qualia vicissim ad hæc pericula devitanda à statu Sacerdotali adjumenta offerantur. Nam inprimis ad Syrenes evitandas ipsa primùm *voti castitatis obligatio*, deinde verò *quotidiana* propè *Corporis Christi sumptio*, quæ in se quodam modo carnem Sacerdotis commutat: & *ipsa eandem Vocationis gratia liberat*, quæ quidem tanta est, ut, si ex obedientiæ duntaxat, & charitatis ordinatæ impulsu cum Feminis agere debeat, perinde, ac Pabylonici Juvenes, in hoc igne illæsus sit custodiendus. Deinde verò pro scopulis sæcularium curarum & conversationum devitandis offertur ipsi assidua cum Deo & Sanctis per Orationes, lectiones sacras, aliásque functiones spirituales communicatio, quæ, nisi ipse obstet, facilè efficiet, ut sordescere ipsi incipiat omnis humana conversatio, nec sine magna necessitate aut utilitate suscipiatur; quo tamen in casu, sicut ex voluntate Dei aditur hoc periculum, ita ad eundem pertinet, ut ex illo incolumem & illæsum educat, ut dicere cum Juditha c. 13.

possit:

possit: *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde revertentem, & non permisit Ancillam suam* (aut famulum) *coinquinari.* Denique contra ipsos etiam Dæmones non levia præsidia offert; nempe I. *insignem cum Christo veram conjunctionem*, ob quam meritò dicere potest: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* II. *Orationis frequentiam*; quam ipse Christus velut fortissimum contra Adversarios scutum suasit, dum Matt. 26. dixit: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* III. *Generosam resistentiam*; cùm enim ipse alios assiduò hortari debeat ad resistendum tentationibus maligni hostis, inculcans illud S. Jacobi c. 4. monitum: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*: hoc ipso eum ipsemet non modicè incitabitur ad similem resistentiam, ne dum alijs ad victoriam Author est, ipsemet turpiter succumbat.

Considera III. Quàm efficacia & hæc sint adjumenta ad omnem animo timorem periculorum suprà indicatorum eximendum, atque adeò statum Sacerdotalem, si Deus voluerit, alacriter & intrepidè suscipiendum. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum II.

Considera I. Quàm gravem rationis olim Deo reddendæ obligationem, atque adeò salutis propriæ perpendendi periculum post se trahat Sacerdotalis status; si enim, cui multum datum est, multùm exigetur abeo, quam severam Deus rationem exiget à Sacerdote, cui animas velut thesaurum suum præstantissimum, dilectissimúmque commisit? certè S. Chrysostomus ho. 5. in acta Apost. hoc periculum considerans, dicere ausus est: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò magis, qui pereant, non tam propriis peccatis, quàm alienis, qua non curaverunt.*

Considera II. Qualia adjumenta pro hoc quoque periculo evitando offerat status Sacerdotalis; cùm inprimis gratia vocationis offerat, ut à Deo ad munus suum ritè administrandum, atque adeò in sua potestate sit facere id, quod ab eo requirit DEVS; hoc autem si faciat, nihil ipsi imponendum

dem ad culpam, vel pœnam sit, cùm curam duntaxat, non orationem jure Deus exigere possit. Deinde verò ipsa charitas & misericordia assiduò pro salute Sacerdotis precabuntur, ne excitat illius felicitatis participatione, ad quam ipse alios tam sollicitè perducere conatus est; unde si S. Hieronimus alicui dicere ausus est: *Non memini me legisse, malam mortem fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos Intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri*; multò magis hoc de Sacerdotibus, qui præstantiora longè opera misericordiæ, spiritualia videlicet, tam frequenter exhibere solent, dici poterit.

Considera III. Quàm apta & efficacia sint hæc duo media adrationis reddendæ timorem moderandum; & animos potiùs addendos, ut statum sacerdotalem tam multis adjumentis & præsidijs instructum libenter amplectaris, si ad eundem te vocatum deprehenderis. Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

De Executione Vocationis.

Præludium I. Est, imaginari Apostolos à Christo vocatos & mox omnibus relictis eum secutos.

Præludium II. Est, petere gratiam, ut tu quoque, sicuti simili modo cum Apostolis vocatum te credis, ita pari quoque cum celeritate & perfectione respondere vocationi possis.

Punctum I.

Considera I. Quàm magnum beneficium tibi collatum sit per vocationem ad sacerdotalem statum; si enim meritò maximùm favorem collatum esse crederes ei, qui è vilissimo statu ad regiam vel imperatoriam dignitatem evectus esset; quantò majus æstimare debebis tibi à Deo beneficium exhibitum, dum te ad Sacerdotalem dignitatem, juxta unanimem SS. Patrum sensum ipsa regiâ dignitate longè excellentiorem, vocare & evehere dignatus est, ita ut meritò de te pariter & Apostolis dici queat: *mihi autem nimis honorifica-*

rificati sunt Amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Ps. 138.

Considera II. Quantopere beneficij hujus magnitudo augeatur, si circumstantias, quas involvit, paulò melius consideres, videlicet I. *Infinitam charitatem vocantis* DEI tantopere & toties à te offensi, & tamen tam extraordinarium favorem conferentis. II. *Summam vilitatem & indignitatem vocati*, nihil, per quod mereri talē favorem potuisset, habentis; plurimas verò causas, ob quas ei negatus talis gratia meruisset, offerentis, uti nulli magis, quam tibi præteritam vitam relegenti constabit, ut adeò meritò cum S. Davide Ps. 8. exclamare possis: *Domine: quid est homo, quòd memor es ejus, aut Filius hominis, quoniam visitas eum? minuisti eum paulò minùs ab Angelis* (imò majores ei potestatem tribuere constituisti) *gloriâ & honore coronasti eum.* III. *Innumeram multitudinem* hominum in sæculari statu relictorum, præ quibus tu ad hanc dignitatem evectus es, etsi innumeri sint, qui millies gratiores se exhibuissent, & beneficio tali perfectiùs usi fuissent.

Considera III. Quàm æquum proinde sit, ut, sicut beneficium hoc maximum est, ita maximas quoque pro eodem gratias Benefactori tanto persolvas; &, cùm gratiorem illi exhibere non possis, quàm si vocationi tuæ omni conatu respondeas, jam nunc modum istum respondendi sollicitè indagare, & studiosè adhibere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quis sit modus optimus, Deóque gratissimus respondendi vocationi; si videlicet sequentia præstes. Et I. quidem jam nunc mundo & rebus terrenis penitus renunties, memor sententiæ à Christo Luc. 14. prolatæ: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, & S. Pauli exemplum ob oculos proponens, qui de seipso ad Galatas c. 1. scribit: *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut Evangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini.* II. Ut dotes, quas ad Sacerdotem requiri cognovisti, ma-

gnam

gnam videlicet scientiam, majorem prudentiam, & maximam Sanctitatem omni studio procurare, & magis in dies proficere & augere conaris; si enim ij, qui ad terrena officia eliguntur, vel opificia certa exercere studuerunt, mox de optimis sibi instrumentis prospiciunt, quantò magis hanc industriam te adhibere convenit, qui ad officium spirituale, idque divinissimum te vocatum agnoscis. III. Ut, ubi tempus sacrorum ordinum suscipiendorum advenisse compereris, non differas susceptionem, sed mox cum Apostolis omnia alia negotia relinquens, Christum cum purissima intentione gloriæ divinæ augendæ, tuæque ac alienæ salutis assecurandæ sequaris; *nescit enim tarda molimina Spiritus S. gratia*, teste S. Ambrosio. Unde proderit adhortationem S. Bernardi ep. 108. sibi applicare, dum sic ad aliquem annuas inducias pro vocationis executione postulantem scribit: *obsecro, redi ad cor, & adverte hunc annuum terminum, quem tu tibi indulsisti, esse injuriam Dei, non esse annum placabilem Domino, sed discordiæ seminarium, iræ fomitem, nutrimentum Apostasiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum, qui Deo solet vomitum procreare.*

Considera II. Quàm solida sint hæc tria documenta, aptáque ad perfectam vocationis executionem, atque adeò tantò diligentiùs observanda, quantò majus tibi per eandem vocationem beneficium collatum esse cognoscis.

Considera III. Si illis, qui vel nuptias celebrare, vel sæculare aliquod officium valde honorificum, & pingue suscipere decreverunt, omnis mora longa videtur, donec optatus nuptiarum vel officij suscipiendi dies adveniat, quantò magis tu cum ardenti desiderio exspectare debeas diem Sacerdotio, &, ut ita dicam, cælestibus cum Spiritu Sancto nuptijs celebrandis destinatum. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quos fructus sperare possis ex ista tam celeri & perfecta executione vocationis; tres videlicet in genere, qui innumeros alios particulares involvunt. Primus est, *copiosa gratia* ad omnes vocationis tuæ functiones cum maximo incremento tum gloriæ divinæ, tum meriti proprij & alieni

lieni peragendas; hunc enim fructum Christus promisit, dum Joan. 15. dixit: *Qui manet in me, & ego in eo* (quod utique nemo meliùs præstat, quàm qui vocanti Christo paret) *hic fert fructum multum.* Unde dicere jure meritoque cum Apostolo 1. Cor. 15. poterit: *Gratiâ autem Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Secundus est *singularis animæ quies*, & solatium ob vocationis impletionem; cùm enim nulli rei meliùs sit, quàm in centro & fine, ad quem à natura destinatae sint, homo profectò etiam alibi reperire quietem poterit, quam in fine, ad quem à Deo vocatus est, unde meritò in illo verificabitur illud Salomonis oraculum 16. prov. *Secura mens* (id est, Dei nutui obtemperans) *quasi juge convivium*, atque hæc videlicet causa est; cur Christus Matt. 11. ad jugum suum tollendum invitans mox addiderit, *jugum enim meum suave est, & onus meum leve*; quidquid enim tibi acciderit, qui sincero corde divinam voluntatem sequitur, eidem in bonum, id est, æternam gloriam cooperatur; non aberrare potest à scopo, quamdiu hunc Ducem sequitur, quantumvis per aspera præeuntem. Tertius est *ingens fiducia & spes æternæ salutis obtinendæ*; cùm enim Christus ipse Jo. 10. dixerit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*, meritò spem firmissimam concipere æternæ prædestinationis poteris, si vocem vocantis Christi te audivisse sciveris. Quantum autem tibi per spem hanc robur ad omnes officij tui molestias cum gaudio perferendas addere dum sit, tibi ipsi perpendendum relinquo.

Considera II Quàm pretiosus & verè optabilis sit triplex hic fructus, dignissimúsque, propter quem participandam vocationem tuam cum maxima celeritate ac contentione exequaris.

Considera III. Quomodo deinceps hunc triplicem fructum ob oculos semper habere, & per eosdem te ad dictam executionem excitare velis. Colloquium ad Christum.

EXAMEN

EXAMEN

Reliquo hujus Diei Tempore instituendum.

EXamen hoc de ipsa vocatione hodie rectè instituetur, ut intelligas nempe, an à Deo ad Sacerdotalem statum vocatus sis, eúmque tandem eligere decernas; ut autem hanc electionem ritè instituas, aliqua quidem ante, alia in, alia post illam observabis.

Observanda

Ante Electionem.

I. Ante omnia memento nos in hac vita velut in via ad Patriam constitutos esse; & non habere hîc manentem civitatem; sed futuram inquirere, ut Apostolus c. 13. ad Hebr. dit.

II. Certò tibi persuade nullam ad hanc Patriam securiorem esse viam, quàm illam, quâ Deus nos ad illam perducere conatur, ut qui solus scit, quid unicuique maximè ad salutem expediat, quíque tam sincerè nos amat, ut, quantùm in ipso est, omnes homines salvos fieri velit.

III. Pariter certum habeto, maximum & singulare DEI beneficium esse, si suam cuiquam voluntatem circa deligendum vitæ statum significare dignetur; veræ enim *beati sumus, si qua Deo placent, manifesta sunt nobis*, Baruch. 4 hæc itaque voluntatis divinæ significatio est amica invitatio, profecta ex amore, quo nos ad se trahere, & æternùm felices reddere cupit, juxta illud Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.*

IV. Cùm omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum sit, descendens à Patre luminum; beneficium hoc assiduò à Deo petendum esse scito; nec dubita, quin obtenturus sis; si enim inter homines nemo tam inhumanus est, quem crebræ ac supplices preces filiorum non moveant, quantò magis cælestis Pater preces tuas non negliget, sed Spiritum & instinctum bonum petenti tibi largietur.

V. Etsi Deus paratus sit, suam voluntatem nobis manifestare, id tamen non eodem modo exequi; nam quosdam quidem potenter rapit, quosdam leniter ducit, quosdam pecu-

culiaribus motibus instigat atque impellit, allos suâ sponte magis ferri, & seipsos agere permittit. Unde cooperatio hominis necessaria est, illúdque Geremiæ c. 6. consilium sequendum: *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

VI. Ut hanc viam bonam tantò faciliùs eligere possis, scire debes ulterius, & velut certum supponere, quemlibet dum duæ sunt animi partes, intellectus & voluntas, in plex quoque vocationis esse genus; unum voluntatis quando scilicet ita ad certum vitæ genus movetur, ut eodem am intellectum rapiat, & assensum quasi extorqueat, a quidam à teneris annis ad certum vitæ statum quasi ducuntur à Deo; alterum genus vocationis, intellectu delicet tunc intervenit, quando voluntas nullos peculiar instinctus experitur, aut tales certè, quos meritò suspe habet, atque adeò ratiocinio intellectûs vocatio divina daganda est; in quo tamen summopere cavendum est, humanis artibus aut persuasionibus abduci te à meliori filio patiaris; onus enim, quod assumis, solus feres; proin agis, tibíque consulis, nisi sic agas, ut de te idem de populo Israëlitico desertum transeunte Deut. 32. ptum legitur, dici queat: *Dominus solus Dux ejus fuit.*

Observanda
In ipsâ Electione.

I. Antequam ipsam electionem auspiceris, fusis ad Deum ardentibus precibus, quibus vitæ genus ab æterno tibi cretum ostendi suppliciter petas; & explicato desiderio gnoscendæ atque explendæ illius voluntatis, statum larem & Clericalem in medio statue, & primò quidem quire, an non vocationem voluntatis ad statum Clericalem senseris, id est, an non à puero, & maximè tempore om niis, aut Eucharistiæ perceptæ, aut sacræ electionis, aut cionis, ejusmodi instinctus senseris? & quomodo in ip quiescas? an vires ad exequenda statûs hujus munia tibi si promitti sentias, aut ipse polliceri audeas? an difficu tum; quæ occurrere possunt, magnitudine non terrearis;

ad sæcularem statum applicare velis animum, hic renitante turbetur, tenebris offundatur? hæc enim indicia si occurrant, non obscura divinæ vocationis sunt signa, cùm DEVS tali potissimùm tempore, & per tales internas vocillabi in animum soleat.

II. Quia tamen juxta commune proverbium: *abundans cautela non nocet*: ideò consultum est, ut alter etiam modus, per intellectum videlicet vocationem indagandi, adhibeatur. Itaque gemino statu sæculari, & Ecclesiastico ante oculos constituto, considera I. Quis ex istis statibus te commodiùs, certiùs, securiùs ad finem tuum, id est, felicitatem æternam perducat? II. In quo peccata & graves lapsus certius & faciliùs devitentur? III. Quis ad virtutem solidiùs instruat, & compendiosiùs ducat? IV. Ubi corporis & animi talenta meliùs impendere, & perficere possis? V. Quis naturæ convenientior? quis ad perseverantiam aptior? VI. In quo imminente morte vixisse malles? VII. In quo faciliùs Deo rationem reddere queas? VIII. Quem ex illis alteri per omnia tibi simili, & æqualiter amato coram Deo suadetes? IX. In quo Christo similior fieri, téque Deo perfectiùs consecrare queas?

III. His ergo coram Deo consideratis, vide, pro quo statu plures & meliores rationes (hæ enim sunt quasi Consiliarij votum seu suffragium pro tali statu ferentes) tibi occurrant, & juxta eas sic pro illo statu electionem conclude, ut tamen interum priùs hoc negotium Deo commendes, & postea memor, quid Deus S. Paulo dicenti: *Domine, quid me vis facere*? responderit, scilicet: *surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, idem tibi dictum credas, atque adeò Confessario tuo, aut alteri viro prudenti & zeloso tuas has rationes & electionem aperias, illiúsque super ijs judicium requiras, ut, quantò minùs tibi ipsi confidus fueris, tantò securiùs procedas & eligas.

Observanda
Post Electionem.

I. Post electionem dicto modo conclusam prima tua cura esse jure meritò debet, ut debitas Deo pro tam insigni beneficio gratias liberalissimè persolvas, & confirmationem

hujus voluntatis frequenter & suppliciter petas, Davidicum illud psl. 67. usurpando: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis,* aut illud psl. 50. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* aut illud psl. 19. *Tribue mihi, Domine,* (gratiam videlicet) *secundùm cor tuum* (id est, voluntatem & beneplacitum tuum) *& omne consilium meum confirma.* Quòd si quandoque languere tentias in vocationis executione, iterum Davidicum psl. versum usurpare poteris, & dicere: *dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.*

II. Ut tantò faciliùs prædictam confirmationem obtineas proderit unum aut alterum Patronum Spiritu Ecclesiastico & Clericali præ cæteris imbutum, & Sacerdotum bonorum efficiendorum, dum adhuc viveret, præcipuè studiosum, eligere, & quotidiano aliquo obsequio aut orationcula venerari, quales sunt S. Chrysostomus S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Salesius, S. Ignatius Loiola, S. Philippus Nerius & similes. Fortassis non parùm prodesset, si parvas istas Litanias conficeres, quibus & talium Sanctorum Patrocinium implorares, & eas dotes, quæ ad Sacerdotes pertinent, per eorum merita & intercessionem à Deo peteres in hanc & similem modum.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.
S. MARIA Patrona Sacerdotum, ora.
S. Michaël protector Ecclesiæ, ora.
S. Angele Custos, ora.
Omnes Sacerdotum Custodes Angeli, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, S. Joan.

Sancte Joannes, ora.
Sancte Chrysostome, ora.
Sancte Carole Borromæe, ora.
Sancte Philippe Neri, ora.
Sancte Ignati Loiola, ora.
Sancte Francisce Salesi, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
A Spiritu fornicationis, Libera.
A Spiritu Avaritiæ, Libera.
A Spiritu intemperantiæ. Libera.
Ab omni inconstantia, Libera.
Per merita & intercessionem omnium sanctorum Sacerdotum, Libera.
Per immaculatam conceptionem SS. Virginis MARIÆ, Libera.
Per æternum Sacerdotium tuum, Libera.
Per cruentum & incruentum sacrificium tuum Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare digneris, Te rogamus.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus.
Ut nosmet ipsos in sancto proposito conservare digneris. Te rogamus.
Ut duplicem spiritum scientiæ & virtutis largiri digneris, Te rogamus.
Ut verum Zelum animarum in me accendere digneris, Te rogamus.
Ut omnibus Sacerdotibus verum spiritum Ecclesiasticum

sticum inspirare digneris. Te rogamus
Ut animabus omnium defunctorum Sacerdotum requiem æternam largiri digneris. Te rog
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere bis.
℣. Cor mundum crea in nobis, Deus.
℟. Et spiritum rectum innova in viscéribus
℣. Ne projicias me à facie tua.
℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus, Domine, aspira præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, per te cœpta finiatur.

Deus, qui corda Apostolorum Spiritûs Sancti illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Illo nos, igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster JESUS Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.

De

Deus tuorum gloria Sacerdotum, præsta quæsumus, ut Sanctorum tuorum, quorum patrocinium invocamus, sentiamus auxilium.

Excita Domine in Ecclesia Spiritum, cui Sacerdotes tui Sancti servierunt, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amaverunt; & opere exercere, quod docuerunt. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

III. Valde necesse erit, ut ab hoc tempore studeas singulorum morum gravitatem & decentiam ostendere, aliisque in virtutibus ad Sacerdotem, ut suprà ostensum est, pertinentibus exercere. Quem in finem ob oculos semper habenda erit præclara S. Ambrosij l. 1. epist. 6. sententia dicentis: *Dederat* (DEUS) *præceptum eidem Moysi, ut montem cum Sacerdotibus ascenderet, Populus autem deorsum staret. Separavit igitur Sacerdotes à Populo, & præcepit Moysi, ut nubem intraret. Vides à Sacerdote nihil plebeium requiri, nihil popular, nihil commune cum studio atque usu, & moribus multitudinis, sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à Populo, qui nihil habet separatum à Populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si tua in se recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod ultro in se non inveniat; si, qua in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, inveniat?*

IV. Sedulò cave, ne abreptus communi, sed vituperabili prorsus errore quorundam sub titulo & specie valedicendi Mundo, plùs tibi licentiæ ad peccandum, & tuis cupiditatibus indulgendum concedas; per hunc quippe errorem habitus mali & difficultas vocationis exequendæ augentur, tentationibus validioribus locus præbetur, divina gratia subtrahitur, & manifesto periculo Vocatio, salúsque exponitur; insanissimæ quippe stultitiæ est, tot, támque noxias benevolentiæ significationes edere erga insidiantem Mundum & Diabolum, quem deserere cogitas, & tot injurias illi, cui te mancipare in totam deinceps ætatem decrevisti, infetre; quis enim non stultissimum, summéque detestandum diceret facinus

cinus illius, qui Regis cujuspiam servitio se mancipaturus se cum alloqueretur: Decrevi omnino tibi servire, O Rex, & pro magna gratia habebo, si me inter servos tuos annumerare dignaberis; sed priùs per aliquod tempus hosti tuo capitalissimo me associabo, téque strenuè oppugnabo, variisque injuriis afficiam? an non hoc ipso facto mererer, nunquam inter Famulos Regios admitti? atqui idem facit, qui modo suprà indicato, Mundo valedicere decernit.

V. Denique memor doctrinæ Eccl. 2. datæ: *Fili, accedens ad servitutem DEI, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem:* singulari studio te arma ad tentationes à Vocationis executione absterrentes, quales v. g. ex possunt inordinatus affectus ad aliquas Personas, desideria & voluptates carnales, horror difficultatis &c. quas S. Augustinus conc. 1. in Psal. 36. fictos amicos vocat dicens: *Ad quamcunque professionem te converteris, para te, patisque (tibi nempe clam adversantes) alioquin si te non paraveris, invenies, quod non sperabas, & deficies, aut perturberis.*

VI. Pro Coronide hujus triduanæ collectionis, lege, si placet, ex libello de imitatione Christi l. 3. c. 10. & quæ ibi de religioso statu dicuntur, Ecclesiastico applica.

SECUNDUM EXEMPLAR TRIDUANÆ RECOLLECTIONIS.

Pro ijs, qui ad primum Sacrum ritè præparare se cupiunt.

SCopus hujus Recollectionis est; ut ex ipso titulo patet, præparare se ad primam DEO Hostiã cum debita reverentia & dispositione offerendam; si enim S. David pro templo Jerosolymitano totis viribus impensas præparavit, eò quòd non homini, sed DEO præparabatur habitatio, & Siracides tam sollicitè monuit, ut ante orationem anima præparetur, quantò magis ad Sacrificium omni templo & Oratione infinities præstantius dignè offerendum omnis sollicitudo & præparatio adhibenda est. Meritò ergo si integrum octiduum spirituali recollectioni impendi non potest, triduana saltem instituitur, pro qua proinde aptas, alias

Ideas

ſque Meditationes & Examina Statûs, ut vocant, in hoc ſecundo Exemplari ſuggerentur, ut vel hoc brevi tempore discam de Sacerdotio, functionibúſque illi annexis æſtimationem concipiat futurus Sacerdos, ſimúlque utilem etiam praxin addiſcat, eaſdem functiones cum debita decentia, fructúque peragendi.

DIES PRIMA.

Teſſera.

Nimis honorificati ſunt Amici tui DEUS, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

Meditatio I.

DE OFFICIO ET DIGNITATE SACERDOTIS.

Præludium I. eſt, imaginari tibi, quòd coram Chriſto in cælis ſedente, & Pontificiis veſtibus induto flectens, veſtes ſacerdotales, & cum ijſdem etiam omnem poteſtatem Sacerdotibus convenientem accipias, ita ut dicere cum eodem Chriſto poſſis: *Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo* (ut inde Chriſtum ad Altare advocem) *& in terra*, ut homines ſpiritualiter ligare & ſolvere poſſim.

Præludium II. eſt, petere gratiam, ut officium & dignitatem Sacerdotum verè cognoſcere, & pro tanto beneficio debitas gratias, ut oportet, perſolvere queas.

Punctum I.

Conſidera I. Quòd, ſicut DEUS olim in Mundo naturali duo luminaria creavit, majus unum, videlicet Solem, ut præeſſet dici; alterum minus, nempe Lunam, ut præeſſet nocti; ita in Mundo quoque politico duo luminaria, ſcilicet *Sacerdotes*, qui præeſſent dici, id eſt, ſpiritualium, & ad DEI cultum pertinentium rerum curam gererent, & *Reges* ac Magiſtratum ſæcularem, qui nocti præeſſent, id eſt, quoad temporalia bona Populos ſibi ſubjectos dirigerent, conſtituit, uti Hugo de S. Victore in c. 1. Gen. notat.

Conſidera II. Quænam ſint iſta ſpiritualia, ad quæ adminiſtran-

nistranda Sacerdotes sunt constituti, scilicet ut Sacrificium DEO sacrificent, thymiama Orationis publicæ, seu Horarum Canonicarum pro Populo offerant, & Sacramenta, ipsumque verbum divinum administrent.

Considera III. Quanta hinc dignitas Sacerdotali Statui oriatur, tanta scilicet, ut omnis Regum terrenorum, aliorúmque Dominorum dignitas tantùm Sacerdotum excellentiæ & dignitati cedat, quantùm spiritualia corporalibus, & cælestia terrenis antecellunt, ita ut Vasquez non fine fundamento ex ipsa S. Thomæ doctrina petito docere ausus sit, posse virtutis habitum ab Observantia communi distinctum circa cultum Sacerdotum constitui, eò quòd in illis specialis quædam dignitas longè excellentior civili reperiatur, meritóque adeò S. Ignatius in Epist. ad Smyrn. dixerit, *Sacerdotium esse summam bonorum omnium, quæ in hominibus consistunt.* Vide proin, an dignam hactenus de tali statu æstimationem conceperis, aut certè concipere deinceps velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quantum beneficium DEUS tibi contulerit, dum te præ tot millionibus aliorum hominum ad Statum tam excelsum vocare dignatus est, de quo Cassianus in Conl. gloriæ meritò dixerit: *Sacerdos DEI altissimi, si omnium Dominorum sublimitatem contempseris, sublimior es: si Creatore tuo inferior es.* An non præ admiratione in illa Davidis Ps. 112. voces erumpes: *Quis sicut Dominus DEUS noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore elevans pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus Populi sui.*

Considera II. Si S. Bernardus s. 52. de Christianis dicere ausus est, nihil ita displicere DEO, præsertim in filiis gratiam quàm ingratitudinem, eò quòd scilicet, sicut plura beneficia quàm Ethnici & Infideles acceperunt, ita magis quoque tenebrosi eadem agnoscere, & DEUM pro illorum collatione laudare gratiásque debitas agere debuissent; quantò magis DEO displiciturum esset, si tu, cui beneficium tam grande per Sacerdotis collationem exhibitum est, illud non, ut oportet, grati-

gratissimo animo agnoscere, próque eodem, optimo, quo poteris, modo gratum te exhibere studeres.

Considera III. Quis sit optimus, & DEO acceptissimus gratitudinis modus; si scilicet finem illum, propter quem tibi hoc beneficium contulit, perfectissimo modo obtinere studeas, atque adeò omnes functiones Sacerdotales, eâ intentione & accuratione, quem ipsa earundem functionum natura & dignitas requirit, perficere coneris. Statue proin, hâc ipsa in collectione functionum harum naturam & praxin sedulò indagare, & studiosè deinceps adhibere. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Si quotidiana docet experientia, quantò major est hominis cujúsque dignitas, tantò majorem quoque in eo gravitatem, integritatémque morum requiri; quantam à te velut Sacerdote ad summam dignitatem evecto DEUS & Homines, sanctitatem & gravitatem in omnibus tuis actionibus desideraturi sint. Id sanè appositè expressit pius Author l. 4. de imit. Christi c. 5. dum dixit: *Attende tibi, & vide, cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manus Episcopi. Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & alios bona vita exemplum præbere. Eius conversatio non cum Popularibus & communibus hominum viis, sed cum Angelis in cœlo, aut cum perfectis viris in terra.*

Considera II. Quantopere gaudere, & vel hoc ipso etiam ex titulo gratulari tibi debeas ob Sacerdotij ordinem susceptum, eò quòd tam potens tibi per eum stimulus offeratur, ad omnem sanctitatem, virtutúmque altissimarum studium sectandum, ut, quod es professione, actione potiùs, quàm nomine demonstres; ut actio respondeat nomini, & nomen cum operibus incidat, quemadmodum S. Ambrosius hortatur.

Considera III. Quomodo tu hactenus similem sanctitatem obtinere studueris, & sectari deinceps velis, maximè cùm, teste Concilio Tridentino Sess. 22. c. 1. nihil sit, quòd alios magis ad pietatem & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicâ-

runt; cùm enim à rebus sæculi in altiorem locum sublati conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

De primo Sacerdotis officio, sev Missæ sacrificio offerendo.

Præludium I. est, imaginari Christum in Altari Hostiam & Calicem de manu Sacerdotis accipientem, & æterno suo Patri offerentem, cùm verè principalis offerens in Missæ Sacrificio sit ipse Christus, Sacerdotes verò Vicarij & Ministri duntaxat.

Præludium II. Petere gratiam, ut & dignitatem ac fructum hujus Sacrificij ritè cognoscere, & ad illud debita cum reverentia celebrandum convenienter te disponere possis.

Punctum I.

Considera I. Quàm præstans, Deóque gratum sit hoc Sacrificium, cùm & ipsa res oblata, & ipse offerens principalis sit infinitæ dignitatis, ut adeò merito hoc Sacrificium dignitate sua excedere dicatur quæcunque Sacrificia veteris Testamenti, etiam collectivè accepta, & propterea magis Deo placeat, quàm si quis omnes victimas possibiles Deo offerret, aut omnes actus virtutum excogitabiles eliceret; nam, ut rectè dixit Bellarminus l. 1. de Missa. c. 1. Missæ Sacrificium non est opus nostrum, sed Christi; ipse enim est primarius, & sempiternus Sacerdos, qui seipsum per Evchariſtiam Patri obtulit in Sacra Cœna, & quotidie per Ministros suos se offert in Sacrificium.

Considera II. Quàm multiplex ex hoc Sacrificio fructus oriatur, is nempe, quem Thomas Kempensis l. 4. de imit. c. breviter sequentibus verbis indicavit dicens: *Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat* (per holocaustum perfectissimum) *Angelos lætificat* (nam & hi adstant velut mensæ hujus Ministri, teste S. Chrysostomo hom. 3. in epist. ad Ephes.) *Ecclesiam ædificat* (cujus nomine hoc Sacrificium offert, ut eode m placatus Deus ipsam regere & conservare, & augere digne-

ligneturi) *Vivos adjuvat* (utpote pro quibus fructum potiorem hujus Sacrificij plerumque offert) *Defunctis requiem præstat*) cùm ad hujus oblationem animæ illæ perinde ut scintillæ de fornace prosilire ex purgatorio sint visæ) *& sese omnium bonorum participem facit* (propter meritorium, satisfactorium, & impetratorium fructum copiosum sanè ex hoc Sacrificio ipsi obvenientem.

Considera III. Quàm rectè proin Concilium Tridentinum Sess. 22. sic concludat: *Si necessario fatendum est, nullum inter Fideles haberi opus sanctius aut divinius, quàm tremendum hoc Sacrificium, in quo vivens illa hostia, quæ nos Deo Patri reconciliavit, quotidie in altaribus manibus Sacerdotum immolatur, fatendum etiam est, omnem ad hoc diligentiam adhibendam, & omni contentione elaborandum, ut quàm maximâ fieri potest, puritate animi & devotione exteriori perficiatur.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Si Siracides cap. 18. de Oratione dixit: *Ante orationem prepara animam tuam*: & si David totis viribus præparavit impensas domus Domini pro Sacrificiis tantùm corporalibus immolandis deputatæ, quantò majorem præparationem ad hoc Sacrificium omni oratione & Sacrificio Veteris Testamenti infinities perfectius ritè offerendum sit adhibenda; ut adeò meritò S. Chrysostomus hom. in Encæniis dixerit: *Accedentes ad Eucharistiam, ne putetis, quod accipiatis divinum corpus ab homine, sed ex ipsius Seraphin forcipe ignem, quem scilicet Isaias vidit, vos accipere. Cogitate sanguinem illum salutarem, è divino illo & impolluto latere fluere, atque ideo vos omni reverentia ad illum accedentes, labiis illum sanctis excipite.*

Considera II. Qualis præparatio ad hoc Sacrificium dignè offerendum sit adhibenda, duplex videlicet, remota & proxima. Remota consistit 1. In assiduo conatu proficiendi in vitæ puritate & sanctitate. 2. In pijssimo & sublimissimo sensu & devotione erga hoc SS. Sacramentum acquirenda. 3. In congruis gratiæ auxiliis ad hoc SS. Sacramentum sanctè tractandum frequenter implorandis. Proxima consistit, 1. In puritate corporis per jejunium & manuum,

orisque

orisque ablutionem; & animæ munditie per confessionem vel contritionem præviam procuranda. 2. In optimæ intentionis formatione, fervorisque ac propositi sancta sanctè tractandi instauratione. 3. In certis, & ad hunc finem accommodatis precibus devotè recitandis; qualis præ cæteris censeri debet sequens oratio, cui Gregorius XII. indulgentias 50. annorum annexuit: *Ego volo celebrare Missam, & conficere corpus & sanguinem Domini nostri IESV Christi juxta Ritum S. Romanæ Ecclesiæ, ad laudem Omnipotentis DEI, totiusque Curiæ triumphantis; ad utilitatem quoque meam, totiusque Ecclesiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt Orationibus meis in genere & specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ. Amen. Gaudium cum pace, emendationem vitæ, gratiam & consolationem S. Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.*

Considera III. Quàm solida sit hæc præparatio, quàmque adeò à te tantò ferventiùs adhibenda, quantò certiùs tibi constat, juxta mensuram hujus præparationis ipsam tibi Sacramentalem gratiam esse conferendam. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Non satis esse, ut ad tale Sacrificium dignè offerendum ritè te præpares, sed insuper requiri, ut similem diligentiam in ipso SS. Sacrificio offerendo, & gratiis post illud agendis adhibeas. Si enim Ethnici olim ante Sacrificiorum suorum oblationem clamare Præconem jubebant: *age quod agis*; quantò magis idem dicendum erit Sacerdoti hoc divinissimum Sacrificium oblaturo.

Considera II. Quid præcipuè requiratur ad actualem celebrationem, videlicet sequentia tria. 1. Ut pronuntiatio, & quæcunque actio exterior, non minùs ædificationi aliorum, quàm propriæ devotioni serviat. 2. Ut affectus & virtutes in Orationibus Missæ præscriptis studiosè eliciantur. 3. Ut Rubricæ & Cæremoniæ in Missali præscriptæ accuratè observentur, ita ut jure cum Christo post finitam Missam dicere queas: *Consummatum est*? id est, quidquid ad hoc Sacrificium offerendum à Christo vel Ecclesia præscriptum fuit, impletum est.

Con-

Considera III. Qualis gratiarum actio post Sacrificium à te requiratur, scilicet talis, qualis tantum beneficium decet, amplissima, & optimis affectibus plena, quæ quidem sic instituti posset, ut post lotionem manuum, in genua provolutus Christum intra te latentem his aut similibus verbis alloquatis:

O utinam, IESV mi amantissime, sic agere tecum nunc possem, quemadmodum egit tecum Sanctissima Mater tua, aut ullus unquam Sanctorum! sed quoniam id non possum, conabor saltem, quantùm mihi cum divino tuo auxilio licuerit.

Quemadmodum ergo firmissimè credo, te Dominum meum ac DEVM meum verè corporaliter mihi præsentem esse, ita me tibi summâ, quâ possum, demissione subjcio, te adoro, veneror, & omni possibili affectu laudo, & glorifico, gratiásq; ago amplissimas divinæ Maiestati tuæ pro omnibus beneficiis tuæ SS. Humanitati, SS. tuæ Matri, Omnibus Sanctis, omnibus Defunctis & Viventibus, & mihi unquam exhibitis, præcipuè verò pro institutione hujus Venerabilis Sacramenti, pro vocatione ad Sacerdotium, & pro SS. Corpore & Sanguine tuo iterum mihi communicato.

In gratiarum proinde actionem offero tibi DEO meo omnia quidem merita SS. Vitæ, Passionis & Mortis tuæ, & omnium Sanctorum, speciatim verò omnia Sacrificia & communiones unquam peractas, aut peragendas, rogóque supplicter, ut hanc oblationem benigno vultu suscipere, gratámque habere digneris; si enim pretiosius quid haberem, idipsum tibi offerrem; sed gaudeo, quòd nihil pretiosius reperiatur, quàm tu amantissimus Deus meus, quem sicut omnibus rebus creatis longissimè præfero, ita ardentiùs quoque, quàm omnes eas diligo, ideóque summo, quo possum, amoris affectu renuntio omni inprimis peccato, & occasionibus peccandi, & protestor, me millies cum divina gratia moriturum, quàm te Deum meum vel minimo peccato veniali voluntariè offendam. Renuntio quoque concupiscentiæ omnium rerum creatarum, & protestor, me omnium illarum loco te Deum meum habiturum, & ex toto corde dilecturum. Renuntio denique omni judicio & voluntati & amori proprio, eáque perfectissimè tuæ sanctissimæ voluntati & amori subjcio, id

unum

unum suppliciter rogans, ut, quoniam ex me nihil sum scio & possum, tu, sicut velle misericorditer concessisti, ita posse quoque pro tua immensitate largiaris, sed & me, aliosque tam viventes, quàm defunctos tum in sacro hoc, tum aliis tibi, & nunc maximè commendatos non modo in ss. tua vulnera suscipias, verùm etiam ab omni malo custoditos omnium bonorum juxta sanctissimum tuum beneplacitum participes efficias, ut, quem nunc velatum suscepimus, & aliquando videmus in terris, de facie in faciem in cælis videre ibidem mereamur. Quia verò, mi amantissime IESV, placentia scio, ut specialia quæpiam beneficia à te velut omnium bonorum fonte verissimè mihi præsente petam, ideo summa quæ possum, fiducia ac demissione rogo, Concede mihi misericors DEVS &c. perge in oratione S. Thomæ, vel propriis verbis speciales tuas necessitates expone; & si placet, ex Missali vel Diurnali orationem: *Gratias tibi ago omnipotens &c.* subjunge. Hunc ergo tum devotè celebrandi, tum gratias agendi modum aut alium similem quomodo deinceps observare velis, conclude, &, quod semel decreveris, fortiter & constanter exequere. Colloquium ad Christum cum congruis affectibus.

OCCUPATIONES

Per reliquum Tempus.

Reliquum hujus primæ diei tempus in tribus potissimùm functionibus insumetur, quarum prima erit generalis Confessionis scriptio; etsi enim nemo cogi debeat ad similem confessionem faciendam, si tamen ullum tempus in vita idoneum esse, aut incitare potest ad illam faciendam, hoc profectò, quod primam Hostiæ oblationem præcedit, tale esse debet; nunc enim Sacerdoti præcipuè dicitur à Christo quod olim Sacerdotibus Veteris Testamenti dicebatur: *Sanctificati estote, quia ego sanctus sum.* Levit. 11. & illud Isaiæ 52. *Recedite* (à Mundo & Peccatoribus) *recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.* Si enim jam olim Judæorum Pontifici Deut. 18. dicebatur: *Perfectus eris, & absque macula cum Domino Deo tuo.* ideóque Judas Machabæus 1. Macha-

c. 4.

14. *elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Domini.* quantò magis à Sacerdotibus Novi Testamenti sacerdotium incomparabiliter dignius possidentibus exigetur, ut sint sine macula, atque adeò de illis verificabitur, quod Lev. 21. dicitur: *Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes DEO suo*: Cùm ergo ad has maculas tollendas confessio generalis præcipuè conducat, utpote quæ & majori cum sollicitudine indagat peccata, & magis intenso cum dolore eadem detestatur, & cum perfectiori integritate confitetur, facilè apparet, eam saltem ab ultima generali confessione faciendam jure merito suaderi.

Altera occupatio consistit in Examine circa ea puncta, quæ ad conscientiam purificandam maximè conducunt. Hinc

1. Examinabis teipsum, quibus peccatis hactenus magis subjectus fueris, Deúmque ac Proximum offenderis?

2. Quibus Passionibus maximè obnoxius sis, & quomodo deinceps easdem moderari velis.

3. An & quas occasiones extrinsecas habeas, aut habiturus sis ad peccandum; & quomodo easdem declinare velis.

4. Quâ diligentiâ & fructu Examen generale & particulare velut potissima ferè ad peccatorum extirpationem media usurpare soleas.

5. Quomodo Pœnitentiæ Sacramentum ad hunc finem præcipuè institutum usurpare consueveris?

6. Quomodo mortificationi sensuum tam internorum, quàm externorum studueris?

7. Quas pœnitentias seu castigationes corporis, & quo fructu peragere velis, ut dicere possis cum S. Paulo 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.*

8. Quomodo Recollectiones hebdomadarias, menstruas, annuas, quæ & ipsæ non minimum sunt ad conscientiam purificandam medium, deinceps instituere velis.

Hæc, inquam, omnia sic inquire, ut tamen semper memineris, pios affectus doloris, verecundiæ, propositi, petitionis veniæ &c. inserere.

Tertia tandem occupatio erit Lectio libellorum piorum, & ad propositum Scopum præcipuè servientium, quales ex-

empli gratia esse possunt, in primis Libellus de Imitatione Christi, ex quo hodie l. 4. c. 7. de discussione propriæ conscientiæ, & emendationis proposito legi potest. Deinde verò aliquot capita de industria selecta vel ex Ludovico de Ponte to. 4. de perfect. Vel ex Sacerdote Christiano M. Ludovici Abellij, vel Manuali Parochorum P. Caroli Miseri, vel ex mearum Instructionum parte tertia & quarta, in quibus, quidquid ad Sacerdotem requiritur, succinctè & ordinatè proponitur.

DIES SECUNDA.

Tessera.

IN omnibus exhibeamus nos sicut Dei Ministros, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium. 2. Cor. 6.

Meditatio I.

DE SECUNDO SACERDOTIS OFFICIO, SEU HORARVM CANONICARVM DEVOTA RECITATIONE.

Præludium I. est, imaginari S. Davidem cum cythara in manibus, coram Deo flectentem, & dicentem: In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Præludium II. est, petere gratiam, ut dignam de hoc officio æstimationem concipere, & illud, ut oportet, amplecti valeas.

Punctum I.

Considera I. Quòd sit secundum Sacerdotis officium, licet ut sit Mediator & Legatus Ecclesiæ ad Deum; ita enim S. Paulus 2 Cor. 5. insinuavit dicens: *Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro isto ergo Legatione fungimur.* Unde Sacerdos, quemadmodum S. Joannes Chrysostomus ait, *Medius stat inter Deum, & Naturam humanam, advenientia beneficia ad nos deferens, nostras petitiones deferens, & Dominum iratum reconcilians.*

Considera II. Quàm honorifica, summique meriti ad-

manu-

randa sit hæc Legatio, sive primò eum, ad quem velut Legatus mitteris, ipsum scilicet Omnipotentem Deum, consideres: sive Personas, à quibus mitteris, videlicet Ecclesiam Catholicam & Naturam humanam, attendas: sive negotium, ob quod legaris, spectes, nempe laudandum Deum & Sanctos, cósque placandos, atque ad varia dona conferenda, malique avertenda propitios reddendos.

Considera III. Quàm aptum ad hanc Legationem ritè & decenter obeundam adjumentum Ecclesia tibi obtulerit, dum te ad Horas Canonicas persolvendas compellit; cùm enim hæ Horæ ab ipsa Ecclesia, dictante Spiritu sancto sint compositæ, meritò sperari potest, nullâ aliâ ratione meliùs Sacerdotem Legatione sua fungi posse, quàm si has Horas cum debita reverentia & devotione persolvere conabitur. Vide proin, quomodo hactenus hac Legatione functus sis, & deinceps fungi velis, ne, si, quòd absit, eam negligenter, inhonestè, vel tepidè expleveris, in sententiam, quâ dicitur maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, miserabiliter delabaris, ut Consilium Aquisgranense cap. 130. loquitur. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quid requiratur ad hoc Officium ritè persolvendum, eædem scilicet conditiones, quæ à Legato coram Rege, ad quem mittitur, peroraturo observantur, nempe 1. Ut convenientem corporis situm adhibeat, & vel ipsa corporis dispositione Majestatem Regis confiteatur, & revereatur. 2. Ut omnia verba integrè distinctè, & cum debita gravitate proferat. 3. Ut diligenter ad id, quod loquitur, attendat, petitionésque suas cum convenienti ardore proponens, finem legationi suæ præfixum obtinere studeat.

Considera II. Quantò æquius sit, ut tu has conditiones cum potentissimo & supremo Domino ac Deo locuturus observes, atque adeò horas Canonicas cum exteriori & interiori reverentia atque decentia recitare studeas; si enim, ut rectè discurrit Cassianus collat. 23. c. 7. cùm sublimi alicui homini, non dicam pro vita aut salute nostra, sed etiam pro alicujus lucri commodo supplicamus, totam in eum & mentis, & corporis aciem defigentes, de nutu ejus trepida exspe-

ctatione pendemus, quantò magis, cùm illi omnium occul-
torum cognitori supplicamus, intenta atque sollicita orationi-
ne ipsius clementia imploranda est; nec enim exiguam com-
mittit irreverentiam, qui precem Domino fundens, subitò
conspectu ejus quasi ab oculis non videntis, nec audientis im-
probæ cogitationis vanitatem, securus abscesserit; *quid e-
nim est voce psallere, mente autem domum aut forum cir-
cumire, nisi homines fallere, & Deum irridere?* ait Conci-
lium Trevirense secundum.

Considera III. Quomodo has conditiones hactenus obser-
vaveris; an quoad *corpus* reverenter, quoad *vocem* integr
& distinctè, quoad *memoriam attentè*, quoad *intellectu*
prudenter (id est, convenienter ad finem orationis obtine
dum) & quoad *voluntatem* ardenter (id est, congruos af
ctus eliciendo, maximè gratulationis, laudis, amoris, timo
ris & doloris ob peccata commissa, fiduciæ, humilitatis
desiderij rerum cœlestium) horas tuas Canonicas recitas
studueris, aut saltem deinceps studere velis, consilium S. A
gustini sequens in ps. 30. sic loquentis: *Si psalmus orat, ora
re: si gemit, gemere; si gratulatur, gaudere: si sperat, spe
rare: si timet, timere oportet.* Colloquium ad B. Virgine

Punctum III.

Considera I. Quas industrias & media adhibere debe
ad hanc Legationem ritè, decentérque obeundam, nempe
Ut dignam de utilitate & diguitate tantæ Legationis æstim
tionem concipiens, antè, quàm orationem auspiceris D
cum quo locuturus es, summam Majestatem, omnibus
Angelorum præsentiam imagineris, sícque te ad debitam re
verentiam & attentionem excites dicens: *In conspectu An
gelorum psallam tibi, Deus meus, adorabo ad templum sa
ctum, & confitebor nomini tuo.* 2. Ut, sicut Legati omn
Famulos suos foris relinquunt, sed & omnes alias distrac
num occasiones sollicitè vitant; ita & tu curis & affect
tuis dicas cum Christo: *Sedete hic & requiescite, donec
dam illuc & orem*; omnésque sensus tuos, oculos præcip
ab omni curioso aspectu studiosè cohibeas, memor com
nis doctrinæ Ascetarum dicentium, custodiam oculorum d
Matrem devotionis. 3. Ut in amore Dei & Sanctor

scere studeas; cùm enim amantes nihil magis desiderent, etiam ut simul esse, & colloqui queant, totísque viribus repellant omnia impedimenta, quæ tale Colloquium dissolvere & impedire volunt; ita idipsum multò magis de anima Deum sincerè amante cogitandum est.

Considera II. Quàm solida & efficacia sint hæc media, utpote directè ad magnam menti reverentiam & attentionem conciliandam ordinata; quàm item facilia, ut quæ à Sæcularibus Legatis sine omni difficultate observantur.

Considera III. Quomodo tu hactenus easdem observaveris, aut observare deinceps velis, semper in mente habens præclaram S. Cypriani adhortationem serm. de orat. Dom. sic loquentis: *Cùm adstamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio tunc omnis secularis & carnalis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur, quæ autem segnities est, alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris? quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loqueris? quomodo te à Deo audiri postulas, cùm te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis?* Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

De tertio Sacerdotis officio, videlicet administratione Sacramentorum, et verbi divini.

Præludium I. est, imaginari Christum, nunc Verbum Dei prædicantem, nunc Vicos circumeuntem, & varia beneficia corporibus animísque conferentem.

Præludium II. est, petere gratiam, ut tertium hoc Sacerdotis officium ritè cognoscere, & fructuosè administrare possis.

Punctum I.

Considera I. Quòd sit tertium Sacerdotis officium, scilicet Sacramentorum & Verbi Dei, ac doctrinæ Christianæ fructuosa tractatio; hoc enim est, quòd Apostolus 1. Cor. 4. ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

Considera II. Cùm Ecclesiæ Sacramenta, ut Concilium Tridentinum Sess. 7. in proœm. loquitur, sint ea, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, ac proinde ex illis tanquam fontibus hauriendo fit aqua illa viva, quam qui biberit, in æternum non sitiat, sed fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, quanto magnum tibi beneficium à Deo collatum sit, dum te præter alijs Ministrum horum Sacramentorum constituit, tàmque amplam ea administrandi facultatem & occasionem obtulit, ut meritò tibi perinde ac Sponso Cant. 3. applicari possit, dicique, quòd manus tuæ tornatiles aureæ, & plenæ hyacinthis sint Fidelium utilitati dispensandis. An non proinde jure quoque illud S. Pauli l. c. repetatur: *Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

Considera III. Quid fidelitas ista in administrandis Sacramentis à te requirat; nimirum 1. Ut purè, sanctè, & religiosè eadem administres, ne, ut S. Gregorius hom. 17. in pastor. loquitur, similis fias aquæ baptismali, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad cœleste regnum mittit, & ipsa postea in Cloacam descendit. 2. Ut receptos ac approbatos Ecclesiæ ritus sedulò adhibeas, ipsúmque etiam Populum ad ritus hos magnifaciendos, & rectè intelligendos, quantùm necesse est, aut expedit, instruas, & horteris. 3. Ut magna cum promptitudine, & absque ulla suspicione avaritiæ illa administres; hilarem namque datorem, si in illa actione, in hoc sanè diligit Deus. Vide ergo, quomodo istas industrias deinceps observare velis. Colloquium ad II. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quàm magnum iterum beneficium tibi collatum sit, dum Verbi divini Ministrum te constituit Deus, id ex sequentibus S. Augustini in serm. quotid. verbis colligere potes: *Quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei, an Corpus Christi? si vultis respondere, hoc utique dicere debetis, quòd non sit minus Verbum Dei, quàm Corpus Christi, sed ideo non minus reus sit, qui Verbum Dei negligenter audiverit* (vel tractaverit, vel prædicaverit) *quàm ille, qui Corpus Christi in terram negligentia sua cadere permiserit.* S. Cy-

prianus

gianus verò serm. de orat. Domin. ait: *Evangelij præcepta, Patres charissimi, nihil sunt aliud, quàm Magisteria divitiarum, fundamenta ædificanda Spei, firmamenta corroboranda fidei, munimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi cineris, præsidia obtinendæ salutis.*

Considera II. Quomodo hoc Verbum Dei fructuosè tractari & prædicari debeat; scilicet sicut cibus corporeus præparari, & apponi solet (*non enim in solopane vivit homo*, teste Christo Matt. 4. *sed in omni verbo, quod exit de ore Dei*) hinc *sicut per os in alimoniam cibos corporis sumimus, ita per cor ad vivificandam animam escas doctrinæ cœlestis accipimus*, quemadmodum S. Hilarius in ps. 118. loquitur, usque adeò sicut 1. Cibus quoad substantiam bonus, eique, qui sumit, conveniens esse debet, ita materiam seu doctrinam & argumenta Concionis optima, id est, ex S. Scriptura, SS. Patribus, aliisque probatis Authoribus desumpta, & Auditoribus accommodata esse oportet; nam, ut S. Gregorius l. 20. mor. c. 1. rectè pronunciavit, *debet Prædicator perspicere, ne plùs prædicet, quàm ab audiente capi possit; ne, dum parvis sublimia & non profutura prædicat, se magis curet ostendere, quàm Auditoribus prodesse.* 2. Sicut cibus bene excoctus esse debet, ita & concio per accuratum studium bene præparata, ne alioqui verificetur commune proverbium: *Qui ascendit Cathedram sine labore, descendit è Cathedra sine honore*, & plerumque etiam sine fructu in se & Auditoribus reportato. 3. Sicut cibus sale, pipere, aliisque aromatis herbisque bene condiendus est, ita & concio sale discretionis, pipere reprehensionis moderatæ, melle mansuetudinis & charitatis, & herbis exemplorum & similitudinum, & parabolarum idonearum grata Auditoribus reddenda. 4. Sicut cibus in patinis mundis per fideles & sedulos ac mundos Ministros apponendus, ita in concione quoq; verba quidem bona, & vernaculo sermoni congrua; non tamen nimis exquisita aut affectata (nam *prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro verbis, sed pro rebus enumerandis verba sunt instituta*, ut rectè S. Prosper l. 3. de vit. contr. c. ult. advertit; & ideo S. Paulus 1. Cor. 2. sermonem suum & prædicationem non inpersuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus consiste-

re dixit) per fidelem memoriam, & per gratam vocis & actionis moderationem proponi.

Considera III. Quæ media adhibere debeas ad Verbum DEI fideliter & fructuosè administrandum, videlicet 1. *Orationis studium*: nam, ut S. Chrysostomus hom. 3. de incomprehen. natur. div. sapienter dixit, *nihil aut parùm fructus capi ex homilia potest, nisi oratio adjungatur.* Cujus veritatis rationem reddens S. Bernardus ep. 101. *Nunc*, ait, *manent tria hæc, Verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio, ea namque operi & voci gratiam & efficaciam promeretur.* Hinc Apostoli Act. c. 6. ubi alios pro externis negotiis constituerunt, dicebant: *Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* 2. *Sedula meditatio*: *sine enim thus*, inquit S. Augustinus in spec. peccat. *non redolet, nisi ponatur in igne; nec virtus sinapis sentitur, nisi conteratur in lapide, ita nulla S. Scripturæ sententia vim suam declarat, nisi cocta in corde.* hinc S. Isidorus l. 1. de summo bono ait, *quantò magis quisque in sacris eloquiis assiduus fuerit, tanto ex eis uberiorem intelligentiam capit.* 3. *Conscientia puritas, & vita exemplaris*; quid enim lingua aurea, & cor ferreum? certè cujus vita despicitur, restat, ut etiam prædicatio contemnatur; *Vt ergo prædicandi veritas servetur, vivendi altitudo teneatur*, ut rectè S. Gregorius ho. 11. in Ezech. dixit: nam *lucere tantùm, vanum est*, teste S. Bernardo, *tantùm ardere, parùm: ardere & lucere perfectum.* Vide ergo, quomodo hæc tria deinceps observare velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quàm præclarum quoque censeri debeat Catechismi docendi munus, utpote per quod summa in triumphantem & militantem Ecclesiam fructus redundat; cum enim solida instructio in doctrina Christiana sit fundamentum Christianæ perfectionis, ab hac verò gloria Dei & Sanctorum, augmentum & decus Ecclesiæ, salus denique reipublicæ, & cujusvis animæ particularis dependeat, facilè apparet, quàm magna ex hoc munere ritè obito utilitas sperari possit, quámque adeò rectè Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis dixerit, nescire se, an ullo alio munere, quàm in hoc utilius & honestius occupari quis possit. Con-

Considera II. Quomodo hoc officium utiliter obire possis, videlicet I. ut materiam valde bene præpares, & parvulis accommodes illud S. Pauli 1. Cor. 3. usurpans: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* solidæ & altioris doctrinæ; *nondum enim poteratis* capere & concoquere. II. Ut bene valde, id est, cum simplicitate & mansuetudine proponas doctrinas, quas præparavisti; ut dicere cum S. Paulo possis: *Omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaciam.* III. Ut parvulos ad aptam receptionem doctrinæ Catecheticæ disponere coneris, efficiendo, ut modesti, attenti, & alacres sint ad excipienda & retinenda ea, quæ dicuntur, quod quidem facilius bonis verbis & munusculis, laudibusque, quàm asperis increpationibus & minis obtinebit.

Considera III. Quæ media adhibere debeas ad hoc officium alacriter & fructuosè obeundum; videlicet I. Ut magnam de tali munere æstimationem concipias, frequenter perpendendo, quàm magnam Ecclesiæ & reipublicæ Christianæ utilitatem afferre, tibique grandem coronam præparare queas. II. Si Christi ad Apostolos dicentis: *Sinite parvulos venire ad me*: & aliorum zelosissimorum virorum cum magna alacritate hoc munus obeuntium exempla frequenter ob oculos ponas. III. Si magna cum patientia fructum exspectes salubrem S. Jacobi c. 5. doctrinam altè pectori inscribens: *Ecce Agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum: Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra.* Vide ergo, quàm efficacia & solida sint hæc media, & quomodo ea deinceps adhibere velis. Colloquium ad Christum.

OCCUPATIONES

Per reliquum hujus diei tempus.

I. Et hodie iterum tres occupationes, præter binas meditationes, magno cum fervore suscipiendas suadeo. Prima est, ut Ordinem tibi diurnum conficias, quem per totam vitam, quantùm fieri potest, studiosè observes. Ad hunc autem ritè faciendum tria præcipuè observabis. I. Magnam

de tempore æstimationem concipies; quem in Finem tibi gemina S. Bernardini fer. 4. post Dom. quadr. c. 4. sententia serviet: *Vide, peccator, temporis pretiositatem, quamdiu tempore potest homo lucrari veniam, gratiam, & gloriam.* Et iterum: *Tempus tantùm valet, quantùm Deus; quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus.* Unde ut redimas præteritum tempus, & futurum bene colloces, sequere exemplum S. Bernardi S. 20. in Cantica sic Deum alloquentis: *De mea misera vita sume obsecro residuum annorum meorum; pro his verò, quos vivendo perdidi, qua perditè vixi, cor contritum & humiliatum non despicias.* II. Ut certa tibi somni & quietis tempora definias, & studiosè observes; alioquin enim pigritia & torpor magnam tibi, non temporis duntaxat, sed vitæ etiam partem auferet, & ad reliquas diei actiones non parùm ineptum efficient. III. Ut firmiter tibi persuadeas, vitam nostram mercatum esse, cujus dies cùm abierit, tempus non erit emendi, quæ relinquitur; itaque consilium Siracidis Eccl. c. 14. sequere: *Ne defraudaris à die bono; & particula boni doni non te præterat.* Dic proinde cum S. Chrysologo S. 12. *Vivamus Deo paulum, qui sæculo viximus totum: dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies: tempus est, ut aliquandò prævideas domui tuæ.*

II. Secunda occupatio est, ut singulas actiones ad Deum & teipsum pertinentes (nam eas, quæ ad proximum spectant, pro sequenti die servabis) percurras, &, quem deinceps in illis peragendis modum & praxin observare velis, studiosè indages, & definias.

I. Itaque considera quomodo te in actionibus spiritualibus, puta Meditatione, SS. Missæ, recitatione horarum Canonicarum, lectione spirituali, Examinibus conscientiæ, exercere; quas preces manè & vesperi ante & post meridiem, ad pulsum ternum Salutationis Angelicæ, ad sonitum horæ vel interdiu recitare; quos itē Sanctos in speciales Patronos eligere, quibúsve obsequijs eos venerari, & demereri velis.

II. Quomodo intentionem bonis operibus, solam scilicet gloriam divinam & beneplacitum præfigere, & quoties, ac quâ ratione illam repetere velis.

III. Quomodo virtutē Sacerdoti convenientiū, præcipuè fi-

dei

tei, spei, charitatis, religionis, humilitatis, mortificatiõis, castitatis, modestiæ, patientiæ, & obediẽtiæ studio te impendere velis, & quas occasiones habeas ad illas exercendas.

IV. Quomodo te in mensa gerere? quas recreationes, quomodo, & cum quibus usurpare velis.

V. Cui studio te impendere, aut quâ aliâ occupatione sive corporali, sive spirituali tempus, quod tibi ab actionibus reliquis supereſt, impendere velis, ut contra otium velut omnium malorum originem te potenter tuearis. Quæ omnia, cùm maturè consideraveris, &, quæ optima tibi videbuntur, elegeris, id unum supereſſe existima, ut clavum constantiæ, quo omnia tua decreta & proposita confirmentur, & stabiliantur, adjicias.

III. Tertia occupatio erit sacra iterum lectio, inprimis quidem capitis 25. ex lib. 1. de imitatione Christi; deinde verò unius vel plurium paginarum ex alio libro ascetico, quem vel ipse tibi velut proposito scopo convenientissimum elegisti, vel ab alio electum accepisti.

DIES TERTIA.

Tessera.

REdde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Ps. 50.

Meditatio I.

DE TRIPLICI ZELO SACERDOTIS.

Præludium I. Est, imaginari Apostolos in cœnaculo Jerosolymitano sedentes, & virtute ex alto, id est, Spiritu Sancto in specie ignis apparente instructos; per hunc quippe ignem, qui & sursum flammas ejaculatur, & non in seipso duntaxat calidissimus est, sed alios etiam calefacit, rectè triplex Zelus, gloriæ Dei, propriæ & alienæ salutis indicatur.

Præludium II. Est, petere gratiam, ut naturam & motiva hujus Zeli bene cognoscere, & eundem vehementer in corde tuo accendere possis.

Punctum I.

Considera I. Quid sit zelus gloriæ divinæ, nempe nihil aliud, quàm vehemens desiderium, ut Deus ab hominibus magis

magis & magis semper cognoscatur, per omnia æstimetur, & ametur; cùm enim gloria in genere nihil aliud sit, quam *clara cum laude notitia*, meritò, si gloriam Dei verè desideras, optare quoque debes, ut infinita ejus bonitas cognoscatur, & quod inde per se sequitur, cognoscentes in ejus admirationem, laudem, amorem rapiantur.

Considera II. Quomodo constitutus debeat esse hic Zelus, quòd scilicet tres debeat habere conditiones. Et I. quidem esse *universalis*, id est, ad universum vitæ statum, & omnes ac singulas vitæ actiones se extendens, sicque doctrina S. Pauli observetur. 1. Cor. 10. monentis: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; Ut in omnibus glorificetur Deus. II. *Purissimus*, id est, nullam aliam secundariam intentionem cujusvis alterius boni, puta delectationis, honoris, beatitudinis, admixtam habens, quam non propter gloriam divinam ultimatè intentam elicias, hic enim verè locum habet illud S. Augustini: *Minùs te*: (& gloriam tuam) *amat, Domine, qui prater te* (& gloriam tuam) *aliquid amat, quod propter te* (& gloriam tuam) *non amat*. III. *Liberalissimus*, id est, non simpliciter gloriam Dei, sed *majorem* semper affectans atque adeò ea semper media eligens, quæ ad majorem Dei gloriam sive *intensivè* per opera majorem difficultatem continentia, & intensiorem amorem declarantia (qualia sunt generosus contemptus honorum & voluptatum, nec non magnanima fortitudo inter adversa) sive *extensivè*, incitando scilicet, & juvando alios, ut simili modo gloriam Dei quærant, quo modo S. Ignatius omnia ad majorem gloriam operari solebat.

Considera III. Motiva, quæ ad majorem Dei gloriam quærendam impellere te possint. Primum est, quòd finis iste adeò sit excellens, ut ipse Deus & Christus omnia, quæ operati sunt, creationem scilicet & recreationem, seu redemptionem humani generis, Angelorum, & totius mundi non aliam ob causam, quàm propter gloriam suam fecerit; *universa* enim propter se operatus est Dominus, teste S. Scriptura prov. 16. & ipse Christus Jo. 8. de se fassus est, se non propriam, sed Patris cœlestis gloriam quærere; unde meritò de tali intentione exclamans S. Bernardus S. de dilig. Deo,

Quæ

l amator Sanctus, inquit, *& castus! ô amor dulcis & suavis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nihil admixtum relinquitur, quo totum divinum est, quod sentitur: sic affici, Deificari est.* Secundum est, quòd infinita beneficia Dei exigant, ut, sicut ille bonum nostrum tam sollicitè quæsivit, & sic amorem erga nos suum demonstravit; ita nos quoque amorem mutuum erga ipsum ostendere, atque adeò bonum ipsius pro viribus procuremus; bonum autem Deus, qui seipso plenus, bonorum nostrorum non eget, aliud participare non possit, quàm extrinsecum hoc, id est, gloriam suam: quæ certè singularis est naturæ humanæ dignitas, ut ad idem bonum Deo tribuendum efficaciter concurrat, quod sibi Deus tam admirandis modis in hac vita procurat, & in æternum à suis accipiet. Tertium est, quòd ex hoc bono, ejúsque intentione omnia nostra bona promanent; sicut namque ex eo, quòd Deus hoc sibi bonum, id est, gloriam suam velit, nobis & naturam, & gratiam & gloriam suam communicat; ita nos ex eo, quod ei bonum hoc volumus, bona omnia necessaria naturæ & gratiæ, & gloriæ efficaciter comparamus, etsi de nobis non cogitemus. Vide ergo, quàm efficacia sint hæc motiva, & quomodo tu deinceps excitare in te ardentissimum divinæ gloriæ Zelum velis. Colloquium ad Christum.

Punctum II.

Considera I. Quid secundus Zelus, propriæ scilicet salutis à te requirat, nempe ut omne verum malùm, quale est unicum & solùm peccatum à te efficaciter avertas; & omne verum bonum, quale est sola & unica virtus Deum velut summum bonum possidens, pari efficacia & sollicitudine tibi procures, uti Psalmista ps. 33. indicavit dicens: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? declina a malo, & fac bonum.*

Considera II. Quales conditiones requirat hic Zelus, videlicet sequentes tres. I. Ut sit *appretiativus*, id est, suam salutem omni alienæ præferens; *quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur*, inquit Christus Matt. 16. II. Ut sit *prudens*,

dens, id est, apta media ad finem sibi propositum eligens, mercatorum more, qui varias industrias excogitant, adhibéntque, ad merces & lucra optima facienda. III. Ut sit *efficax*, non in puris desiderijs consistens, sed manum operi admovens, illúdque Siracidis Eccl. c. 9. semper in mente habens: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare.*

Considera III. Quam ob causam hunc Zelum speciali studio in te suscitare debeas, nempe quia animam tuam unicam habes, atque adeò si hanc perdas, omnia perdidisti, & miser, & miserabilis es. Hinc Ecclesiasticus tam sollicitè monet c. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo:* & S. David ps. 118. fassus est: *anima mea in manibus meis semper*, quia ut bene notat S. Bernardus, *sicut, quod in manibus tenemus, non facilè obliviscimur, sic nunquam oblivisci debemus negotium animarum nostrarum, & illa cura vigeat principaliter in cordibus nostris.* Vide ergo, quomodo hunc Zelum hactenus foveris, aut deinceps saltem excitare velis, memorandam D. Eucherij in epist. parœn. sententiam in mente semper habens: *Primæ apud nos curæ, quæ prima habetur, obtineat, summásque sibi sollicitudinis partes salus, quæ sola est, vendicet; hæc nos occupet in præsidium ac tutelam suæ, jam non planè prima, sed sola. Omnia vincat ea studia, quæ præcedit omnia.* Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quid tertius Zelus salutis alienæ à te exigat, scilicet ut eandem sicut tuam procures, atque adeò præter ad peccatorum fugam, & bonorum operum seu virtutum exercitium alios quoque impellas curæ tuæ commissos; hoc enim mandatum illud Dei: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum:*

Considera II. Quas conditiones à te hîc Zelus tuus exigat, videlicet sequentes tres. I. Ut sit *Ordinatus*, id est, ut Ordo, quem Deus in servando proximo observari voluit, diligenter observetur; nempe ut non alia ex causa, quàm propter Deum diligatur; nec ita salutis alienæ cura suscipiatur, ut propria detrimentum accipiat. II. Ut *Universalis* sit, id est, ad pauperes æquè ac divites, deformes æquè ac for-

ſos, nobiles æquè ac ignobiles ſe extendens, cùm imago ac voluntas Dei ad talem dilectionem impellens in omnibus æqualiter eluceat. III. Ut *ſuavis & manſuetus* ſit; ſic etiam Chriſtus Matt. 11. docuit dicens: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*, non proprijs duntaxat, ſed alienis etiam curæ veſtræ commiſſis, nam ut S. Chryſoſtomus ho. de manſuet. rectè dixit, *nihil ita conciliat Domino Familiares, ut quod videant illum tranquillũ ſe offerre ac manſuetudine jucundum, nam & talem majoris faciunt, habentque pro Patre & non Domino. Gratus eſt videntibus, gratus & his, quibus tantùm nomine notus eſt. Neque facilè ullum invenies, qui audiens laudari hominem manſuetum, illum videre, & oſculari non deſideret, & non habeat in aliquanta lucri parte, ejus majus amicitia poſſe frui.*

Conſidera III. Quibus motivis excitare hunc Zelum debeas, videlicet I. exemplo Chriſti in hunc mundum deſcendentis, ut animarum ſalutem quæreret, ſuóque exemplo ad ſimilem Zelum accenderet. Hinc tibi pariter, ac S. Petro olim dixerat, dicit: *Si diligis me, paſce oves meas.* II. *Dignitate animarum*: nam, ut S. Gregorius Nyſſenus ait hom. 4. in Eccl. *qui humanam novit naturam, nec totum quidem mundum dixit ſatis juſtum pretium, quod detur pro anima hominis*; hinc alter S. Gregorius, Magnus videlicet l. 1. hom. 12. in Ezech. ait, *Nullum omnipotenti Deo tale eſſe ſacrificium, quale eſt Zelus animarũ* S. Chryſoſtomus verò ho. 3. in 1. Corinth. etſi, inquit, *immenſas pecunias pauperibus eroges, plùs tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* III. *Propriæ ſalutis ſtudio*: ad quam certiùs & abundantiùs obtinendam efficaciſſimum medium eſt hic Zelus, nam, ut S. Chryſoſtomus ſapienter pronunciavit ho. 3. ſuper Gen. *hoc noſtræ ſalutis argumentum erit, & occaſio, ſi non ſolùm pro nobis ipſis ſolliciti, ſed & proximo utiles fuerimus, ipſum ad viam veritatis manuducentes.* Imò non communis duntaxat, ſed magnæ etiam gloriæ argumentum eſſe hunc Zelum, Chriſtus ipſe Matt. 5. teſtatus eſt, dum dixit: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Vide ergo, quomodo per hæc motiva hunc quoque Zelum in te excitare, & conſtanter fovere velis. Colloquium ad Chriſtum.

Medi-

MEDITATIO II.

DE MEDIIS AD SACERDOTIS OFFICIVM RITE OBEVNDVM NECESSARIIS.

Præludium I. Est, imaginari, te coram Christo in oratione constitutum, &, ut media tibi ad vocationis executionem necessaria suggerere dignetur, rogantem, loricam seu ut triplex circa pectus accipere, quo contra omnia impedimenta, quæ te à dicta executione impedire possunt, efficaciter removeas.

Præludium II. Est, petere gratiam, ut talia remedia clarè cognoscere, & constanter adhibere valeas.

Punctum I.

Considera I. Quod sit primum medium ad Sacerdotis officium ritè obeundum, scilicet *studium orationis continuum*, quod in tribus potissimùm occasionibus ostendi debet. I. In Exercitijs spiritualibus quotidianis, puta SS. Missæ sacrificio, officio divino, lectione spirituali, Examine conscientiæ &c. cum omni diligentia obeundis. II. In recursu ad Deum, quando vel negotium aliquod suscipiendum vel aliquid pro se, alijsve impetrandum; vel periculum aliquod vel tribulatio superanda est. III. In reliquis suis functionibus, ut scilicet & in his mentem ad Deum attollere, eásque ad Deum referre assuescat, quam quidem consuetudinem S. Ignatius hominibus piè occupatis magi sexpedium & necessariam dicebat esse, ideóque vehementer suis operarijs commendabat.

Considera II. Quàm necessarium sit hoc medium ob triplicem causam. I. Ut gratiam pro functionibus necessarium obtineat, cùm omne datum optimum & donum perfectum desursum sit descendens à Patre luminum, teste S. Jacobo, ideóque, ut rectè S. Augustinus l. 4. de doctr. Christ. c. 15. dixit, munus suum ut præstet, magis sit opus orationis, quam Oratoris facultate. II. Ut efficaciam obtineat suis functionibus, cùm ipse quidem plantare & rigare possit, incrementum autem dare solius Dei sit; unde præclare S. Bernardus

ep. 101.

p. 101. *nunc autem*, inquit, *manent tria hæc, Verbum, exemplum, oratio, major autem horum oratio, ea namque operi & loci efficaciam & gratiam promeretur.* III. Ob propriam consolationem, ut scilicet in se experiatur, quod Christus Matt. 11. dixit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; ideóque & ipse cum S. David. ps. 118. dicere possit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.*

Considera III. Quàm efficaces sint hæ rationes, quámque adeò meritò impellere te debeant, ad continuum orationis studium modo suprà dicto exercendum; cùm verè Sacerdoti convenire videatur illud S. Augustini ho. 40. *rectè novit vivere* (& Sacerdotis officium exercere) *qui rectè novit orare.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quòd secundum medium ad finem suprà dictum meritò *mortificationis studium continuum* censeatur in eo præcipuè consistens, ut omnem inprimis inordinatam concupiscentiam cujuscunque rei inordinatæ sollicitè devitet (quæ mortificatio *interna* vocatur) & ipsam etiam carnem jejunijs, cilicijs, flagellis aliísque similibus asperitatibus sponte susceptis, aut à Deo immissis castiget, quæ mortificatio *externa* appellatur.

Considera II. Quòd & hoc medium triplicem ob causam summopere sit necessarium Sacerdoti. I. Ut *fructuosè* munere suo fungatur; cùm, sicut palmes non bene putatus paùm fructificat, ita Sacerdos quoque non bene mortificatus exiguum fructum afferat; unde meritò Christus Luc. 14. dixit Apostolis: *Qui non renuntiat omnibus, non potest meus esse discipulus.* Et S. Paulus ad Galat. 5. pronuntiavit: *Qui Christi sunt* (id est, eidem tanquam viti veræ uniti) *carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis.* II. Ut *secure* fungatur, suo munere; cùm *in medio civitatum, nationúmve pravæ, feræ illæ* (id est passionis animi) *multò plùs habeant ad delinquendum, exorbitandúmve ab æquo nutrimenti*, ut S. Chrysostomus l. de Sacerd. ostendit, atque adeò freno mortificationis vehementer opus habeant. III. Ut *liberè* eodem munere fungatur, cùm nemo alium efficaciter corri-

corrigere & curare possit, nisi ipse à vitijs & inordinatis concupiscentijs sit liber, sed meritò commune illud adagium: *Medice, cura te ipsum*: audire debeat.

Considera III. Quàm & hæ rationes efficaces admodum sint ad mortificationis studium continuum tibi persuadendum; & quomodo tu hactenus illud susceperis, & suscipere deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Puuctum III.

Considera I. Quòd tertium medium ad Sacerdotis officium ritè obeundum meritò *studium humilitatis perpetuum* reputetur; quæ humilitas in eo consistit ut verè ex animo se despiciat, & servum inutilem, id est, ex se nihil efficere potentem existimet; atque ab alijs etiam despici potiùs, & injurijs magis affici, quàm honorari cupiat, sicque Christo Redemptori suo similior evadat; nihil autem unquam gloriæ de quocunque opere & effectu adscribat, sed illud Davidicum semper in mente habeat: *non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Considera II. Quàm multi & præclari fructus per hoc humilitatis studium tibi obventuri sint, nam I. ad officium & functiones tuas optimè te disponet, cum humilia & contemptibilia eligere soleat Deus, ut confundat fortia. II. Mirè te roborabit adversus respectus humanos, qui non paucis impediunt fructum animarum, cùm ut sic dicturus sit cum S. Paulo ad Gal. 1. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* III. Post functiones potenter te contra vanam gloriam defendet; uti satis clarè S. Augustinus innuere dum dixit: *nisi humilitas omnia, quæcunque benefacimus & præcesserit, & comitetur, & subsecuta fuerit, jam nos de facto aliquo bono gaudentibus totum de manu extorquet superbia.*

Considera III. Quàm pretiosi sint hi fructus, dignique ut propter eos singulare hujus virtutis desiderium, studium que suscipias; & quomodo id suscipere velis. Colloquium ad Christum.

OCCUPATIONES.

Reliquæ Diei.

I. Præter assignatas duas meditationes, tres alias occupationes suscipies, quarum prima est, ut consideres, quomodo erga varias Personas te gerere debeas.

Et I. quidem erga superiores tuos, puta Episcopum, Vicarium generalem, Decanum tuum, quibus meritò summam *reverentiam*, ut Dei Vicarijs: *charitatem* ingenuam, ut Patribus Spiritualibus: & *obedientiam* promptissimam, ut optimis Pastoribus debes.

II. Erga Parochianos tuos, quos *amore universali* amplecti (id est, pauperum æquè ac ignobilium, quàm divitum & nobilium curam æqualem gerere) *Zelo prudente* (id est, ad finem intentum, nempe lucrum animarum, idoneo) *pascere* (videlicet verbum Dei prædicare, Sacramenta administrare, & in rebus ad fidem & statum pertinentibus instruere) & *vitâ* deniq; *exemplari* ædificare, seu ad perfectionem Christianam excitare debes.

III. Erga *Domesticos*, quibus necessaria alimenta submistrare, onera servitij moderatè imponere, errores suaviter corrigere, & debitam mercedem fideliter solvere oportet.

IV. Erga *vicinos, aliósque non subjectos*, cum quibus oportet *pacificè vivere*; (id est, nullum quacunque ratione lædere) *promptè*, ubi necessitas aut charitas exigit, *subvenire & honorem* cujusque statui convenientem *exhibere*.

V. Erga *Hospites & peregrinos*, quos *benevolè excipere, liberaliter tractare, & jucundè cum ijs conversari* debes.

VI. Erga Pauperes, quos *suaviter* alloqui, ijsdem *sincerè compati*, & pro modulo *subvenire decet*.

VII. Erga Defunctos, quibus crebram recordationem, teneram commiserationem, celerem & copiosam subventionem impendere debes. Vide ergo, quomodo hæc omnia hactenus præstiteris, & præstare deinceps velis.

II. Secunda occupatio consistet in specialibus officijs seu functionibus ad Proximum pertinentibus considerandis, quomodo scilicet ritè & fructuosè obiri debeant.

I. Itaque considera, quid in SS. Eucharistia, Sacramento illo pretioso, admirando, salutifero, & omni suavitate repleto, in

to, in quo Christus Dominus divitias sui amoris erga hom-
nes effudit, memoriam faciens suorum mirabilium, ut Co-
cilium Tridentinum sess. 13. c. 2. loquitur, administra-
observare debeas, videlicet, ut I. illud in Ecclesia conv-
enter & decenter asservari cures. II. Ut Fidelibus rit-
spositis promptè & reverenter illud ministres. III. Ut
dignis ejusdem participationem constanter deneges; ca-
que in finem memorandam S. Chrysostomi ho. 88. in M-
sententiam in mente habeas, quâ sic loquitur: *Ad vos, q-
nistrantes, sermonem convertere necessarium est, ut m-
eum studio hæc dona distribuatis: non parva etenim ma-
net vobis ultio, si quemquam ullius culpa conscium, h-
mensæ participem esse concedatis: sanguis ejus de ma-
vestris exquiretur. Sive quis Dux militiæ sit sive Præs-
sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accu-
prohibe, majorem illo potestatem habes. Propterea Deus D-
tali insignivit honore, ut talia discernatis: hæc vestra
gnitas, hæc securitas, hæc omnis corona, non ut alium
splendidam tunicam circumeatis induti.*

II. Quid in Sacramento Baptismi observari oporteat, v-
delicet I. Ut quoniam hoc Sacramentum est janua ad Ec-
siam, ipsámque æternam vitam, nullus infans aut ad-
absque hoc Sacramento decedere ex hac vita finatur. II
Cæremoniæ in Rituali præscriptæ accuratè observentur, n-
si necessitas aliud suadeat. III. Ut Parochiani, ac præs-
obstetrices tam de necessitate hujus Sacramenti, quam m-
illud administrandi bene informentur, ideóque in co-
nibus occasio sumatur talia explicandi.

III. Quid in administratione Sacramenti Pœnitentiæ ob-
vare debeas; videlicet ut I. memineris te *Judicis* officiũ in h-
Sacramento exercere, atque adeò studiosè procures, ut o-
nia, quæ ad legitimam absolutionem, sive ex parte Con-
fatij, sive ex parte pœnitentis requiruntur, accuratè præs-
tur. 2. Ut *Medicum* quoque Pœnitentis esse te memine-
ideóque non morbos duntaxat animæ, id est, peccata to-
sed salutaria etiã contra relapsum remedia præscribas. 3. U-
Doctorem etiam pœnitentis esse te memineris; idcóque m-
in ijs, quæ ad Sacramentum hoc ritè suscipiendum pertine-
tum in alijs capitibus ad statum cujusque spectantibus sol-
instruere illum studeas. IV. Q-

IV. Quid in Sacramento extremæ Unctionis obſervare debeas, videlicet 1. Ut, quantum erit in te, neminem adultum & capacem ſine hoc Sacramento diſcedere finas; nam, ut ſapienter Epiſcopus Tritarienſis in direct. Eccl. diſc. ait, quò magis langueſcit humanæ infirmitatis virtus, & unusquiſque moriens ad ignotas ſibi futuri ſæculi vias ingredientis, ob peccatorum ſuorum conſcientiam, & abyſſum judiciorum Dei magis timet, magiſque horret, eò magis ſollicitum eſſe debet Paſtorum & Sacerdotum charitas, ut Chriſtianus quilibet in extremo illo agone contra omnes ſathanæ inſultus bene armatus ſit, & in ſpem miſericordiæ divinæ bene erectus. 2. Ut non eſſentialia duntaxat hujus Sacramenti, ſed ipſos etiam ritus in Rituali præſcriptos ſtudiosè obſerves. 3. Ut de utilitate hujus Sacramenti bene Fideles edoceas, vanámque illam perſuaſionem, quâ perſuadent ſibi, perceptionem hujus Sacramenti eſſe accelerationem ad mortem, efficaciter eripere ſtudeas.

V. Quid in *Sacramento Matrimonij* adminiſtrando ſit obſervandum, ſcilicet 1. Ut, quò plures ob pravitatem hominum irrepſerunt abuſus, eò diligentior cura adhibeatur, ut omnia, quæ ſive ſacri Canones, ſive Ritualia circa hoc Sacramentum præſcribunt, accuratè obſerventur. 2. Ut diligenter Parochianos tuos inſtruas, quâ intentione, reverentiâ, ac puritate hoc Sacramentum ſuſcipere debeant. 3. Ut, ubi caſus matrimonialis occurrerint, diligenter eos examines, nec tibi ſoli fidens, alios etiam in conſilium advoces.

VI. Quid in *Verbi divini prædicatione* obſervandum ſit, videlicet 1. Ut materia ſit ſelecta, & auditoribus bene accommodata. 2. Ut ipſa quoque diſpoſitio & elocutio non obiter & perfunctoriè, ſed magno ſtudio & labore perfecta, ne alioqui, ſicut ſine labore aſcendis Cathedram, ita ſine honore deſcendas. 3. Ut finis præcipuus Concionis, qui eſt docere & movere, ob oculos ſemper habeatur, atque adeò ad eundem acquirendum omnes vires convertantur, & ipſe etiam populus modum utiliter audiendi verbum divinum doceatur.

VII. Quid in *Catecheſi* tradenda obſervandum ſit, videlicet, 1. Ut hoc munus unum ex præcipuis eſſe tibi perſuadeas, ideóque diebus præſcriptis magnâ cum diligentiâ &

alacritate obeas. 2. Ut varios modos excogites, quibus doctrinæ Catecheticæ instillari & inculcari possint. 3. Ut in ipsis etiam Concionibus apud Rusticos, vel alios plebeios habendis nonnunquam doctrinas ejusmodi Catecheticas immisceas, atque ad illas liberis instillandas Parentes hortetis.

VIII. *Quid in Ægrorum visitatione observandum sit*, videlicet I. Ut diligenter, cùm charitas aut necessitas suadet, visitentur. 2. Ut ad dolores & molestias infirmitatis æquo animo tolerandas efficaciter excitentur. 3. Ut ad Sacramentorum susceptionem, aliáque officia ad mortis articulum pertinentia ritè & alacriter præstanda disponantur.

IX. Denique, quid in conversatione privata cum hominibus sanis observandum sit, scilicet 1. Ut *rara* sit, ne cum in multiloquio non desit peccatum, experiaris, quod nonnemo conquestus est: *Quoties inter homines fui, minor homo redij.* 2. Ut *sanata* sit, id est, bono fine suscepta, & ad sanctatem vitæ persuadendam, remotè saltem ordinata. 3. Ut sit *suavis* simul & *gravis*, hæc enim & gratam præ cæteris & efficacem faciunt conversationem.

III. Tertia tandem occupatio iterum lectio spiritualis erit, tum libri ascetici præscripti; tum ex libello de imitatione cap. 10. l. 4. ut ex illius lectione ad sacrum quotidie deinceps legendum accendaris. Proderit etiam pro corona de hujus recollectionis triduanæ breviter se reflectere, & in compendium quasi redigere potiora proposita & decreta, quæ fecisti hoc triduo, & pro ijsdem debitas Deo grates persolvere, ac gratiam ad eorum executionem necessariam effligitare.

TERTIUM EXEMPLAR
TRIDUANÆ RECOLLECTIONIS
Pro ijs, qui post curam Animarum aliquamdiu exercitam recolligere se desiderant.

QUantopere hæc recollectio necessaria sit ijs, qui cum Animarum susceperunt, Servator ipse Marc. 6. indicavit, dum ad Apostolos suos velut primos Pastores animarum dixit: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pau-*

uxillum. Quis verò tali recollectioni ſcopus præfixus eſſe debeat, ſat clarè Deus Oſeæ c. 2. inſinuavit, dum de anima peccatrice poſt amatores eunte, & Dei obliviſcente dixit: *propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*; his námque verbis quid aliud ſignificare voluit, niſi quòd, quemadmodum perfectio Chriſtiana in dilectione Dei conſiſtit, dilectio verò à corde originem trahit, ita potiſſima hominis cura in eo conſiſtere debeat, ut cor ipſius rectè ſe habeat, id eſt, omnem ſuum amorem in Deum, propter quem creatus eſt, transferat; hinc juxta Pſalmiſtam Pſ. 32. figillatim Deus fecit corda eorum, id eſt, cuneaſiguta & ſitu creavit, ut ex ipſa diſpoſitione moneretur homo, quòd cor ipſius ad ipſum diligendum factum ſit; hinc enim 1. Superiori ſua parte, quæ aperta eſt, cœlum reſpicit, ut intelligat homo, nemini per amorem cor aperturneſſe debere, niſi ſoli Deo, nam, ut bene pius Author l. 2. c. 7. dixit, *dilectus tuus talis eſt naturæ, ut alienum non velit admittere, ſed ſolus vult cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio throno poſſidere.* Ob eundē finem etiam: 2. In inferiori parte clauſum & acuminatum eſt, ut cognoſcat homo, ſe terram & terreſtria tantùm in puncto quodam attingere debere, quantùm ſcilicet præcisè ad finem ſuum ultimum obtinendum neceſſarium eſt, ut ſic cum veritate de eo dici poſſit, quod Apoſtolus 1. Cor. c. 7. dixit, quòd ſcilicet utatur hoc mundo tanquam non utatur. Sed & 3. triangulari cum figura creavit, ut, quemadmodum vas triangulare à nullo globo, ſed ſolâ ſubſtantiâ triangulari impleri poteſt, ita certò quoque ſibi perſuadeat homo, ſe, etiamſi totum mundum in cor ſuum admitteret, ſatiari non poſſe, ſed à ſola trinitate hoc præſtari debere. Præcipuè verò 4. duos motus ſyſtole & diaſtole vocatos, per quos putridus aër expellitur, & recens attrahitur, eidem cordi indidit, ut meminerit homo, ſe quoque omnes creaturas, quas inordinatè amaverat, repellere per contemptum, ipſum verò Deum per amorem attrahere debere, & ex hoc gemino motu perinde ac ex pulſu arteriarum colligi ſtatum animæ poſſe. Atque hæc videlicet cauſa eſt, cur Deus prov. c. 23. ante omnia cor petierit dicens: *Præbe, fili, cor tuum mihi*, & dæmon quoque, ut Philippus Diez in ſuis concionibus refert, Eremitæ ſcire

cupienti, quod gratissimum Deo munus esset, in specie Angeli apparens dixerit, nihil gratius ipsum Deo offerre posse, quàm si mediam lunam, rotunditatem Solis, & quartam partem rotæ offerret; quod, cùm Eremita non intelligeret, & que adeò explicationem à Deo instanter peteret, per alium, cúmque verum Angelum ipsi significatum est, per medi lunam literam C. per rotunditatem solis literam O, p quartam verò partem Rotæ primam litteram R. in voc *Rotæ* comprehensam intelligi, & quia ex his tribus lit conjunctis nomen COR efficitur, hoc ipsum esse don gratissimum, quod Deo offerri possit.

Ex quibus omnibus facilè nunc colligitur, renovation hominis in eo potissimùm consistere, ut, si quidem cor hu per vitæ teporem & inordinatum ad creaturas amore veteratum, & detortum fuerit, per novi fervoris com remedium iterum innvetur, & rectificetur. Unde me quisque renovationem ejusmodi instituere cupiens, illa Pr phetæ Davidis ps. 94. verba sibi dicta credere debet: *Q draginta annis proximus fui generationi huic, & dixi* per: *hi erant corde.* *Hodie* ergo, *si vocem eius audier nolite obdurare corda vestra*, Et, ut Deus per Ezechiel 18. monet: *projicite à vobis omnes prævaricationes vestr in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, spiritum novum.* Quia autem sex præcipuè proprietates Scriptura in corde requirit, & prædicat, scilicet cor nov mundum, rectum, ardens, carneum seu molle, & altum: de his quoque totidem meditationes præscribentur, alia occupationes eundem in finem tendentes suggerentur.

DIES PRIMA.

Tessera.

Filij hominum, usque quo gravi corde, ut quid dil vanitatem, & quæritis mendacium? Ps. 4.

Meditatio I.

DE CORDE NOVO PROCVRAND

Præludium I. Est, imaginari, Christum juxta forna Fabri ferrarij stantem, & cor tuum forcipe apprehen

gni excitato applicantem, & dicentem: *Ecce nova facio omnia.*

Præludium. 2. est, petere gratiam, ut causas & modum novi cordis procurandi, id est, renovationis instituendæ ritè cognoscere, sedulóque adhibere possis.

Punctum I.

Considera I. Quid sit cor novum, & quomodo constitutum esse debeat; id ex S. Pauli doctrina discès c. 4. ad Ephes. sic loquentis: *Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti sicut est veritas in IESV, deponere vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris; renovamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm DEVM creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

Considera 2. An non in te quoque vetus homo per cor inveteratum & reporè vitæ vixerit; id colligere poteris ex sequentibus indicijs, quæ S. Claudius Aquaviva Societatis JESU Generalis in sua Epistola de renovatione Spiritus ad Socios suos scripta indicavit. S. Orare & Meditari sine sensu & fructu. 2. Aegrè se colligere & ad cor redire. 3. Cogitata, dicta, factáque sua sine pudore, & emendationis seriæ proposito cursim examinare. 4. In res extraneas libenter effundi, non proximi juvandi, sed tædij vitandi, & solatij sensualis emendicandi causâ. 5. Liberiùs obloqui, & aliorum dicta, factáque sine respectu carpere. 6. In animarum Zelo languere, laboréque earum causâ suscipiendos, qui dulces olim erunt, acerbos ducere. 7. Aegrè, & tardè Superioribus, aut alijs Salubria consilia & præcepta suggerentibus obtemperare. 8. Honorificè ab omnibus æstimari & tractari velle; hæc enim omnia, cùm rectæ rationi, finiultimo, exemplo Christi penitus difformia sint, clarè arguunt, non eum hominem, qui ad justitiam exercendam,

& Sanctitatem veritatis obtinendam creatus est, sed veterem secundùm desideria erroris ambulantem in te vivere.

Considera 3. An non hæc indicia in te quoque hactenus copiosè deprehenderis, atque adeò justas ac multiplices confidis novi procurandi, renovationisque instituendæ causas habeas.

Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera 1. Quantopere tibi hæc renovatio necessaria sit, sive propriam, sive alienam salutem, quæ utraque tibi summè cordi esse debet, consideres; si enim 1. propriam Salutem consideres, undique te ab hostibus eidem insidiantibus obsessum vides; intus quidem à proprijs passionibus & pravis habitibus, de quibus meritò illud Christi Matt. 10. usurpatur: *Inimici hominis domestici ejus*: foris verò à Dæmonibus, qui, præterquam quòd invisibiles sunt, & hoc nomine Superiores, calliditate tantùm valent, ut etiam cum fortissimis Athletis Christi congressi sæpe evadant; sed & viribus tantopere pollent, ut quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum eos existimant; vigilantiam verò tam sollicitam adhibent, ut non unum, alterúmve mensem, aut annum, sed vitam planè universam obsideant, & oppugnet; & odio denique tam insatiabili, erga eos tuaximè quos sibi magis contradicentes, & alios quoque à se, subque servitio avertentes vidēt, exardescunt, ut nullis eorum malis exsatientur. Si verò 2. alienam salutem consideres, & ex una parte quàm gravis tibi obligatio per Pastoris officium susceptum incumbat; ex altera verò parte, quàm noxium sit omnis in hoc officio languor & negligentia, perpendas, meritò sanè imperfectum tuum deflere, caveréque deinceps saltem debebis, ne per tuam culpam conversio & salus meliorum periclitetur, atque adeò severa tibi olim coram DEO reddenda ratio incumbat.

Considera 2. Quàm solidæ & efficaces sint hæ rationes ad quemvis persuadendum, ut seriam renovationem instituat, &, quò suam & alienam salutem securiùs, & abundantiùs procurare possit solidas virtutes & sanctitatem, velut aptissima instrumenta comparare studeat.

Con-

Considera 3. An tu hactenus has rationes perpenderis, inque te ad vitæ veteris emendationem, novæque studium excitare conatus fueris, & verò etiam deinceps. Velis colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera 1. Quæ media adhibere ad simile cor novum procurandum debeas, sequentia videlicet. 1. Ut Christo illud demisse offeras, supplicitérque petas, ut illud per gratiam & exemplum suum ob oculos tuos efficaciter propositum renovare dignetur; non enim *cor Regis* duntaxt ut Salomon prov. 21. ait, sed Operariorum etiam & Pastorum Oves sibi commissas regentium, *in manu Domini est*; *quocunque voluerit, inclinabit illud.* 2. Ut omnia, quæ retrò sunt obliviscens, totum te ad anteriora convertas, dicásque cum S. Davide Psal. 76. *Dixi, nunc cœpi.* Quod quidem medium jam pridem suasit S. Antonius, dum, ut in vita ipsius S. Athanasius refert, Fratrum cœtu aliquod ab ipso Spirituale monitum petente, sic exorsus est hoc: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum; nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit.* 3. Ut benficia tum generalia, puta creationis, Justificationis, Redemptionis, Vocationis, & Prædestinationis; tum Specialia Personam tuam solam concernentia, qualia haud dubiè multa deprehendes, animo volvas, eorúmque perpensa magnitudine perpensa, velut totidem prunis ferforem accendas, atque ad perfectum vocationis tuæ executionem te extimules. 4. Ut doctrinam à libello de imitatione l. 1. c. 15. traditam observes, quæ ait: *Duo specialiter ad magnam emendationem juvant, videlicet subtrahere se violenter, ad quod Natura vitiosè inclinatur; & ferventer instare pro bono, quo amplius quis indiget.*

Considera 2. Quàm solida & efficacia sint hæc media ad novum cor procurandum, verámque renovationem instituendam; utpote quæ & à Sapientissimis, expertissimísque Magistris præscripta, & multiplici experientia abunde sunt confirmata.

Considera 3. An tu ea hactenus adhibueris; aut quomodo

do deinceps saltem adhibere velis. Colloquium ad Christum. Repetendo frequenter illud Davidis Psal. 56. *Paratum cor meum, DEVS paratum cor meum.*

MEMBRUM II.

DE CORDE MVNDO PROCVRANDO.

Præludium 1. est, imaginari Christum ante te stantem, & cor tuum per peccata tua valdè deturpatum è corpore tuo extrahentem, & Sanguine suo, lacrymisque tuis inter te commistis abluentem.

Præludium II. est, petere gratiam, ut peccatorum hactenus à te commissorum multitudinem ritè cognoscere, & seriò detestari, & emendare possis.

Punctum I.

Considera I. Qualem Munditiam in corde tuo à te requirat DEUS; scilicet ut non tantùm ab omni peccato mortali, sed veniali etiam, quantùm per DEI gratiam fieri potest, liberum & immune sit, ita ut mortem millies obire malles, quàm unico, eóque minimo peccato veniali DEUM deliberatè offendere.

Considera II. Quot titulis talis à te Munditia exigatur tribus videlicet, triplici Officio tuo respondentibus, SS. Missæ Sacrificio offerendo, Officio divino recitando, & Sacramentis administrandis; si enim jam olim DEUS à Sacerdotibus veteris Testamenti Sacrificia vel Sacramenta imperfecta, quæ figura duntaxat erant Sacrificij nostri oblaturis vel administraturis, exigebat, ut essent sine macula; & Moysi ad Colloquium admittendo præcibiebat, ut calceamenta de pedibus tolleret; quantò magis à te, alijsque Sacerdotibus Sacrificium infinities perfectiùs oblaturis, & Sacramenta longè nobiliora administraturis, ac ad familiare colloquium nomine Ecclesiæ quotidie admittendis similem, imò majorem munditem requiret?

Considera 3. An hactenus talem munditiam habueris aut certè deinceps procurare velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum

Punctum II.

Considera I. Quibus potissimùm mediis uti debeas ad prædictam cordis munditiam obtinendam, videlicet balneo pœnitentiæ & confessionis cum magna præparatione & contritione peractæ; hoc enim medium suasit S. Joannes 1.c. 1. dicens: *Si confiteamur peccata nostra, DEVS fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate*; cessat namque vindicta divina, si confessio præcurrat humana, ut rectè S. Ambrosius super Psal. *Beati immaculati* notavit.

Considera 2. Quàm idoneum & efficax sit hoc balneum ad peccatorum sordes abstergendas, utpote ex prætioso Christi sanguine, qui ad totius Mundi peccata tollenda sufficiebat; & tuis lacrymis, quæ ex contrito pectore fluunt, compositum, quàmque adeò meritò de hoc balneo dicere queas cum Psalmista Ps. 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Considera 3. Cùm aqua plerumque tantò sit ad maculas corporis abluendas aptior, quantò magis calida fuerit, idémque multò magis in aqua tua & balneo spirituali, id est, Sacramento Pœnitentiæ locum habeat, quod tantò plenius remittit peccata, eorúmque pœnam, quantò majori cum dolore, & integritate fuerit peractum, quàm æquum sit, ut omnes partes hujus Sacramenti cum singulari ardore & perfectione implere studeas, dicásque cum S. Gregorio in Ps. 2. pœnit. *Præoccupemus faciem Judicis in confessione, ut qui tentationi parentes, manum non possumus effugere judicis, per confessionem mundati clementiam experiamur misericordis.* Colloquim ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera 1. Ad cor mundum non sufficere, ut semel, iterúmque mundatum sit, sed ut constanter Mundum permaneat, atque adeò efficatia media adhibeantur, per quæ à Sordibus deinceps contrahendis defendatur; sícque tu illa Sponsæ cant. 5. verba usurpare possis; *Expoliavi me tunicâ meâ* (id est, pravis desideriis) *quomodo induar illâ? lavi pedes*

pedes meos (& cor meum à peccatorum sordibus) quomodo *inquinabo illos* ?

Considera 2. Quænam potissimùm media ad arcendos ejusmodi sordes & maculas adhibere debeas ; videlicet 1. Consideretionem pessimorum fructuum, quos peccata hactenus à te commissa reliquerunt , applicando tibi verba illa S. Pauli ad Rom. c. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis* , & dolētis ob damna subsequa *nam finis illorum mors est* , aut certè, si venialia dumtaxat sunt peccata , morbus Spiritualis animæ graviora afferens damna, quàm omnia hujus mundi mala à peccato distinctis inferre possint ; si ergo vel ipsa bruta non facilè redeunt ad locum , in quo graviter vapulârunt, aut ceciderunt: quis ita posset, ut tu ad eadem peccata perpetranda redires, si damna per peccatum accepta ritè perpenderes. O utinam saperes aliquando, & novissima provideres, & frequenter animo volueres, profectò in æternum deliberata voluntate non peccares. 2. *Radicis extirpationem* , quæ est opinio falsæ bonitatis sub rebus à nobis inordinatè concupitis latentis, ex hac enim opinione nascitur concupiscentia, quæ cùm conceperit, id est , in pectus admissa, & per consensum ad delectationem approbata fuerit, parit peccatum; hæc ergo opinio tollenda est per certissimā persuasionē, quod nullum ens possit verum animæ bonum, nisi quod ad ultimū finem consequendum juvat; nullum verò è contrario malum, nisi quod ab hoc fine impedit, vel abducit; hæc namque persuasio si semel animum occupaverit, facilè eundem ab amore illicitorum objectorum abducet , utpote quæ non nisi falsa, fumos, vana, turpia, noxiáque bona esse ostendet. 3. *Amoris divini augmentum* ; nam ut rectè SS. Patres dixerunt, *augmentum caritatis est diminutio cupiditatis* ; cum enim bonitas divina semel gustatur, facilè terrestria despiunt, illæsque S. Ignatij voces audiuntur: O quàm sordet mihi terra, cùm cœlum aspicio!

Considera 3. Quàm efficacia sint hæc media utpote tam multis exemplis comprobata , máximè S. Augustini de ipso fatentis : *O quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum ; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat, ejiciebas enim eas tu vera*

summa suavitas. Vide proin, quomodo deinceps eadem adhibere velis. Colloquium ad Christum illud S. Davidis Ps. 50. usurpando: *Cor mundum crea in me DEVS, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

OCCUPATIONES

Reliquæ hujus diei.

I. Præterbinas Meditationes suprà assignatas, & consuetas preces, & conscientiæ examina, tres præcipuè occupationes aliæ suscipiendæ erunt. Quarum prima est præparatio ad generalem confessionem ab ultima saltem generali confessione faciendam; per hanc quippe cùm peccatorum plerorumque cumulus ob oculos ponatur, hoc ipso clarior sui ipsius notitia, vehementior dolor & erubescentia, & actior denique ad amandum DEUM stimulus comparatur, ut, ubi abundavit delictum, ibi abundet & caritas; & præterita negligentia posteriori fervore compensetur.

II. Secunda Occupatio erit accuratum Examen circa ea, quæ propriam tuam personam concernunt, & in sequentibus fermè quæstionibus consistunt.

Quibus vitiis potissimùm hactenus subjectus fueris? quæ talium vitiorum origo? quibus medijs excindenda?

Quibus passionibus adhuc magis obnoxius sis, odio videlicet, an amori? gaudiis an tristitiæ? concupiscentiæ, vel iræ? & quomodo deinceps moderandæ?

Quomodo te in custodia sensuum externorum, puta Visus, auditus, gustus, odoratus, tactus; & internorum, puta Memoriæ, intellectus, & voluntatis gesseris?

Quas corporis castigationes, & quo fructu susceperis?

Quomodo duplici examine conscientiæ, generali scilicet, & particulari, ac Pœnitentiæ Sacramento, velut præcipuis ad peccata extirpanda mediis usus fueris.

Quâ diligentiâ & intentione actiones tuas quotidianas peregeris? an ordinem diurnum pro ijsdem præscriptum diligenter observaveris?

Quo fervore & constantia virtutum ad teipsum pertinentium Studium susceperis? quibus mediis ad easdem animo tuo inferendas sis usus.

Quo-

Quomodo in humilitate proficere studueris? an teipsum ex animo despicias? an ab aliis quoquo despici exoptes, & gaudeas, ut Servatori tuo similior fias?

Quomodo temperantiam in cibo & potu observaveris? annon præpropere, lautè, nimis, ardenter, Studiosè comederis, vel biberis? quam mensuram deinceps observare velis.

Quomodo paupertatem Spiritus observaveris? an non inordinato & nimio appetitu divitias appetieris, aut quæsieris? an victu & amictu contentus vixeris?

Quomodo castitatis virtutem Sacerdotibus tanopere necessariam exercueris? an nihil contra eam opere, verbo aut cogitatione peccatum? an omnes occasiones ejusdem violandæ studiosè declinatæ?

Quomodo Modestiæ studueris? an manus lingua, & aies ab omni indecentia custoditæ? an nugæ, quæ in os Sacerdotibus sunt blasphemiæ, teste S. Bernardo, sollicitè sunt devitatæ.

Quàm patienter adversos casus & tribulationes occurrentes exceperis?

III. Tertia occupatio erit Spiritualis libri lectio, imprimis quidem duorum capitum ex libello de imit. Christi, l. 1. c. 1. & l. 2. c. 6. Deinde verò vel Ludovici de Ponte to. 4. de perfectione; vel Ludovici Abelij de Sacerdote Christiano; vel Jacobi Marchantij in virga Aaron; vel Manualis Parochorum Caroli Musarti; vel Institutionis meæ tertiæ de conversatione Apostolica; vel quartæ de Pastorum Officio.

DIES SECUNDA.

Tessera.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem. Ps. 118.

Meditatio I.

DE CORDE RECTO PROCVRANDO.

Præludium I. est, imaginari Christum cor tuum, quod inversum erat, terramq. superiori parte respiciebat, invertentem, & in recto ac naturali suo statu collocantem.

Pra-

Præludium 2. est, petere gratiam, ut, quæ cordi tuo rectitudo competat, clarè cognoscere, eámque studiosè procurare possis.

Punctum I.

Considera I. Qualem rectitudinem à te in corde tuo DEUS requirat, videlicet ut sursum semper apertum sit, cælúmque & DEUM per intentionem semper respiciat, nihil aliud desiderando & quærendo, quàm ut DEI Sanctissimum beneplacitum semper perfectissimo modo adimpleatur, sícque Salubre S. Pauli consilium 1. Cor. 10. observetur: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad Dei gloriam facite.* Hoc sanè Sponsus Cant. 8. Sponsæ suæ suasit, dum dixit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Considera II. An talem rectitudinem in corde tuo hactenus habere studueris, id colliges ex sequentibus indicijs. I. Si non ægrè feras, cùm opera tua absque tua culpa malè succedunt, & non laudantur. II. Si, cùm sapit, quod agis, æquè magnam diligentiam, ac cùm desipit, adhibeas. III. Si cùm alij præclara patrant opera, æquè magnam percipias voluptatem, ac si ipse patrâsses. IV. Si ad honorifica officia æquè, ac humilia paratus sis; patúmque cures, an multos vel paucos Auditores, Discipulos, Filios confessionis habeas. V. Si in occulto æquè, ac publico opera tua ferventer ac studiosè peragas. Ob quæ indicia, quia apud paucos reperiuntur, rectè S. Hieronymus in epist. ad Lucif. dixit: *Conveniat unusquisque cor suum & in omni vita inveniet, quàm rarum sit fidelem animam reperiri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim latim, qui jejunat, Deo jejunat? aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat. Vicina sunt vitia virtutibus: difficile est, Deo Iudice esse contentum.*

Considera III. An tu hæc indicia hactenus in te deprehenderis; &, si minùs reperias, saltem deinceps, ut habeas, cura, diceréque cum Esthere c. 14. possis: *Tu, scis, Domine, quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine.* Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum III.

Considera I. Quàm æquum sit, ut hanc rectitudinem cordis tui totis viribus procures, cùm planè ea sit optimum & efficacissimum instrumentum ad triplicé finem tibi præfixum obtinendum. Nam I. Quomodo gloriam divinam magis augere & procurare potes, quàm si eandem omnibus tuis cogitationibus, verbis & operibus velut ultimam metam constituas; & sicut Deus omnia creavit propter semetipsum, sic nec tu aliquid fuisse, vel esse velis nisi propter ipsum, & solam scilicet illius voluntatem, non tuam voluptatem. &c. II. ad salutem propriam certiùs & abundantiùs procurandam optimum est instrumentum, cùm hæc intentio frenulus actionum nostrarum, atque adeò si oculus hic lucidus seu bonus fuerit, totum corpus, id est, actio lucida & meritoria sit futura, ut præclarè S. Gegorius l. 28. mor. 6. indicavit, dum dixit: *Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ, priusquam foris actione exerceat, hoc jam, quod appetit, contemplatur? Quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bona intentionis radium merita illustrantur actionis.* Quòd verò minùs etiam ad proximi salutem procurandam efficax instrumentum, ex eo colligitur, quòd, quò magis operarius Apostolicus cum Christo velut vite conjungitur, tanto majorem fructum faciat; conjungi autem meliùs non potest, quàm si purissima intentione, quæ est perfectissimus actus amoris, omnia sua opera faciat; hinc Christus Jo. 8. dixit: *Et non reliquit me solum* (operari) *quia quæ placita sunt ei, facio semper.*

Considera II. Quàm amplus, & multiplex tibi præ tres assignatos fines fructus ex hac rectitudine intentionis oriturus; nam inprimis perfectissimam ad quævis opera officia indifferentiam generabit, cùm per omnia æqualiter Deo placere posse scias, utpote qui non tam attendit, quid tùm, quàm ex quanto affectu quis agat. Deinde verò summam in operibus tuis diligentiam adhibendam te

ubit, utpote quæ scias non homini, sed Deo velut supremo Domino offerri. Denique singularem & constantem lætitiam animo conciliabit, cùm summum operibus tuis singulis præmium, nempe beneplacitum Dei propositum esse scias, ut adeò verè in te implendum sit illud ps. 31. *lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.*

Considera III. Quàm efficacia sint hæc motiva, dignáque, ut propter ea omnem conatum in rectitudine hac cordis procuranda adhibeas. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere debeas ad istam rectitudinem procurandam, videlicet sequentia tria I. Ut digoam de hac rectitudine intentionis æstimationem concipias, certóque tibi persuadeas, non posse majus pro tuis operibus præmium aut excogitari, aut appeti, quàm beneplacitum divinum, uti præclarè indicavit S. Chrysostomus l. 2. de compunct. cordis, sic loquens: *Si omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placuerit, aliam ne require mercedem, prater hoc ipsum, quod placere meruisti. Si enim aliam requiris mercedem, cerè ignoras, quantum bonum sit placere Deo; si enim scires, nunquam aliquid aliud extrinsecum mercedu aut muneris expeteres.* II. Ut, quantùm fieri potest, tua opera, maximè si præclara sint, & insignes victorias reipsius contineant, libenter in occulto facias; sic enim afnelces humanam laudem, & æstimationem non appetere, sed solo Dei beneplacito contentus esse, dicésque cum Epictero: *Hac ego non multis, sed tibi; sat magnum enim alter alteri theatrum sumus.* Quod si verò opus occultari non possit, juxta consilium S. Gregorij ho. 11. in Evang. *sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.* III. Ut non contentus generali matutina intentione, specialem singulis tuis actionibus præfigere studeas, ritei illius Ascetæ, de quo P. Drexelius in amussi l. 1. c. 1. 2. meminit, exemplum secutus, qui, cùm opus aliquod aggressurus subsisteret cogitanti similis, ab alio postea, cur

hoc ageret, interrogatus, respondit se more eorum, qui sagittas ad metam jaculantur, priùs opera sua ad Dei beneplacitum dirigere, eò quòd talia opera ex se nulla & informia sint, nisi sincero fine, rectáque intentione vestiantur.

Considera II. Quàm efficacia simul, & facilia sint hæc media, ac multorum ferventissimorum Operariorum exempla comprobata, præcipuà SS. Thomæ Aquinatis, & Ignatij Loiolæ, quorum ille laudatus à Deo, quòd bene de se scripsisset, ideóque, quam mercedem peteret, rogatus, *non aliam, nisi te, Domine*, respondit; iste verò pro symbolo suo familiari habuit: *Omnia ad majorem Dei gloriam*; ut adeò merito S. Chrysostomus ho. 21. in Matt. illum in se ipsum crudelem Tyrannum esse dixerit, qui potest alio contentus esse præmio, quàm Deo.

Considera III. An hactenus observâris; aut certè quomodo deinceps hæc media observare velis, Legatorum humanorum morem aliquo modo secutus, qui ad Principem quempiam missi, in reditu sua munera in Gazophilacio deponebant, ne munerum causâ iviſse crederentur; sic ergò tu alia motiva sepone, eúmque in finem memorandam S. Augustini in ps. 58. sententiam in mente habe: *Psallite ergo non nomini vestro, sed nomini Domini Dei vestri. Vos psallite, ille laudetur: vos bene vivite, ille glorificetur. Vox* nim *hujus cantoris*, ut idem S. 256. de temp' ait, *est sancti amoris. Amemus, gratis amemus; Dominum amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum.* Colloquens ad Christum illud S. Davidis ps. 113. identidem repetens: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

MEDITATIO II.

DE CORDE ARDENTE PROCURANDO.

Præludium I. Est, imaginari Christum cor tuum forte ardenti applicantem, & idem pariter ardens efficientem.

Præludium II. Est, petere gratiam, ut, in quo ardor consistat, ritè cognoscere, & per convenientia media feliciter procurare possis.

Punctum I.

Considera I. Quid sit cor *ardens*, quod Deus à te petit, nempe cor vehementi desiderio & studio divinam gloriam, animque & proximi salutem procurandi accensum.

Considera II. Ex quibus indicijs colligi possit talis ardor; et illis nempe effectibus, quos in aqua fervente deprehendimus; ut enim hæc I. majùs longè, quàm priùs habebat, spatium occupat, ita ardor quoque cordis amore accensi majora semper & perfectiora opera pro Dei gloria & proximi salute patrare cupit, uti præclarè S. Gregorius advertit dicens: *Amor operatur magna, si est; aut si operari renuit, amor non est.* II. Sicut aqua fervens magno cum impetu & vehementia ebullit; ita cor ardens etiam magna cum alacritate & celeritate opera ad Dei gloriam & animarum salutem spectantia arripit, & operatur; *nescit enim tarda molimina, Spiritûs Sancti gratia*, teste S. Ambrosio. III. Sicut aqua fervens se effundit, & calore suo omnia adjacentia calefacit, & fervere pariter facit; ita cor ardens non contentum est, quòd ipsum sit accensum, sed alios quoque simili ardore accendere cupit, uti rectè S. Gregorius ostendit dicens: *In quantum vos profeciſſe penſatis, etiam vobiscum alios trahite; in via Domini ſocios habere deſiderate; ſi ad Deum venitis, curate, ne ad eum ſoli veniatis.* IV. Sicut aqua fervens contra naturam sursum ascendit, & sic violentiam patitur, ita cor ardens assiduò sibi violentiam facit, sive negando concupita, sive sustinendo contraria; hinc SS. Ignatius & Franciscus Xaverius ferventissimi Operarij pro familiari axiomate habebant: *Vince teipsum.*

Considera III. An tu similes effectus hactenus in te experta sis; aut certè deinceps procurare velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Præclaros & multiplices fructus, quos cor tam modo ardens producit, quorum primus & summè optandus est, quòd à Deo specialiter diligatur, & favores quoque particulares accipere mereatur; uti pulchrè S. Bernardus ſ. 23. in Cant. indicavit dicens: *Qua amat ar-*

dentiùs, currit velociùs, & citiùs pervenit, perveniens non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur; sine mora aperitur ei tanquam domestica, tanquam carissima, tanquam specialiter dilecta, & singulariter grata. Secundum est, quòd ad proximi salutem procurandam specialiter conducat; tum quia, ut Cæsarius ho. 3. ad Monach. bene adnotit, *ubi viderit Deus devotionem animi, ardentiorem impinuabit affectum, & quantùm nos apposuerimus ad studium tantùm ille apponet ad adjutorium*; tum quia *amor nobilis*, atqeus teste Thoma Kemp. l. 3. c. 5. *valet ad omnia, & multa implet, & effectui mancipat, ubi non amans deficit, & jacet.* Tertius est, quòd, ut S. Ignatius in epist. de perfect. ait, rarum aliquod & eximium facinus antecellat incentis vulgaribus & minutis, atque adeò præmium eum majùs mereatur à Deo, qui magis pensat, ex quanto quis agit, quàm opus, quod facit. Quartus est, quod ad omnia dura & difficilia leviùs portanda plurimùm prosit, uti notat Thomas Kemp. l. 1. c. 25. advertit dicens: *Si dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & senties leviorem laborem propter Dei gratiam & virtutis amorem.*

Considera II. Quàm pretiosi sint hi fructus, dignique, propter quos cum sponsa Cant. 7. dicas: *Ascendam in palmam* (id est, mihi ipsi vim inferam) *& apprehendam fructus illius.*

Considera III. Quomodo deinceps hos fructus procurare, atque adeò, ut S Ignatius l. c. hortatur, in sinu cordis tui vividum quendam, sanctúmque fervorem ad quosvis pro Dei gloria & animarum salute exantlandos labores concipere velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quæ media adhibere debeas ad similem ardens procurandum, sequentia videlicet. I. Ut fructus a priori puncto explicatos bene apprehendere & æstimare scas; per illos enim velut totidem ligna non modicè accendetur hic ignis fervoris. II. *Ut vitæ brevitatem* sæpiùs animo volvas, simúlque certò tibi persuadeas, quod perfectionis & gratiæ non comparâris in vita, id te nunquam aliàs comparaturum, ut sapienter Siracides monuit, c. 9. dicens:

Quæ

quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Unde hoc medium suasit prius Author l. 1. c. 25. dum dixit: *Si frequentiùs de morte tua, quàm longitudine vitæ cogitares, non dubium, quin ferventiùs te emendares.* III. Ut sæcularium divitias & honores quærentium fervorem animo objicias, dicásque: *Potuerunt isti, & istæ, & tu non poteris?* Hoc medium suasit S. Ignatius in cit. epist. sic loquens: *Nolite pati, ut hujus sæculi homines plùs laborum & molestiarum suscipiant, inquirendis studiosè voluptatibus ac rebus caducis, quàm vos in cœlestibus ac divinis comparandis: pudeat, illos majori opera eniti ad aucupandam gratiam Principis, quàm vos laboretis ad amicitiam cum æterno Rege comparandam.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media, utpote à tam expertis Magistris præscripta, & sæpiùs non sine magno profectu adhibita.

Considera III. An & quomodo tu ea hactenus adhibueris, aut adhibere deinceps velis, observans consilium Sirac. c. 33. monentis: *In omnibus operibus tuis præcellens esto; nec des maculam in gloria tua.* Sícque experiaris, quod Jeremias de se c. 20. testatur: *& factus est* (Zelus) *in corde meo, sicut ignis exæstuans, clausúsque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*, sed & dicas cum Davide ps. 118. *Tabescere me fecit Zelus meus.* Colloquium ad Christum rogando, ut nunc tandem implere dignetur, quod Luc. 12. dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Certè in hoc colloquio, si usquam alibi experire, quod Discipuli in Emaus Luc. 24. sunt fassi: *Nónne cor nostrum ardens erat, quando loquebatur nobis in via?*

OCCUPATIONES

Reliquæ Diei.

I. Prima occupatio erit examinare te circa ea, quæ proximum tuum concernunt. Itque examina teipsum

Quomodo te erga Superiores tuos hactenus habueris? an in eisdem Dei magis, quàm hominis Personam consideràris?

an filiali amore eosdem amplexus sis? an debitam reverentiam ijs exhibueris? an perfectam illis obedientiam præsteris, non tantùm integrè ac celeriter eorum mandato exequendo, sed judicium etiam & voluntatem propriam, eorum judicio & voluntati subjiciendo? an eosdem contra alios murmurantes defenderis, sícque Filios Noë Sem & Japhet imitatus nuditatem Patrum tuorum texeris, verâmque ab eis benedictionem obtinere merueris.

Quomodo te erga Parochianos tuos gesseris? an omnes universali amore sis complexus? an Sacramenta legitimo modo administrâris, & verbum divinum fructuosè prædiveris? an pro ijsdem, ut oportuit, frequenter & ardenter oraveris? an ægros suo tempore diligenter visitaveris, & piis idoneísve alloquijs recreâris? an Juventutis sedulam curam gesseris, & in doctrina Christiana suo tempore diligenter instruxeris? an etiam defunctis debitam charitatem & auxilium precibus & operibus ferventibus exhibueris:

Quomodo erga Domesticos tuos te gesseris? an salutem ipsorum cordi, ut decebat, habueris, atque ad peccatorum fugam, virtutúmque exercitium verbis & exemplis excitaris? an laborem & imperia discretè imposueris? an vitia illorum mansuetè & efficaciter correxeris? an debitum victum & salarium fideliter porrexeris?

Quomodo erga alios tuæ curæ non subjectos charitatem tuam exercueris? an quod tibi fieri non velles, etiam illis non feceris, atque adeò nec cogitatione (puta suspicionibus, judicijs temerarijs, contemptibus) nec verbo (puta murmurationibus, detractionibus, mordacibus dictis aut agnominibus) nec opere (puta debitum honorem, necessarium auxilium, petitum obsequium denegando; aut famam, opes, corpus lædendo) eosdem læseris? an quod tibi fieri velles, illis liberaliter præstiteris, atque adeò precibus, eleemosynis, obsequijs charitatem tuam demonstrâris?

Quomodo te erga Inimicos tuos habueris? an ijsdem offensas ex Christiana charitate remiseris? an juxta exemplum Christi pro illis ferventer oraveris? an varia charitatis officia exhibendo studueris carbones congerere super capita eorum?

Quibus motivis in charitate proximo exhibenda sis usus?

44

an sincerè propter Deum, an verò propter causam aliquam aut dotem naturalem eundem dilexeris?

Quibus rationibus Zelum alienæ salutis in te excitare studueris, aut excitare deinceps velis?

Quæ media ad Proximi salutem procurandam hactenus adhibueris, aut adhibere deinceps velis?

Quæ impedimenta tibi in cura animarum obstiterint, quò minùs optatum fructum referres, & quomodo removere eadem velis?

II. Secunda occupatio erit Lectio spiritualis ordinarij libri Ascetici, & ex libello de imitatione Christi l. 1. c. 15. & l. 2. c. 4.

DIES TERTIA.

Tessera.

Quid mihi est in cœlo, & à te quid *voluí super terram? defecit cor meum, & caro mea, Deus cordis mei,* & pars mea Deus in æternum ps. 72.

Meditatio I.

DE CORDE CARNEO PROCURANDO.

Præludium I. Est, imaginari Christum cor tuum durum etipientem, & aliud molle substituentem, prout per Ezechielem c. 36. promisit dicens: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.*

Præludium II. Est, petere gratiam, ut, quale cor carneum à te requirat Deus, ritè cognoscere, &, ubi cognoveris, studiosè procurare possis.

Punctum I.

Considera I. Quòd triplici in sensu Deus à te cor carneum requirat I. Ut idem significet carneum ac molle & tractabile, uti Deus ipse loc. cit. insinuavit, dum dixit: *Dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut ambuletis in præceptis meis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Unde per hunc sensum cor carneum idem significat, ac perfectam obedientiam ac subjectionem, quam Deo & Superioribus tuis exhibere debes.

Considera II. In quo consistat ista subjectio; in sequentibus nempe I. Ut non aliud beneficium, nec alios subditos habere velis, quàm quos Deus & Superiores ipsi assignaverint. II. Ut eos, quos regendos susceperis, non aliter, quàm juxta Dei & superiorum voluntatem per constitutiones Ecclesiasticas, & Ritualia indicatam gubernare velis. III. Ut directionem & correctionem Superiorum promptissimâ voluntate suscipias, & seriò errorem commissum emendare studeas.

Considera III. Quàm æquum sit, ut hanc subjectionem Deo & Superioribus perfectissimè exhibeas; cùm extremes prorsus infructuosus sis, atque adeò meritò Christo (& Superioribus locum Christi tenentibus) velut viti conjungi debeas, quod per obedientiam obtinebis; sine qua vere timere potes, ne illud Aggæi c. 1. tibi objici queat. *Ponite corda vestra super vias vestras: seminástis multùm, & intulistis parùm. Respexistis ad amplius & factum est minus; & intulistis in domum, & exsufflavi illud. Quam ob causam dicit Dominus exercituum? quia domus, (& voluntas) mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum (& voluntatem) suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem suum.* Vide ergo, quomodo hactenus te hac in parte gesseris, & deinceps gerere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quod etiam in alio sensu Deus cor carneum à te requirat, ita videlicet, ut idem sit, ac cor humanum & mite per efficacem mansuetudinem, qualem Christus Matt. 11. Apostolis suis commendavit, dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Considera II. In quo consistat hæc mansuetudo; in sequentibus videlicet. I. Ut finceram in omnibus functionibus, quas cum Proximo suscipis, dilectionem semper præferas; ita enim & vicissim amaberis, &, quidquid volueris, facilè impetrabis, ut S. Augustinus notavit dicens tr. 7. in epist. S. Joann. *Dilige, & fac, quod vides.* II. Ut sermonis affabilitate & dulcedine animos tibi conciliare studeas,

sícque cum veritate ad eos, quibuscum tibi agendum est, sequentia Siracidis c. 24. verba usurpare possis: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini; spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* • III. Ut, ubi correctio adhibenda est, S. Leonis Papæ doctrinam observes, & odio peccata habeas, non homines; & quod severiùs castigare necesse est, non sævientis plectas animo, sed medentis; nam, ut S. Prosper l. 2. de vit. contempl. rectè pronuntiavit, *leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimia increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.*

Confidera III. Quàm necessaria tibi, & omni studio procuranda sit hæc mansuetudo, utpote efficacissimum ad animas lucrandas instrumentum; *nihil enim*, teste S. Chrysostomo ho. de mansu. *ita conciliat Domino Familiares, ut quod illum videant tranquillum se offerre, & mansuetudine jucundum; nam & talem majoris faciunt, habéntque pro Patre, & non pro Domino. Gratus, & amabilis est videntibus, gratus item & his, quibus tantùm nomine notus est; neque facilè ullum invenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre, & exosculari non desideret, & non habeat in aliquanta lucri parte, ejus amicitiâ diu posse frui.* Vide ergo, quomodo deinceps ejusmodi cor carneum & mite procurare velis. Colloquium ad Christum.

Meditatio II.

DE CORDE ALTO PROCURANDO.

Præludium I. Est, imaginari, quòd Christus in cœlo consistens cor tuum suo cordi uniat, sícque efficiat, ut nihil ampliùs in terris formides juxta illud Psalmi 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

Præludium II. Est, petere gratiam, ut, in quo altitudo ista cordis consistat, verè cognoscere, illámque totis viribus sectari queas.

Pun-

Punctum I.

Considera I. Qualem altitudinem cordis à te requirat Deus, ut scilicet, sicut ij, qui supra montem Olympi ascenderunt, nullos ventos, nullas tempestates experiuntur, sed perpetuam serenitatem habent; ita & tu sic providentiæ & voluntati divinæ totum te committas, & conformes, ut nullus te casus adversus turbare & affligere possit.

Considera II. In quibus specialiter occasionibus hanc conformitatem ostendere debeas, in sequentibus videlicet. 1. Ut non alios Superiores, locum, officium, subditos, victum &c. habere velis, quàm quos sapientissima Dei providentia tibi submisit. 2. Ut quocunque successu & fructu laborum tuorum contentus existas, modò, quod in te erat, feceris. 3. Ut, quemcunque casum adversum tranquillo ac læto animo excipias, usurpans perpetuò unum ex sequentibus suspirijs: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Vel *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat.* Vel: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Vel: *Dominus præcepit ei, ut malediceret mihi, & quis est, qui contradicat?*

Considera III. Quàm necessaria tibi sit hæc altitudo, utpote cui, sicut cum Paulo vas electum es, ut portes nomen Domini coram Gentibus & Regibus, ita ostenderetur pariter, quid te oporteat pro nomine ejus pati; ut adeò meritò cum eodem sancto 1. Cor. 16. dicere queas: *Ostium mihi apertum est magnum & evidens, & Adversarij multi.* Stude proin hanc altitudinẽ cordis totis viribus procurare. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quomodo ad hanc altitudinem cordis pervenire possis, nempe si, ut Christus ipse quondam S. Catharinam Senensem docuit, hæc tria firmissimè credas. 1. Deum summè potentem esse fine cujus voluntate nec stilus capitis tibi commoveri, aut eripi possit, ut adeò meritò Siracides 11. dixerit: *Bona & mala, vita & mors à Domino sunt*; 2. Eundem Deum etiam summè sapientem esse, ita ut omnia mala, quæ ab alijs parata sunt, sciat in summum nostrum bo-

num

sum convertere, uti in exemplo Josephi Patriarchæ Proregis Ægyptiaci clarissimè videre est. 3. Denique etiam summè bonum esse, ut nihil nisi, quod nobis optimum esse cognovit, permissurus sit, ut adeò meritò S. Paulus ad Rom. 8. dixerit, diligentibus Deum omnia in bonum cooperari.

Considera II. Quàm efficax sit hoc medium, ad dictam altitudinem obtinendam; cùm, ut sapienter jam olim Epictetus c. 10. Enchiridij dixit, *Homines non perturbentur rebus, sed ijs, quas de rebus habent, opinionibus*; hæc autem opinio efficaciter corrigatur, si juxta priorem doctrinam firmiter nobis persuadeamus, omnia, quæ fiunt, à sapientissima, nostríque amantissima Dei providentia permitti, & in summum nostrum bonum ordinari, ita ut si ipsismet nobis electio relinqueretur, nihil melius, quàm quod Deus ordinavit, eligere possemus.

Considera III. An hactenus hoc medio usus sis, & uti deinceps velis. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Fructus præclaros hujus altitudinis, quos clarè indicavit Deus ipse ps. 88. dum dixit: *Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*, quibus verbis tres præclaros fructus insinuavit, videlicet I. *Summam & perpetuam lætitiam*, quæ omnia alia gaudia perinde superat, ac oleum reliquis liquoribus supernatat; nam sicut præclarè quidam SS. PP. dixit, *si mens in DEVM forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amatum evenit, dulce æstimat: omne, quod affligit requiem putat: transire & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam possit.* Sicque verificatur Salomonis effatum prov. 16. quo dixit: *Secura mens est quasi juge convivium.* 2. *Summam prosperitatem successus in laboribus & officijs*; si enim non digitus duntaxat, sed tota manus (per quem modum loquendi abundantia & efficacia auxilij denotatur) auxiliabitur tali homini, quis de optimo successu dubitare poterit? Implebitur sanè in servis talibus, quod S. David ps. 1. prædixit, dum virum, cujus in lege Domini voluntas est fixa, similem ait fore ligno plantato secus decursus aquarum, & fructum

fructum daturo in tempore suo & quòd omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur. III. *Summam protectionem à malis*, quam per vocem *brachium* indicavit, &, si in ullo alio, in Davide sanè ostendit, idémque faciet omnibus, qui vitæ secundùm cor illius esse, atque ad altum cor accedere studuerint; si enim prov. 4. omni custodia servandum cor esse docuit, quidni & ipse vitam secundùm cor suum omni custodia protecturus credatur.

Considera II. Quàm pretiosi sint hi fructus, & tibi maximè optandi, ut & Proximi salutem juxta vocationem tuam efficaciùs procurare, & inter tot labores ac difficultates constantem animi tranquillitatem ac lætitiam retinere valeas.

Considera III. Quomodo vel hoc etiam titulo desciptam hactenus altitudinem cordis sectari, eúmque in hanc præclaram S. Augustini sententiam in animo semper habere velis: *Quid timet homo in sinu Dei positus? tu de sinu ejus noli cadere; & quidquid tibi evenerit, in bonum cedit.*

Colloquium ad Christum.

OCCUPATIONES

Reliquæ Diei.

I. Prima occupatio erit examen circa ea, quæ ad Dei & Cælitum cultum spectant; itaque examina temetipsum

Quomodo te erga Deum ipsum habeas, an debitum ei timorem, amorem, honorem exhibueris?

Quâ diligentiâ & fructu Exercitia spiritualia, puta orationem mentalem & vocalem, Sacrificium Missæ, lectionem spiritualem peregeris? an desolationes potiùs, quam ariditates sub ijsdem experiaris? quæ distractionum & aridatis causæ? quomodo submovendæ?

Quomodo in cultu SS. Passionis Christi, Eucharistiæ, & Virginis, S. Angeli Custodis, aliorúmque SS. Patronorum te gesseris? an, quæ ad eorum honorem facere decrevisti, constanter impleveris?

An, & quas preces jaculatorias usurpare interdiu soleas, & quo fructu?

An & quoties de die bonam intentionem tuis actionibus præfigere, & quoties renovare soleas?

An

An pro acceptis beneficijs gratias debitas persolvere studueris; & quoties in die?

An etiam adversa de illius manu cum hilaritate & æquanimitate acceperis?

Quomodo in servitio Dei & perfectione proficere studueris? quod desiderium proficiendi in te sentias? quibus ad hunc finem medijs utaris?

Quomodo ad mortem, si hodie obeunda esset, paratus fores? quid te in tali casu magis angeret, vel solaretur?

II. Secunda occupatio erit lectio ordinarij libri, & duorum capitum ex lib. de imitatione Christi, nempe l. 1. c. 9. & lib. 3. c. 25.

QUARTUM EXEMPLAR TRIDUANÆ RECOLLECTIONIS.

Pro Sacerdote seriam Pœnitentiam facere volente.

CUm contingat interdum, ut Sacerdos aliquis pluribus vitijs, malisque consuetudinibus immersus, aut sponte resipiscat, & recollectionem quandam spiritualem instituere decernat, aut certè ad eandem faciendam superiorum impetio adigatur, ideò ut talis quoque Sacerdos materiam ad finem sibi præfixum obtinendum idoneam pro triduana saltem collectione inveniat, placet eandem hoc loco assignare succinctiùs tamen, quàm in prioribus fecerim, ut ipse tantò plùs spatij habeat ad peccatorum suorum gravitatem & multitudinem perpendendam, motiváque & media ad seriam emendationem conducentia excogitandi.

Quia verò, ut alibi monui, ad optatum ex tali recollectione fructum faciendum non parùm conducit, si Patronus quispiam eligatur, qui in simili olim statu constitutus, miseriam ipsius clariùs per experientiam propriam cognoverit, atque adeò patrocinio suo libentiùs auxiliaturus credatur, ideò & pro hac recollectione S. Petrum Ecclesiæ Principem, & omnium Sacerdotum Patriarcham & Patronum singularem in auxilium specialiter vocandum, & velut pulcherrimum Pœnitentiæ exemplum ob oculos habendum censeo, de quo proinde & ipse meditationes potissimùm instituentur.

DIES

DIES PRIMA.

Tessera.

DOmine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, sed citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis. ps. 78.

Meditatio I.

DE PETRO DELINQUENTE.

SCopus hujus meditationis erit delictorum tuorum gravitatem cognoscere, ad quod non parùm conducet, si in una parte peccati à S. Petro commissi gravitatem consideres, ex altera verò parte, tua peccata cum peccato illius comperes. Præmissis ergo orationibus consuetis & præludijs ordinarijs, quæ semper à te debito modo facta deinceps supponam.

In puncto primo considera, quàm magna beneficia S. Petrus à Christo acceperit, tum per vocationem ad Apostolatum; tum per tam salutarem instructionem verbo & exemplo factam; tum per Sacerdotij collationem; tum per SS. corpus & sanguinem paulò antè porrectum; tum per confidentiam ad ipsum habitam, dum ipsum cum SS. Joanne & Jacobo transfigurationis & agoniæ suæ, aliorúmque arcanorum suorum testes esse voluit; & ex horum beneficiorum magnitudine collige, an non æquissimum fuerit, ut S. Petrus pro tot favoribus gratissimum se exhiberet, & præ reliquis Discipulis vehementiùs Christum amaret, & firmiùs ei adhæreret? Reflecte te postea ad tua quoque beneficia accepta à Deo, & vide, an non sicut similes favores accepisti, ita similes quoque causas habueris, Deum ferventiùs amandi.

In secundo puncto considera qualitatem & gravitatem peccati à S. Petro commissi, quòd scilicet summum suum Benefactorem, Magistrum, Patrem tam amabilem nosse se negarit, idque jurejurando confirmârit; cùm ergo, teste S. Bernardo, nihil perinde displiceat Deo, præsertim in Filium gratiæ, sicut ingratitudo, perpende, quantopere hæc negatio Christo doluisse, & displicuisse debeat, utpote quæ summam ingra-

ingratitudinem involverit. Cùm autem tu quoque per peccata tua similem negationem non tam verbis, quàm operibus ipsis admiseris, an non dolorem & offensam tantò majorem Christo creaveris, quantò frequentiùs similia beneficia, maximè SS Corporis & Sanguinis communicationem repetivit.

In tertio puncto considera, quòd etiam ex repetitione negationis à S. Petro factæ non modicum pondus tali peccato accesserit, cùm non ex fragilitate duntaxat, sed deliberata voluntate ortum se sumpsisse arguerit, atque adeò meritò Christo tantò magis displicuerit, quantò minùs post tot causas amandi S. Petro datas tam subitam aversionem exspectârat, ita ut meritò ad eundem dicere potuerit, quòd Cæsar Imperator Romanus ad Brutum optimum Amicum suum dixerat, dum ad eundem occisoribus Cæsaris se sociantem dixit: & tu Brute? conclude itaque, cùm tu non ter duntaxat, sed tenties fortè, milliésque eundem Christum negâris, quantam per tot peccata displicentiam & dolorem Christi creaveris, & quàm justas adeò seriæ pœnitentiæ agendæ causas habeas. Resolvè te itaque ad talem pœnitentiam, tibíque dictum à S. Jaanne Bapt. credito? *Pœnitentiam age, quoniam appropinquavit regnum cælorum.* Sin autem, venio tibi Apoc. 2. *Memor esto, unde exciderís, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.*

Meditatio II.

DE PETRO POENITENTE.

Scopus hujus meditationis est, cognoscere, quâ ratione S. Petrus de peccatis suis pœnitentiam egerit, pulchrúmque adeò tibi similis pœnitentiæ agendæ exemplum reliquerit.

In primo puncto considera, quòd S. Petrus non quamcunque pœnitentiam egerit, sed seriam valde, & magnam, id verba Evangelistæ Matthæi c. 26. testantur: *Egressus foras flevit amare!* Quia scilicet illorum verborum Jer. 2. meminerat, & quasi à Christo sibi dicta credebat: *Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem* (& amorem) *mei apud te.* Vide ergo, an non similes flendi causas habeas, tibíque illa Jere-

miæ c. 9. verba appropriandi: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontes lacrymarum? & plorabo die ac nocte.*

In secundo puncto considera, quòd S. Petrus non contentus fuerit, semel defleviſſe peccatum suum, sed per totam tam usque adeò deplorârit, ut, teste S. Silvestro Papa, lacrymæ genas ejus excavaverint, & oculos quasi sanguinantes fecerint, quia videlicet sciebat dictum à Siracide Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Quàm efficaces vero fuerint hæ lacrymæ, testatur S. Leo S. 9. de Passione dicens: *Sancte Apostole, lacryma tua ad diluendam culpam sufficient; virtutem habuêre sacri Baptismatis.* Vide ergo & tu, quàm multò graviores habeas causas ob tot, tantasque peccata tua semper adhuc plangendi, & cavendi, ne novis peccatis cumulum peccatorum, & causas plangendi multiplices; cum, teste S. Gregorio in Pastor. *unusquisque non tantùm pœnitendo compunctionis sua bibat lacryma, quantùm se à Deo meminit amisisse per culpas.* Itaque dictum S. Ambrosij ad Theodosium tibi quoque applica, & quod ille de Davide dixit, hoc tu de Petro intellige: *si secutus es errantem, sequere & pœnitentem.*

In tertio puncto considera, quòd nec hâc pœnitentiâ contentus Petrus, aliam quoque satisfaciendi rationem longe perfectiorem adhibuerit, dum alios quoque quàm plurimos à peccatis abstraxit, & ad similem pœnitentiam perduxit, ut cùm Christus, quod uni ex minimis suis factum est, sibi factum reputet, tantò facilius ab eodem delictorum suorum veniam impetraret, quantò sæpiùs ipsi hoc beneficium in peccatoribus conversis præstitisset; unde meritò S. Jacobus c. 5. dixit: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Cùm ergo & tu non minùs Christum te offendisse agnoscas, & ex altera parte tam bonam occasionem habeas, hoc pœnitentium satisfaciendi genus usurpandi, vide, an non æquissimum sit, ut vel hoc titulo ad animarum salutem strenuè incumbas, & quàm plurimos peccatores ad veram pœnitentiam perducere studeas.

pu

DIES SECUNDA.

Tessera.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. psalm. 50.

MEDITATIO I.

DE PETRO RESPECTO A CHRISTO, Seu DE ADJUMENTIS AD VERAM POENITENTIAM AGENDAM.

SCopus hujus meditationis est, videre, quo potissimùm medio S. Petrus ad pœnitentiam tantam permotus sit, & quomodo tu quoque illud adhibere debeas.

In primo ergo puncto considera, quando & quomodo S. Petrus ad tantas lacrymas & pœnitentiam permotus sit; scilicet tunc, quando, teste S. Luca c. 22. *conversus Dominus respexit Petrum*; hic enim aspectus Christi Petro pectus, velut acutissimus gladius transverberavit, &, ut loco sanguinis copiosæ lacrymæ fluxerint, effecit. Ex quo primùm, idque summè necessarium conversionis & pœnitentiæ adjumentum colligere potes, quod est miseratio Dei ad pœnitentiam movens; *Moysi enim dicit*, Teste S. Paulo ad Rom. c. 9. *Miserebor, cujus misereor: & misericordiam præstabo, cujus misereor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavite, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo, cujus vult, miseretur, & quem vult indurat.* An non ergo merito pro hac misericordia supplicas Deo, clamásque cum S. Davide ps. 50. *Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam?*

In puncto secundo considera, quòd respectus iste, quo Christus Petrum respexit, non nuda miseratio fuerit, sed etiam illustratio copiosa, quâ Deus bonitatem suam infinitam tam multis argumentis antehac Petro demonstratam

ipsi in mentem revocavit, & illam quasi querelam Jerem. 2. iterum repetivit: *Obstupescite cœli super hoc, & porta eius desolamini vehementer, dicit Dominus*: Duo enim mala fecit Paulus, (& Discipulus) meus. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Hâc namque illustratione errorem suum & stultitiam suam clarissimè agnovit Petrus, atque ad eundem detestandum & corrigendum tanto pere commotus est. Vide ergo, quomodo tu quoque, cui Christus simili modo respicere te paratus sit, hanc illustrationem pariter admittere, & consideratione tantæ bonitatem turpiter à te desertæ cum Anna Tobiæ uxore c. 10. irremediabilibus lacrymis, diceréque velis: *Heu, Domine meus, omnia in te uno habens, non te debebam dimittere me.*

In tertio puncto considera, quòd S. Petrus non contentus adjumento hoc ex parte Dei præstito, etiam ipse ex sua parte cooperatus sit, & aliud adjumentum non minùs efficax & necessarium adhibuerit, occasionis scilicet, in qua lapsus est, fugam; nam egressus foras est, teste Evangelista, sicque homines, qui ei peccati & lapsûs occasio fuerant, declinavit. novit quippe suspectum esse dolorem, qui non sufficienter deducit ad relinquendas occasiones peccati; & qui amat periculum, perire in illo. Vide ergo & tu, quæ tibi hactenus occasio petra scandali fuerit, & memor doctrinæ à Christo Marc. 9. datæ: *Si manus tua scandalizaverit te, abscide eam, & projice abs te*: occasionem talem penitus relinque: *juvat enim non quælibet res adepta, vel multiplicata, verùs sed potiùs decisa ex corde radicitus.* Hinc S. Augustinus ad ritè agendam pœnitentiam l. 2. conf. c. 12. primo loco petebat occasionis subtractionem, deinde primum ostendi virtutem, & affectionis sanitatem; quia non ignorabat videlicet, quòd, sicut in pestilentibus locis sensim contractus aër latentem corporibus morbum injicit, ita in prava consuetudine ac conversatione maxima mala hauriantur, etiamsi statim incommodum non sentiatur.

Mi-

MEDITATIO II.

DE PETRO VINCENTE
Seu
DE IMPEDIMENTIS POENITENTIÆ REMOVENDIS.

SCopus hujus meditationis est cognoscere, quænã impedimenta præcipuè S. Petro obstiterint, aut certè obstare potuerint ad pœnitentiam agendam, & quàm efficaciter, fortitérque ea removerit, tibique iterum in ordine ad eundem finem, pulchrum imitationis exemplum reliquerit.

In primo itaque puncto primum impedimentum pœnitentiæ, quod S. Petro obstiterat, considera, difficultatis scilicet horrorem; hunc enim maximè obstare pœnitentiæ, satis clarè Thomas Kemp. l. 1. c. 25. insinuavit, dum dixit: *Vnum est, quod multos à profectu & ferventi emendatione retrahit, horror difficultatis seu labor certaminis.* Sed hoc impedimentum fortiter vicit D. Petrus, dum non tam ad difficultatem hanc, quàm paratum Dei auxilium respexit. Meminit námque, quod Servator Matt. 11. dixerit: *Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, & onus leve*, propter gratiæ scilicet actualis conferendæ copiam. Vide ergo, an non & tibi hoc impedimentum hactenus obstiterit, & eodem, quo D. Petrus, modo vincere stude. Eum in finem revolve, quid Angelus custos quondam Clienti suo dixerit simile impedimentum habenti; cùm enim huic Juveni ingens gigas apparuisset, & ipse ad certamen ab eo vocatus, congredi horreret, Angelus ei assistens hortatus est, ut tantùm animosè invaderet illum, mox enim se auxilium præstiturum, quod cùm fecisset, absque difficultate Gigantem superavit. Idem ergo & à tuo custode Angelo, ipsóque Deo fieri puta, idcóque generosè aggredere difficultatem, & mox auxilium experière; nam, ut idem pius Author l. c. dixit, *illi maximè præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea, quæ sibi magis gravia & contraria sunt, viriliùs vincere nituntur; nam ibi homo plùs proficit, & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat.*

In secundo puncto secundum impedimentum consideta, quod est falsa persuasio, quâ homines peccatores sibi persuadent, nimis triste & melancholicum esse, pœnitentiam agere: cùm talis pœnitens illud S. Bernardi dictum (quod Matthias Faber in conc. 4. de S. Magd. refert) usurpare debeat: *firmum est mihi propositum, nunquam videndi, quousque audiam ex ore DEI illa verba: Venite benedicti. neque à fletu desinam, donec liber sim ab illa sententia: Ite maledicti in ignem æternum.* Sed & hoc impedimentum facilè rejecit Petrus, quia jugum Domini suave esse, non modò firmissimè credidit, sed propriâ etiam experientiâ didicit, unde & ipse prima sua Epistola c. 1. Christianos ad ejusmodi tentationes vincendam propositâ lætitiâ secutura hortatur dicens: *in quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* quanta autem sit hæc lætitia futura, paulò pòst insinuat his verbis: *Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Vide ergo & tu, an non tibi quoque hoc impedimentum hactenus obstiterit, & falsam tuam opinionem corrige, certò tibi persuadens, majores te solidiorésque consolationes reperturum in pœnitentia, quàm inter mundanas consolationes, cùm, si gaudium est in hoc Mundo, hoc utique possideat pura conscientia, teste pio Authore l. 2. c. 6. hujus autem certissimum testimonium sunt lacrymæ pœnitentis, ut quæ, teste S. Augustino s. 11. ad Fratres, *sunt aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur.* Unde meritò S. Chrysostomus ho. 12. in Epist. ad Colos. ait, *nihil esse his lacrymis jucundius, & quovis risu illas jucundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hæc res habeat voluptatem.* illam videlicet, de qua Servator Matt. 5. dixit: *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.*

In tertio puncto considera tertium impedimentum, quod est respectus hominum, à quo, sicut S. Petrus ad peccatum inductum fuisse cognovit, ita, ne deinceps ampliùs à pœnitentia impediret, sedulò cavit, unde in sua Epist. 1. c. 3. adquoque ad eundem respectum & timorem hominum vir dum sollicitè hortatur, dum ait: *Et quis est, qui vobis nocebit si boni amulatores fueritis? sed & si quid patimini propter justitiam beati. Timorem autem eorum ne timueritis,*

nm conturbemini; *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* Considera ergo, an non & tibi respectus iste non modicum ad pœnitentiam obstaculum objecerit? an non apud te quoque, in animo saltem, auditum sit vulgare illud: *quid dicent homines?* quare vel deinceps corrige timorem istum, seriò conferens causas, ob quas DEUM magis respicere & timere, quàm homines debeas, cùm horum favor sit vanus, instabilis, infirmus, & parcus; divinus autem favor solidus, constans, liberalis, potentissimus, atque adeò plùs appetendus, quàm omnium hominum maximus favor. Dic ergo & tu, si homines absterrere à pœnitentia volunt, cum S. Petro: *Obedire* (& respicere ac placere) *oportet DEO magis, quàm hominibus*; si enim hominibus placerem, Christi servus non essem. Oculi ergo mei deinceps semper ad Dominum erunt directi.

DIES TERTIA.

Tessera.

DOmine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matt. 18.

Meditatio I.

DE FERVENTE PETRO.

SCopus hujus Meditationis est, cognoscere fructus pœnitentiæ, quos S. Petrus ex sua conversione retulit, ut & tu per illos ad similem pœnitentiam exciteris.

In primo puncto considera primum fructum pœnitentiæ, qui in ipsum Deum redundabat, amor scilicet vehementissimus, quo D. Petrus in Deum rapiebatur ex consideratione præteriti peccati, cùm enim ipse Christus Luc. c. 7. dixerit, eum, cui plùs dimittitur, plùs diligere, æquissimum meritò agnoscebat, ut, quoniam tam gravem culpam sibi tam benignè remiserat Christus, ardentiùs quoque ipsum diligeret; hinc Jo. 21. rogatus à Christo, an ipsum plùs his (cæteris scilicet Apostolis) diligeret, intrepidè respondit: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Cùm ergo & tibi non unum duntaxat, sed tot, támque gravia peccata, & quidem toties remissa esse agnoscas, vide nunc, quàm efficacem stimulum ad similem,

imò vehementiorem amorem eliciendum, atque adeò primum hunc fructum participandum habeas, ut de te quoque suo modo dici queat, quod Christus S. Magdalenæ, licet in alio sensu dixerat: *Remissa sunt ei peccata multa, quoniam* (aut potiùs ideo) *dilexit multum.*

In secundo puncto secundum pœnitentiæ fructum, qui in proximum redundabat, considera, scilicet commiserationem insignem cum alijs in peccata lapsis; hinc tam suaviter eos ad pœnitentiam & sanctitatem vitæ hortatur dicens: *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis; eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Hunc ergo fructum & tu sanè abundanter percipabis, si per pœnitentiam propria tua peccata frequenter oculis objicias, tunc enim illis pij Ascetæ verbis l. 1. c. 18. teipsum excitabis ad commiserationem, dicésque: *Studeptiens esse in tolerando aliorum defectus, quia & tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari. Si non potes talem facere, qualem vis, quomodo poteris alium habere ad beneplacitum?* si tu eum tot auxilijs toties, & tam graviter lapsus, quid mirum, si alij tantis subsidijs carentes interdum cadant. Nunc autem sic DEUS ordinavit, ut nemo sit sine defectu, nemo sine onere, & sic discamus alter alterius onera portare.

In tertio puncto considera tertium fructum pœnitentiæ, qui in ipsam S. Petri Personam redundabat, erátque eximius fervor, quo præteritam vitam corrigere, & neglectum meritorum cœlestium lucrum resarcire studebat, quem quidem fervorem in tribus præcipuè occasionibus ostendebat. 1. In vehementi odio & fuga omnis peccati, & concupiscentiæ ad peccatum inducentis. 2. In vehementi studio omnes actiones, sive in occulto, sive publico susceptas cum magna diligentia & perfectione obeundi. 3. In vehementi desiderio multa pro DEO, graviáque patiendi. Quæ omnia tum ex Actis Apostolorum, tum ex vita ipsius passim ab Auctoribus descripta patent. Aspice ergo & tu, & imitare hoc exemplar, tantóque fervorem majorem ostendere stude, quanto graviùs te, sæpiúsque deliquisse, adeóque & jacturam meritorum grandiorem fuisse passum cognoscis. Sequere con-

lium

ium S. Pauli ad Ephes. 5. c. dicentis: *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus*; tunc autem juxta S. Thomam in loc. cit. redimitur tempus, quando quis tantò magis vacat bonis operibus, quantò priùs institit malis; nam, ut S. Hieronymus ad Paulinum scripsit, *subitus calor longum teporem &* *iunxit*; & acceleratus equi cursus omnem priorem tarditatem compensat.

MEDITATIO II.

DE PETRO CONSTANTE.

Id est,

Perseverantia pœnitentiæ procuranda.

SCopus hujus Meditationis ex ipso titulo facilè patet, quòd nempe alius non sit, quàm constantia in suscepto Pœnitentiæ exercitio, ut, si cum D. Petro malè cœpisti, saltem cum eodem finias bene.

In primo puncto considera, multis quidem ex capitibus laudabilem fuisse D. Petri pœnitentiam, sed eo maximè, quòd eandem in finem usque continuârit, & operi laudabiliter incepto gloriosam coronidem imposuerit, dum generosam de Tyranno victoriã reportans, cruci affixus inter ardentissima amoris ad Magistri sui conspectũ anhelantis suspiria vitã finivit; hinc alios etiam Christianos tam efficacibus verbis ad similẽ perseverantiã hortatus est in c. 2. ep. 2. dicens: *Si enim refugientes coinquinationes Mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris IESV Christi, his rursus implicati superãtur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus; melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato; contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Vide ergo & tu, quomodo illius exemplo excitatus, similem deinceps in tua pœnitentia perseverantiam obtinere velis.

In secundo puncto considera, quibus motivis se ad talem perseverantiam D. Petrus excitaverit, tribus videlicet. 1. Per exemplum Christi, qui obediens fuit usque ad mortem,

ita ut jure merito ante obitum dicere potuerit: *Consummatum est.* 2. Per DEI constantiam in beneficiis ipsi Petro non solùm in hac vita collatis, sed etiam per totam æternitatem conferendis; quidni enim æquissimum putaret esse, ut ipse vicissim constanter tantum Benefactorem diligeret, & modico saltem tempore, quamdiu scilicet vita præsens duraret, gratum se exhiberet? 3. Per necessitatem hujus perseverantiæ, sciebat namque dictum à Magistro suo Matt. 10. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Et iterum Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Sed & meminerat, quàm amicè illos olim sequentibus verbis sit allocutus: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam in regno meo.* Perpende itaque, quàm efficacia sint hæc motiva ad te quoque excitandum, ut in Pœnitentia nunc proposita & inchoata ad finem usque vitæ perseveres, confidens cum S. Paulo in hoc ipsum, quia, qui cœpit in te opus bonum pœnitentiæ, etiam perficiet usque in diem JESU Christi; illúdque DEI dictum Apoc. 2. tibi applicans: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Certè spes omnes nostræ in consummatione consistunt, teste Eusebio hom. 5. & ideo Jacob Patriarcha olim vidit DEUM in summitate & fine scalæ, non medio vel principio tantem, ut indicaret, non sufficere bene cœpisse, nisi consummatio accedat; unde nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, ut rectè S. Apostolus 2. ad Cor. 2. dixit.

In tertio puncto considera, quem fructum S. Petrus ex hac sua perseverantia retulerit, videlicet ut perinde ac S. Paulus 2. ad Timoth. c. 4. dicere potuerit: *Bonum certamen certavi, consummavi cursum, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex.* Vide ergo, & bene perpende, quàm pretiosus & optabilis sit hic fructus, dignúsque, ob quem magna cum alacritate pœnitentiam etiam durissimam suscipias & ad finem vitæ usque continues; si enim Dæmon ut in Spec. Exempl. dist. 9. ex. 63. refertur, aliquando fateri ausus est, se omnes omnium Damnatorum pœnas usque ad extremum judicij diem libenter toleraturum, modò DEUM vel unico momen-

momento aſpicere liceret; quantò magis tu amariſſimam quantumvis pœnitentiam tantùm uſque ad finem vitæ, qui ſorte brevi adetit, ſuſcipere, & continuare debes, ut DEUM per totam æternitatem aſpicere queas. Unde meritò S. Hieronym⁹ cuidam ob difficultates & moleſtias in eremo tolerandas territo hoc remedium ſuaſit dicens: *Infinita eremi ſaſitas te terret? in Paradiſum mente deambula. Quotieſcunq; illuc cogitatione conſcenderis, toties in eremo non eris.* Quare audi conſilium S. Pauli 1. ad Cor. 15. monentis audi: *Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini* (quale utique præ reliquis eſt veta pœnitentia & emendatio vitæ) *ſemper ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

OCCUPATIONES

Reliquæ pro hoc triduo.

I. Præter has ſex Meditationes, reliquum tempus partim in confeſſione generali facienda; partim in inſpiciendo animæ ſtatu ad ſimilem aliquem modum, qualis in prioribus tribus exemplaribus aſſignatus eſt; partim in lectione ſpirituali libelli alicujus pij, & ad propoſitum tuum idonei conſumes: Ejuſmodi autem libelli exempli gratia eſſe poſſunt, Claudij Viexmontij Libellus de pœnitentia agenda. Ludovici Granatenſis Dux Peccatorum. Hieremiæ Drexelij Æternitas, vel Tribunal ſacrum. Item vitæ aliquæ Sanctorum, qui veram & rigidam pœnitentiam egerunt, ex Petro Ribadeneira, vel alio ſimili libro ſelectæ. Nec ipſe etiam libellus de imitatione Chriſti omitti debet, ex quo lib. 1. c. 25. 18. & 21. hoc triduo legi poſſunt. Quòd ſi verò occaſionem habueris, etiam pœnitentias aliquas externas v. g. flagellationem, cilicij geſtationem, jejunium, humicubationem ſuſcipiendi, iſtas quoque perutiliter aſſumes, nec modicum ad propoſitum finem ſubſidium experiêris.

II. Si autem hæ Meditationes minùs tibi arrideant, poteris ſex alias Meditationes pro eodem tuo fine conducentes, vel ex Sacerdote Chriſtiano vel Exercitiis P. Jacobi Maſenij aſſumere. Ex priore quidem libello ſervire præcipuè poterunt pro prima Meditationes tres fol. 58. 61. 62. de beneficio

cio & Scopo, Vocationis ad Sacerdotalem Statum, donisque & gratiis eximiis huic Statui annexis, quæ proinde tres Meditationes in unam conjungi poterunt. Pro secunda accipi poterit quarta Meditatio ibidem assignata de gravitate peccatorum, quæ à Sacerdotibus committuntur. fol. 65. Pro tertia sumi posset quinta ordine de morte eorum, qui in sacris Monasteriis vitam traduxerunt. fol. 68. Pro quarta serviet sexta de ultimo examine & judicio Sacerdotum. fol. 70. Pro quinta Meditatio septima de luctuosissimo Statu Sacerdotum damnatorum. fol. 73. Pro sexta serviet octava de cælestis gloriæ mercede piis Sacerdotibus præparata. fol. 76. cui etiam nona de cælestis patriæ bonis à Sacerdote in affectu expetendis jungi poterit. Pro lectione verò servire possunt reliqua capita, quæ toto illo libello continentur. In Masenii verò Exercitiis assumi possunt à fol. 447. illæ, quæ ibidem ex instituto pro personis Ecclesiasticis sunt compositæ. Prima de fine & vocatione Ecclesiasticorum l. c. Secunda de peccatis Ecclesiasticorum sollicitè vitandis. fol. 457. Tertia de gravi judicio DEI Ecclesiasticis imposito imminente. fol. 465. Quarta de sanctimonia Ministrorum Ecclesiæ, vi ordinationis, requisita. fol. 476. Quinta de doctrina & virtute Ministrorum Ecclesiæ. fol. 487. Sexta de obedientia, castitate, & paupertate eorundem Ministrorum. fol. 498. quibus lectionis spiritualis loco jungi possunt etiam septima de charitate, Zelo, & patientia. fol. 508. & octava de perfectione & conjunctione cum DEO Sacerdotibus necessaria. fol. 517.

III. Ut ergo totum hunc tractatum de Theologia Mystica seu sacro secessu ritè instituendo concludam, hic tibi eorum, quæ in eodem dicta sunt, usum sedulum & crebrum commendo, ut meritò cum S. Davide Ps. 76. dicere possis: *Memor fui DEI, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit Spiritus meus. Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam Spiritum meum. Numquam in æternum proïciet DEVS, aut continebit in ira misericordias suas? Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextera excelsi.*

APPE

APPENDIX

Divisionem Octiduanæ Recollectionis Religiosis, præcipuè Sacerdotibus, perfectionis studiosis, & solidam virtutum exercendarum praxin addiscere volentibus accommodatam continens.

PROOEMIVM.

INter alia impedimenta, per quæ multi à profectu in perfectionis studio impediuntur, illud non postremum meritò censetur, quòd debitam perfectionis, & virtutum cognitionem & æstimationem necdum hauserint; cùm enim ignoti nulla cupido sit, quid mirum, si ardens desiderium perfectionis ac virtutum consequendarum non hauserint, qui nunquam de illarum seu præstantia, seu utilitate seriam cogitationem conceperunt; certè in meditatione potissimùm hunc ignem desiderij exardescere, jam olim Regius Psaltes Ps. 38. testatus est. Quare ut hoc impedimentum efficaciter tollatur, non parùm proderit, seriam aliquando de hac materia cogitationem per aliquas dies suscipere; quem in finem sequentes Meditationes sunt compositæ, in quibus & Natura singularum virtutum Homini perfectionis studioso convenientium clarè exprimitur, & motiva, mediáque ad earum consecutionem adjuvantia suppeditantur.

Ut autem ordo in hac distributione observatus, qui ab Ordine consueto ac à S. Ignatio præscripto nonnihil recedit, novus aut inusitatus non videatur,

tur, sciendum est, ipsum S. Ignatium in annotatio-
nibus suis monere, non esse necessarium, ut omnes
semper Meditationes ab ipso præscriptæ ei, qui se
exercet, proponantur, sed posse interdum solas pri-
mæ hebdomadæ Meditationes, subinde alias, prout
videlicet finis & necessitas illius exigere videbitur,
præscribi. Cùm ergo finis Religioso præfixus præ-
cipuè exigat, ut in perfectionis studium totis vi-
bus incumbat, meritò eidem de charitate, in qua
jnxta Ascetas perfectio consistit, aliisque virtutibus
annexis Meditationes præscribuntur, ex quibus ut
optatus fructus referatur, non parùm proderit, si in
Instructione mea Institutiones quintuplicis Theo-
logiæ continente Tractatus secundus attentè legi-
tur, ex eo enim & ipsa Natura perfectionis, & in-
gularum virtutum inter se connexio, subordinatio-
que clarissimè cognoscetur. Præter hunc Tracta-
tum verò etiam utiliter alius liber de eadem materia
pro lectione spirituali assumetur, quales exempli
gratiâ esse possunt Alphonsi Rodriquez Tractatus
de perfectione, & variis virtutibus ad eandem per-
tinentibus. Franciscus Arrias de imitatione Chri-
sti, Crombezius de perfectione, Cressolius aut Re-
signolius de virtutibus. Eusebius Nierenbergius de
adoratione in Spiritu & Veritate, & similes; quibus
jungi poterit lectio Vitæ unius vel alterius Religio-
si, qui in eadem Religione Spiritum eidem conve-
nientem perfectiùs est assecutus, ut ex tali lectione
simul & finis Religioni tali præfixus clariùs cogno-
scatur, & animus ad eundem totis viribus sectan-
dum vehementiùs accendatur, dum non difficilius
ampliùs reputatur, quod jam ab alio factum constat.
Nec
citur.

Nec tamen putandum est, hæc Exercitia ad Religiosos sic pertinere, ut non æquè Sacerdotibus convenire censeri possint, cùm enim hi Vicarij sint Episcoporum, qui, quia alios perficere debent, in statu perfectionis jam constituti esse censentur, meritò ab ipsis quoque ob paritatem causæ par perfectio requiritur, atque adeò perfectionis naturam cognoscere, mediáque ad eandem acquirendam vel augendam convenientia adhibere debent, quæ quidem præsens divisio copiosè illis suppeditabit.

Quòd si minùs placeat, omnes Meditationes eo, quo positæ sunt, Ordine assumere, & meditari, possunt tamen illæ adhuc servire pro specialibus Meditationibus, ita ut si quandoque materia de simili virtute præscribatur, ea ex hac divisione assumatur. Sed & considerationes pro singulis diebus assignatæ utiliter etiam, si alia materiarum divisio assumpta fuerit, usurpabuntur.

Cùm verò non parùm conducat ad Meditationes has majori cum fructu peragendas, si priùs natura perfectionis bene intelligatur, visum est non inutile futurum, si breve ejusdem compendium præmittatur, quod quidem sequens paradigma exhibebit.

Compendium
PERFECTIONIS CHRISTIANÆ.

§. I.

In quo consistat Christiana perfectio.

COnsistit perfectio in actionibus perfectis, perfectæ autem actiones sunt, quæ supremæ regulæ & ideæ omnis perfectionis, videlicet Rationi & Voluntati divinæ undequa-

quaque sunt conformes; erunt autem undequaque conformes, si quoad *substantiam* ipsam, quoad *modum*, & quoad *finem* faciunt conformes, id est, si semper egerimus, quod vult DEUS, *quo modo* vult, & *quia* vult; id quod breviter & nervosè expressit, qui dixit:

Omne tulit punctum, patitur qui semper agitque,
Quæ vult, quóve modo vult DEVS, & quia vult.

Hinc colligitur I. Rectè à Christo omnes ad perfectionem vocatos esse, dum dixit: Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est, quia omnes possunt & debent ad imitationem cælestis Patris omnia sua opera bene facere.

Colligitur II. S. Ignatium rectè dixisse, hominem creatum esse ad hoc, ut Dominum DEUM suum laudet, reveretur, amet, eique serviens salvus fiat; nam hæc omnia sua qui actiones suas perfectè ut suprà diximus, absolvit, quomodo enim opus suum Artificem magis laudare, aut servus suo Domino melius servire, aut Sponsa suum Sponsum perfectius amare potest, quàm si faciant semper, quæ, quo modo, & quia Artifici, Domino, aut Sponso placent?

Colligitur III. Ex his tribus capitibus profectum in perfectione metiendum esse, ita ut ille perfectior censeatur, qui facit, quæ DEO magis placent, & modo, qui magis placet, & puriùs, quia DEO placent. Quolibet enim ex his tribus capitibus suos gradus habet. Nam 1. Substantiam operis quod attinet, magis DEO cæteris paribus placet, quæ plus charitatis continent, illa autem plus charitatis continent, quæ magis difficilia sunt, aut majorem abnegationem involvunt, aut non ad propriam tantùm, sed alienam etiam salutem promovendam diriguntur. 2. Modum quod attinet, tantò magis is placet DEO, quantò majori cum alacritate, diligentia, & constantia spirituali peraguntur. 3. denique Finis operis tantò perfectior est, quantò minùs de solido proœmio, aut laude humana admittitur.

Colligitur IV. Religiosi perfectionem maximam, ut bene notavit P. Hugo Roth, in eo consistere, ut communia Religionis suæ opera perfectè obeat, atque adeò illud semper agat, quod obedientia præscribit; & eo modo agat, quem in Regulis & Instructionibus assignat; & propter eum finem agat, quem Religio præfigi jubet, scilicet propter solum divinum beneplacitum.

§. III. Quo

§. II.

Quibus motivis animus excitandus sit ad perfectionis prædictæ studium.

QUia optima seu perfecta vita præstat *gratissimam Deo & Sanctis obsequium*; cùm ergo Homini Deum amanti, & Scopum suum sollicitè persequenti (qualis meritò supponitur esse quivis Christianus, & multò magis Religiosus, & quidem Societatis JESU) nihil magis in votis esse debeat, quàm ut Deum & Sanctos recreare, & colere modo perfectissimo possit, facilè apparet, hoc motivum esse fortissimum ad perfectionis studium toto animi conatu suscipiendum.

II. Quia optima seu perfecta vita præstat ipsi Operanti *summum solatium*, & inchoatam beatitudinem; si ergo per omnes suas actiones nihil aliud quærit homo, quàm ut ipsi bene sit; cur non illius rei studium cum summo desiderio, fervore, atque constantia suscipiat, & prosequatur, per quod sit semper bene, imò optimè erit, non in altera duntaxat, sed etiam hâc mortali, & miseriis obnoxiâ vitâ?

III. Quia optima seu perfecta vita præstat *optimum ad salutem alienam promovendam subsidium*; quia operantem cum Deo maximè conjungit: si ergo qui artem aliquam profitetur valde honorificam, & lucro augendo idoneam, nihil magis optat, quàm ut optima ad artem talem exercendam instrumenta habeat, cur Religiosus, qui artem curandi & salvandi animas omnium dignissimam, & lucrosissimam profitetur, non summo studio optimum ad artem hanc efficiter exercendam instrumentum, id est, optimam & perfectam vitam procuret?

§. III.

Quibus medijs ad dictam perfectionem connitendum sit.

ESt ardens desiderium consequendi perfectionem, quod concipietur, si bene ponderetur, quòd perfectio, cùm consistat in amore seu unione cum Deo, sit unio quædam hypo-

hypostatica, adeóque sicut Christus per unionem hypostaticam obtinuit summam dignitatem, sanctitatem, scientiam Potestatem, Felicitatem in hac & altera vita, ita idem etiam suo modo Religiosus per studium perfectionis spera possit. Si item perpendat, quantum gaudium & beneplacitum per studium perfectionis causaturus sit Deo, Christo, B. V Sanctis Patronis, Superioribus, Domesticis, Externis, D functis, & sibi ipsi maximè, ante, in, & post mortem.

II. Est diffidentia in proprijs viribus, & magna confidentia in divina gratia, quæ proinde assiduò per oration usum Sacramentorũ, & virtutum variarum ad eum finem rectarum exercitium, & maximè per cultum & invoca nem constantem B. V. & SS. Patronorum procuranda el

III. Est fortis constantia in removendis impedimen quæ potissimùm impediunt perfectionis studium. Sun tem duo principalia, scilicet voluptas alliciens, & difficu tas absterrens, ad quæ duo impedimenta revocari possunt mnia alia, hinc jam olim Ethnici ad veram sapientiam denti sola illa duo documenta: Sustine, & abstine: tradi runt. Ut autem facilè hæc duo documenta observes, op mum est medium summa æstimatio de Deo, si videlicet tò tibi persuadeas, te, quidquid creaturæ voluptatis aut noris offerre possunt, infinities meliùs in Deo possidere, deóque quidquid Deo te magis conjungit, meliùs tibi & consequenter quæcunque adversa non modò timenda esse (cum Deum tibi eripere non possint) sed potiùs magno gaudio amplectenda, ut quæ Deum perfectiùs dere te faciunt.

IV. Est studiosa & constans praxis, quæ in tribus pr mum industriis consistit. Prima est, ut omnia opera ordinata sint, & illi, quod Deus aut obedientia requirit totus animus applicetur absque ulla sollicitudine de sequ tibus. Secunda est, ut ideam actionis illius peragendæ fectissimam sibi proponat, & eam quàm perfectissimè imitari studeat. Talis autem idea tum ex Christi exem tum ex natura & fine ipsius actionis desumenda, &, ut quentius inspici, animóque imprimi possit, etiam in c breviter annotanda est. Tertia est, ut frequenter se tat super actiones suas, cúmque in finem non tantùm

ipsam actionem, sed etiam in quotidianis examinibus, & hebdomadarijs menstruísque recollectionibus inquirat, quantum ab idea proposita recesserit, & quomodo errorem à se commissum emendare velit.

V. Medium est humilis longanimitas, quâ indignum se judicet tantâ cum Deo conjunctione & familiaritate, adeóque non inordinatè tristetur, si advertat, se necdum tantùm, quantum optabat, profeciſſe, sed potiùs gratias pro minimo etiam profectu tanquam pro summo beneficio persolvat, patientérque in inferiori gradu exspectet, donec benignissimus Deus humilitate tanta permotus dicat: Amice, ascende superius. Dicat ergo frequenter cum S. Bernardo: Diligam te, Domine, pro dono tuo, & modulo meo. Si quantum debeo non possum, non possum tamen ultrà, quàm possum; potero verò plus, si plus dare dignaberis. Imperfectum meum viderunt oculi tui, sed tamen in libro tuo omnes scribentur, qui, quantùm possunt, faciunt, etsi quod debent, non possunt.

Meditatio Proœmialis.

De fine horum Exercitiorum.

Punctum I.

Considera I. Christum, dum exercitia hæc auspicaris, iterum quasi illud prov. 8. repetere: deliciæ meæ esse cum filijs hominum, ideóque de cœlo descendere, tuámque animam manu sua quodamodo apprehendere, diceréque ad Sanctos & Angelos suos: ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Oseæ 2.

Considera II. Si etiam maximi quique Domini hujusmodi felices sese putant, si quandoque à curis domesticis vacare, atque adeò in solitarium quendam locum recedere liceat, licet locus taljs peccatorum potiùs, aliorúmque sæpe malorum occasionem præbeat, quantò feliciorem, tu te æstimare debeas, quando non modò concessum tibi à negotijs quietem esse advertis, sed ad eam etiam solitudinem & recreationem invitari, in qua cum amabilissimo animæ tuæ sponso suavissima miscere colloquia, atque in omni virtute, sanctitatéque perfectissimè erudiri possis.

Considera III. Quanta proinde cum promptitudine atque

alacritate tantum ductorem tuum sequi, atque omnia illius verba utpote verba vitæ, excipere avidissimè, diligentissimèque custodire, & exequi debeas. Colloquium ad SS. Pp.

Punctum II.

Considera I. Quem ob finem Christus te ducat in hanc solitudinem, 1. Ut videlicet loquatur ad cor tuum, illudque expugnet, ut tandem aliquando renunciet mundo, & carni solique Christo adhæreat, verbo: ut fias vir secundùm cor Dei, qui facias omnes voluntates ejus.

Considera II. Quàm præstans sit iste finis, quámque copiosos ex eo fructus tibi polliceri queas, eos videlicet, quos Deus Davidi, quis, (ut habetur Act. 13.) erat talis virinedùm cor Dei, promisit psal. 88. dum dixit: *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur illi, & brachium meum confortabit eum*; nimirum & te oleo veræ lætitiæ (quam ex conscientia tranquillata concipies) unget; ita & manus ejus auxiliabitur tibi, copiosa auxilia conferendo, ad negotia tua perficienda, cum fructu deinceps obeunda, & tandem brachio suo confortabit te, ut contra omnes hostes tuos tam externos, quàm internos superior victórque evadas.

Considera III. Quàm æquum sit, ut propter tam excellentem, utilémque finem, quidquid ad hunc secessum pertinet, summa cum diligentia alacritatéque perficias. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid maximè Christus à te requirat, ut prædictum finem obtinere valeas, nimirum ut aditum ad cor tuum ei concedas, & quò plenius perfectiúsque vocem illius excipere possis, nullis hoc tempore curis aut desideriis te occupes.

Considera II. Quomodo aditum Christo ad cor aperire possis, si scilicet magno animo & liberali ad hæc exercitia accedens, totum studium & arbitrium tuum offeras tuo Creatori, ut de te, tuísque omnibus id statuat, in quo potissimùm ipsi servire possis juxta beneplacitum ejus.

Considera III. Si filij hujus sæculi tam frequenter se

u regendos aliorum committunt arbitrio, licet tam facilè ijs decipi possint, & verò etiam sæpè decipiantur, quantò entiùs tu temetipsum totum arbitrio Dei tui regendum mmittere debeas, utpotè quem scis & sapientissimum, & amantissimum esse atque adeò nihil aliud suasurum, nisi od & ipsi maximè honorificum, & tibi utilissimum esse gnoverit; Dic ergo cum S. Davide, Paratum cor meum us, paratum cor meum,; & cum Samuele: Loquere Dine, quia audit servus tuus; Colloq. ad Christum, cum na tui in manus illius resignatione.

Pro Prima Die.

Meditatio I.

De fine Hominis, et Religiosi, vel Sacerdotis.

Essera. Fecisti nos Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. Aug. l. 1. Confess.

Punctum I.

Considera I. Cùm Deus universa propter semetipsum oratus sit,, uti prov. 16. dicitur, meritò inde deduci, homiquoque finem ultimum esse Deum, atque adeò rectè à gnatio dictum esse, quòd homo creatus sit, ut Dominum um suum revereatur, & amet, eique serviens salvus fiat.

Considera II. Religiosi vel Sacerdotis finem in eo maxiè differre à fine Hominis, quòd Religiosus vi status sui, & diorum, quæ à Religione ei offeruntur, teneatur perfeori quodam modo servire Deo, unde sicut optima Chriani hominis perfectio est, præcepta Dei, & Ecclesiæ perfe observare; ita optima quoque Religiosi hominis vel Sadotis perfectio est, communia quæque Religionis vel staopera exactè juxta ejusdem Regulas perficere.

Considera III. Si quivis Christianus summas jure meritò eo gratias agere tenetur, quod è tot millionibus infidem electus, atque ad Christianam Religionem, in qua ser- e Deo regnare est, admissus sit, quantam tu gratiarum a- onem eidem Deo tuo debeas, qui è tot millionibus non to- m infidelium sed etiam Christianorum, te licèt prorsus

immerentem elegit, atque in Religiosum vel Ecclesiasticum statum, in quo inter intimos illius amicos vitam beatam degeres, innumerásque cœlestium meritorum opes jugiter comparares, tam benevolè vocavit, an non ergo exclamabis cum S. Davide, quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. Colloq. ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quemadmodũ in rebus naturalibus experientiâ quotidianâ compertum est, nullam earum quiescere posse, donec locum finémque suum naturalem obtineat (in aëre, terra, igne, & aqua maximè videre est) ita idipsum de homine quoque meritò dici posse, ut scilicet tamdiu quietem sibi polliceri nõ possit, donec in fine suo ultimo, propterquẽ creatus est, requieseat, hinc rectè S. August. dixit: Fecisti nos, Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Considera II. Quàm vera sit hæc doctrina, quàm frequentibus multorum, & Salomonis maximè, experimentis comprobata, si enim ille, qui omnia, quæ desideravit oculi ejus, non negavit eis, nec prohibuit cor suum, quin omni voluptate fruerctur, adeò tamen his rebus satiatus est, ut fateri coactus sit, vidisse se in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole, quamvis minùs requies sperari poterit ab alio, qui ne millesimam quidem eorum bonorum partem percipere potest?

Considera III. Quantò minùs aliquis Religiosus vel Sacerdos quiescere unquam possit, si finem, propter quem Religionem vel statum Ecclesiasticum venit, obtinere non studeat; an non de illo verificabitur sapientissimum illud Thomæ de Kempis, l. 1. c. 25. effatum: *Religiosus negligens ac tepidus habet tribulationem, super tribulationem & in omni parte patitur angustiam, quia interiore consolatione caret, & exteriorem quarere prohibetur*, an non ergo ut mentorum more omnia, quæ à finis tui centrîq; consecutione impediunt, cum summa violentia removebis, ut tandem aliquando ad optatum perfectionis, amorisque divini portum pervenias? Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm hactenus te impediverit, quo minùs finem tibi in Religioso vel Ecclesiastico statu præfixum consequi toto animi conatu nitereris, an non exigua de vocatione bonísque in statu tali contentis æstimatio? an non defectus seriæ resolutionis, quâ resolvere te debebas, ad mundum ejúsque vanitates penitùs abnegandas, Christíque jugum suave suscipiendum? an non neglecta considératio finis, propter quem sub Religionis tuæ vel Ecclesiæ vexillum convolâsti?

Considera II. Si, ut quietem corpori concedas, omnia, quæ eam impedire possunt, tam solicitè removes, quantò magis, ut jugem animo tuo quietem in hac etiam vita conciles, prædicta impedimenta omni studio removere debeas. Oh aliquando (ut cum Horatio loquar) frigida curarum fomenta relinquere posses; quò te cœlestis sapientia duceret, ires. Hoc opus, hoc studium, constanti pectore versa.

Considera III. Quibus medijs dicta impedimenta removere velis, videlicet dignitatem, felicitatémque tui status frequenter & accuratè perpendendo, sæpius quoque illud S. Bernardi tibi accinendo: Bernarde: ad quid veniſti? atque adeò generosam tandem resolutionem concipiendo non priùs quiescendi, donec à Mundo, rebúsque omnibus creatis avulsus, soli Deo tuo totus adhæreas. Verbo: illud deinceps in ore, animóque erit perpetuò: *aut mori, aut sanctum fieri.* Colloq. ad Christum.

Meditatio II.

De Peccatis.

Punctum I.

Considera I. Quantum malum sit vel minimum peccatum veniale, quòd scilicet sit majus malum omnibus penuriis, opprobriis, morbis, tormentis, & ipso inferno, unde communis est sententia Doctorum, neque pro omnibus à se, & toto Mundo avertendis malis vel minimum peccatum veniale licitè perpetrari posse; quàm ipsam gravitatem clariùs perspicies ex gravitate pœnæ, quâ Dominus DEUS pec-

catum veniale punire consuevit; cùm enim minime peccata veniali maxima, saltem Purgatorij pœna debeatur, & hæc juxta D. Thomæ, & aliorum Doctorum sententiam gravior sit omnibus pœnis totius mundi collectivè sumptis, facilè apparet, valde displicere debere DEO peccatum veniale, quod tam gravibus pœnis castigat; Quis enim si videret Sponsam alicujus Regis charissimam jussu ipsius Regis forcipibus laniari, & postea in ardentem rogum aut fornacem injici, judicaret leve esse crimen, ob quod tali supplicio afficeretur? cur ergo leve ducat veniale peccatum, propter quod à DEO charissimas sibi Sponsas tam gravibus Purgatorij pœnis adjudicari credit?

Considera II. Si unicum peccatum veniale tam grave, & DEO tantopere displiceat, quantum damnum tibi attulerint hactenùs, quantúmque à DEO averterint, tot támq; gravia peccata venialia à te per totam vitam commissa?

Considera III. An non summoperè ex hoc capite emolescere, dolere, & gravissimum erga peccata venialia odium concipere, omníque conatu ea deinceps evitare debeas? Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Si peccatum veniale tam grave malum est, quàm grande malum debeat esse peccatum mortale, quod omnia peccata venialia collectivè accepta longè superat, ita ut juxta communiorem Theologorum sententiam nulla creatura pro illo satisfacere possit. O si aliquem Regem adeò iratum cerneremus, ut nec per Aulicos, nec per ipsam Reginam placari posset, quàm grave censeremus crimen, per quod adeò offensus fuisset; quàm gravem ergo oportet esse peccati mortalis gravitatem, quæ adeò nobis offensum DEUM reddit, ut nec omnium Sanctorum & Angelorum merita, nec profusus tot Martyrum sanguis, nec ipsius cœlestis Reginæ intercessio placare eum potuerint, sed necesse fuerit ipsum DEUM de Cælo descendere, & pro tali peccato satisfacere.

Considera II. Si Aulici terrenorum Principum tam sedulò cavent, offensas etiam leviores Principum, ob quas tamen fortè non nisi speciales aliqui favores eis negantur, ve-

officia & dignitates jam collatæ auferuntur, aut omnino vita corporalis eripitur, quantò majori industria evitare debeas peccatum quodvis mortale, per quod tam gravem offensam incurris illius Domini, à quo tota corporis & animæ Felicitas dependet, & qui tam gravibus tormentis utrumque torquere, & quidem per totam æternitatem solet.

Considera III. An hactenus hanc veritatem sufficienter perpenderis, & quomodo deinceps saltem gravitatem peccati mortalis magis æstimare, & studiosius illud non ipse modò evitare, sed alios etiam ad illius fugam incitare velis. Colloquium ad B. V. sine macula conceptam, rogando demissè, ut perfectum tibi cujusvis peccati odium, atque à DEO immaculati animi gratiam impetrare dignetur.

Punctum III.

Considera I. Quantopere ij, qui gratiâ alicujus Principis terreni exciderunt, non modò laborent, ut amissam recuperent, sed etiam occasiones omnes novæ offensæ, causásque ad eam impellentes fugiant. quanto item fervore se Principis obsequiis impendant, ut priores offensas fideli servitio compensent, séque in principis favore firmius stabiliant.

Considera II. Quantò magis peccator laborare debeat, ut cum Summo DEO in gratiam redeat; quanto item studio omnes peccandi occasiones devitare, quanto fervore divino servitio, & mandatorum observationi se impendere debeat, ut favorem tanti domini in hac & altera vita constanter experiri possit.

Considera III. Quænam hactenus potissimæ fuerint causæ & occasiones, per quas in tot tantáque peccata præcipitatus fuisti, an non concupiscentia voluptatum, aut honorum? quo ergo medio eas deinceps removere debeas, & velis. Colloquium ad Christum crucifixum, pro peccatis nostris mortuum, cum congruis affectibus. Aliud item ad æternum Patrem deprecando per merita Christi, ut te Filium suum prodigum suscipere, & stola primæ gratiæ suæ induere dignetur.

CONSIDERATIO
DE SENSUUM CUSTODIA.
Pro prima Die.
Punctum I.

EXamina te 1. Quomodo custodias oculos, cavendo ab aspectu non necessario Mulierum, Puerorum formosorum, proprij corporis, morum alienorum, Rerum curiosarum.

Examina te 2. Quomodo custodias aures ab Auditu sermonum noxiorum (ut sunt detractiones, murmurationes) Levium (ut sunt Ludicræ, & parùm Religiosæ facetiæ, aut narratiunculæ) impertinentium (ut sunt nova de bellis, aliisve variarum Regionum gestis aut eventibus) suavium (ut sunt Musica, Instrumenta extra Templum, & profanæ Cæciones) periculosorum (ut sunt colloquia cum Mulieribus, vel formosis Juvenibus.)

Examina te 3. Quomodo custodias Gustum, cavendo, ne præproperè (id est extra tempora prandij & Cænæ) nimis ardenter & lautè (id est, delicatiores cibos appetendo) studiosè (id est, condimenta ciborum inordinatè, & voluptatis tantùm causâ adhibendo) comedas aut bibas?

Examina te 4. Quomodo custodias Odoratum à nimia delectatione hausta, ex floribus, variis suffitibus, Balsamo, Moscho, Unguentis?

Examina te 5. Quomodo custodias Tactum ab illicita & sensuali contrectatione Mulierum, Puerorum, Tui ipsius, Bestiarum, aliarum rerum mollium.

Punctum II.

Perpende motiva ad sensuum accuratam custodiam, inducentia. Primum est. Quia per sensus malè custoditos admittur concupiscentia, & per hanc peccatum, si ergo domum tuam claudis, ne ingredi possit, qui tibi aut domesticis noceat, cur non magis claudes portas sensuum, per quas concupiscentia, & cum hac malorum maximum, scilicet peccatum ingreditur.

Secun-

Secundum est. Quia per sensuum custodiam amor Animæ erga DEUM mirè declaratur, illáque vicissim à DEO singulariter amari meretur; id ut clariùs cognoscas, Finge Sponsam Regis à variis Procis ad adulterium solicitari, quorum unus preciosas imagines, alter jucundissimam Musicam, tertius splendidissimum convivium, quartus odores suavissimos, quintus dulcissima oscula in præmium promittat; quos tamen omnes ipsa generosè repellat, asserens se omnia hæc dona longè excellentiùs in suomet Sponso possidere; an non hanc Sponsam, si Sponsus ejus hoc certamen in occulto arbitratus esset, mirè recreaturam Sponsum suum, ejúsque amorem sibi demerituram putas? atqui idem facit Anima sensus suos severè custodiens: cur ergo non similem amorem à Sponso suo DEO exspectet?

Tertium est. Quia sensuum custodia est Mater orationis, & consolationum cælestium, uti experientia quotidiana confirmat.

Punctum III.

Inquire media ad hanc custodiam procurandam apta: Primum est, ut frequenter & accuratè perpendas conditiones voluptatum carnalium, quæ sequenti districho explicantur.

Noxia, vana, brevis, falsa est, turpisque Voluptas,
Ferre solet solus, gaudia vera DEVS.

Secundum est. Ut supra singulorum sensuum custodiam aliquot diebus aut hebdomadibus examen particulare facias.

Tertium est, ut, ubi sensum aliquem ad voluptatem ex rebus creatis hauriendam incitari advertis, mox eidem meliorem aliquam voluptatem ex ipso DEO petitam objicias, quê in finem juvabit quasdam jaculatorias preces in promptu habere, quarum aliquæ Generales sint pro omnibus sensibus, aliquæ particulares pro aliquo duntaxat sensu; Generales esse possunt: quis ut DEUS? DEUS meus & omnia; Renuit consolari Anima mea, memor fui DEI, & delectatus sum. Delectare in Domino, & ipse dabit tibi petitiones cordis tui. JESUS Sole serenior, & Balsamo suavior, omni dulcore dulcior, & cunctis amabilior.

Particulares esse possunt pro Visu, Quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram? Averte oculos, ne videant vani-

vanitatem; in via tua vivifica me. Pro Auditu: JESU decus Angelicum, in aure dulce canticum, in ore mel mirificum, in corde nectar cælicum. Nil canitur suavius, auditur nil jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm JESUS Dei Filius, Domine, quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Sonet vox tua, mi JESU, in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Pro Gustu. Tua JESU dilectio, grata mentis refectio, replens sine fastidio, dans famem desiderio; Qui te gustant, esuriunt, qui bibunt, adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi JESUM, quem diligunt; Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Pro Odoratu. Trahe me post te; curremus in odorem unguentorum tuorum. Pro Tactu: Quocunque loco fuero, mecum JESUM desidero, quàm lætus, cùm invenero, quàm felix cùm tenuero. Tunc competens, tunc oscula, quæ vincunt mellis pocula, sed in his parva morula, JESU fruar per sæcula.

Pro I. Die.

MEDITATIO III.

DE MORTE RELIGIOSI VEL SACERDOTIS.

Punctum I.

CONsidera I. Quid sit mors quoad suam substantiam; nimirum separatio animæ à corpore, Amici ab Amicis, Possessoris ab omnibus rebus possessis. Item quod sit iter in æternitatem, transitus in regionem incognitam, ingressus in alteram vitam.

Considera II. Circumstantias hujus itineris, quando scilicet suscipiendum sit; quàm periculosum sit ob Latronum infernalium infestas insidias, quem in eo comitem habiturus sis, neminem scilicet, nisi SS. Patronos, & bona opera; quantum proinde momenti in illius felici successu sit positum, cùm ab eo tota dependeat æternitas, sive inter summa gaudia, sive inter summa tormenta transigenda.

Considera III. Si homines hujus Mundi ad itinera sua minoris longè momenti tam studiosè se præparant, & tam maturè sibi de omnibus ad talia itinera necessariis prospiciunt, quan-

quantò magis tu ad tanti momenti, támque periculosum iter te maturè ac solicitè præparare, ac media ad illud prosperè ac securè obeundum conquirere debeas. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quid potissimùm conducere possit ad iter illud securè peragendum, nimirum si tuis impensis triplicem tibi exercitum conscribas, qui te cum tuis opibus, bonis inquam, operibus contra omnes hostium insidias defendat. Primum ex his exercitibus Fratres tui constituunt, quos suis precibus plurimùm juvare, ac defendere posse in hoc certamine, variis ex historiis constat. Secundum Sancti tui Patroni cum B. Virgine, & S. Angelo Custode çonstituent, quorum præsidio fretus jure animæ tuæ dices: *Noli timere, plures enim pro nobis sunt, quàm pro illis.* Tertium exercitum Deus ipse constituet, quo vallatus audacter dices cum S. Davide Ps. 26. *Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Item cum S. Paulo: *Si DEUS pro nobis, quis contra nos?*

Considera II. Quænam sint illa stipendia, quibus dictos tres exercitus tibi demereri, & ad defensionem tui pro illo articulo maximè suscipiendam permovere possis. non alia certè, quàm sinceri & constantis cultûs; cultum autem eorum aptissimum, gratissimúmque esse scito, optimam vitam, id est, instituto, regulísque conformem; hanc si obtuleris, paratum in omnes casus eorum subsidium, certámque ex eorum protectione victoriam tibi polliceri poteris.

Considera III. Quomodo hactenus prædicta stipendia his exercitibus obtuleris, aut offerre deinceps velis. Colloquium ad B. V.

Puuctum III.

Considera I. Cùm ex una parte nihil in alterum orbem tecum afferre liceat, nisi opera bona, ex altera verò parte tantùm gaudij, & non ampliùs in cælis percepturus sis, quantùm ijsdem bonis operibus tuis emeris, quàm æquum sit, ut totum te hisce divitiis congregandis impendas, maximè cùm ipse etiam, quo haud dubiè ardes, in DEUM amor id suadeat, quem tantò copiosiùs per totam æternitatem glorificabis, &

ama-

amabis, quantò plùs de lumine gloriæ per eadem opera tua obtinueris.

Considera II. Cùm nescias, quantum tempus tibi superest ad dictas bonorum operum divitias colligendas, hactenus autem satis negligentem te hac in collectione ostenderis, an non vel ipsa ratio, & amor tam DEI, ut dixi, quàm tui ipsius dictet, summopere laborandum tibi esse, ut, quando in arbitrio tuo (adjuvante tamen divina gratia) positum est, majoris, minorísve valoris opes congregare, omnem tuum conatum ad præstantissima quæque, summéque meritoria opera exercenda convertas.

Considera III. Quænam illa sint opera, quæ plurisà DEO æstimantur, copiosiúsque præmiantur, illa videlicet, quæ si latij parùm, aut nihil, difficultatis verò ac laboris multùm continent, qualia sunt, multum pro DEO injustè pati, vim sibi ipsi, suóque appetitui constanter inferre, pro aliorum salute multa ac molesta exercitia suscipere, minima officia eligere, & cum gaudio administrare &c. Vide itaque, quomodo his operibus exercendis te hactenus impenderis, velcerè impendere deinceps velis. Colloquium ad Christum.

Pro II. Die.

Meditatio I.

DE JUDICIO PARTICULARI.

Tessera.

DOmine, non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Psal. 142.

Punctum I.

Considera I. Quid sit judicium hoc, nimirum examen, de profectu in arte amandi DEUM, propter quam addiscendam & exercendam in Mundum hunc vel Academiam missi sumus.

Considera II. Si Discipuli hujus Mundi tantùm sæpe timorem concipiunt, quando examinis tempus imminere advertunt, cùm tamen neque de omnibus materiis se examinandos sciant, neque graviorem pœnam, quàm levis infamiæ, modicæ percussionis, aut detrusionis ad inferiorem scholam

scholam timere possint, quantò majorem & justiorem tu timorem concipere debeas illius examinis, in quo à severissimo, justissimóque Judice omnium non modò actionum, verborúmque, sed etiam cogitationum ratio exactissima exigetur, & ita quidem, ut omnis à te commissus error, si non exclusione ab æterna beatitudine, & descensu ad infernum, certè gravissima pœnarum purgantium inflictione sit castigandus.

Considera III. Quàm ineptè hactenus & imprudenter egeris, tam exiguam pro hoc examine solicitudinem gerendo, ad modum scilicet socordium puerorum, qui omnem discendi curam ad ultima propè anni tempora differunt, quo tamen tempore plerumque serò cum Phrygibus sapiunt; detestare ergo puerilem socordiam, novúmque seriæ præparationis ad hoc examen propositum concipe. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quàm solicitè ij studiosi, quibus examen subeundum est, inquirant, quænam quæstiones ab Examinatoribus proponantur; quámque accurata diligentia ad eas quæstiones, si fortè eas per astum, vel fraudem intellexerint, bene resolvendas sese præparent, & exerceant.

Considera II. Quantò feliciorem tu existimare hac in parte te debeas, ut cui ultrò omnes quæstiones, quæ eo in examine formabuntur, detectæ sint. an non enim ex te quæretur, quomodo præcepta DEI & Ecclesiæ, Regulas, & Constitutiones tui Ordinis, mandata tuorum Superiorum particularia, & ipsa tandem, quæ DEO feciſti, vota servaveris? quanta ergo diligentia te ad has quæstiones præparare, quámque frequenter te in horum omnium capitum observatione exacta exercere te debeas.

Considera III. An & in quibus quæstionibus adhuc debilem te agnoscas, & quomodo vel deinceps meliùs te ad easdem resolvendas præparare velis. Colloquium ad Beatam Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quanta solicitudine studiosi eo tempore, quod examen antecedit, & pro themate faciendo concessum est,

est, eos errores corrigant, quos fortè in eodem themate aut deprehenderint ipsi, aut ab aliis ostensos agnoverint; quamque summè reprehensibilis censeretur ille adolescens, qui multiplices illos errores, quos in thema suum irrepsisse cognovisset, tempore ad correctionem concesso corrigere omitteret, atque adeò ultrò se pœnis ob negligentiam in examine decernendis objicere vellet.

Considera II. Quantò major tua Socordia foret, si hoc vitæ tempore, quod ad corrigendas tuas malas cogitationes tam benignè concessum est, ad alias ineptias abuteteris, atque cum tot erroribus ad rigidissimum illud examen accedere olim non horreres.

Considera III. Quomodo ergo deinceps omnia illa media, per quæ actiones erroneæ corriguntur (qualia sunt examina Conscientiæ, confessio, contritio, oratio, amor &c.) seriò arripere, per eáque omnes tuas actiones, vitámque ab erroribus liberare velis, ut potiùs cum gaudio ad illud examen accedere, justámque non ascensûs solùm ad Cælos, sed etiam præmij æterni, laudísque publicæ olim à supremo Judice referendæ spem justam concipere possis. Colloquium ad Christum &c.

Pro II. Die.

Meditatio II.

De Purgatorio.

Punctum I.

Considera I. Quàm graves sint illæ pœnæ, quæ in Purgatorio infliguntur, nimirum quòd, teste S. Gregorio, gravior sit futurus ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita, imò, ut ait Cæsarius, quidquid pœnarum in hoc sæculo potest aut cogitari, aut videri, aut sentiri, unde etiam B. Maria Magdalena de Pazzis divinitùs edocta esse omnia tormenta, quæ passi sunt tot Martyres, esse instar amœni horti respectu pœnarum Purgatorij.

Considera II. Si Christus in monte Oliveti tantum ex imminentis passionis consideratione horrorem atque tristitiam percepit, ut etiam sanguineum sudorem profunderet, & tristem esse animam suam usque ad mortem affirmaret, quan-

tum

quam tu timorem Purgatorij concipere debeas, cujus pœnas ipsa etiam Christi passione acerbiores esse S. Thomas 3. p. q. 46. art. 6. ad 3. docet.

Considera III. An hactenus, ut par erat, has pœnas consideraveris, & æstimâris, & quomodo vel deinceps per eatum salutarem timorem te ad religiosæ perfectionis studium excitare velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quàm leves ob causas hæ pœnæ etiam ab ipsis Religiosis, & sanctis Viris incurrantur; nam ex variis historiis constat, alios Purgatorio adjudicatos esse propter pauca verba in templo sine necessitate prolata; alios propter disciplinam sine facultate factam, alios propter distractiones in oratione admissas, alios propter negligentiam in communione suscipienda, alios propter nimiam familiaritatem, & solatiola ex conversatione quæsita &c. imò in annalibus Societatis habetur, B. V. cuidam apparuisse, & dixisse, quòd salvus quidem futurus, sed 4. annis in Purgatorio mansurus; Socius verò ejus, quem nominabat, paulò pòst secuturus, duobúsque annis ibidem hæsurus sit, licèt uterque religiosissimam vitam duxerit.

Considera II. Quantùm ex talibus historiis, pluribúsque aliis timorem jure merito concipere debeas; si enim in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?

Considera III. Quomodo vel ex hoc momento varia media ad illum ignem effugiendum conducentia inquirere, eáque diligentissimè, constantissiméque deinceps adhibere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Inter media, per quæ adulti Purgatorium evadere possunt, certissimum meritò haberi martyrium; cùm communis sit sensus Ecclesiæ, Martyres sine Purgatorio ad cælos transire, atque adeò injuriam facere Martyri, qui pro eo orat.

Considera II. Juxta S. Hyeronimi testimonium in epist. 27. ad Eustoch. non solùm effusionem sanginis in Martyrio repu-

reputari, sed etiam devotæ mentis servitutem immaculatam quotidianum Martyrium esse; illo quidem, quo membra ferro ceduntur, horrore mitiùs, sed diuturnitate molestius, ut S. Bernardus dixit: Imò Religiosi ratione triplicis voti triplex Martyrium subeunt; nam 1. S. Angelus Martyr apareus B. Magdalenæ de Pazzis dixit, animam, quæ posset paupertatem, usurpare sibi coronas Martyrum. Deindè de castitate S. Ambrosius dixit, non ideò esse laudabilem Virginitatem, quia in Martyribus reperitur, sed quia Martyrem facit. Deinde inhærere frangendæ voluntati, Martyrium esse, Theodorus Studita testatus est.

Considera III. Quàm promptè hoc Martyrium subire debeas, ut purgatorij evites pœnas, maximè cùm insuper tantam gloriam, præter remissionem pœnæ istius merearis. Eum in finem perpende, quid hominem illum fatuorum putares, cui gravissimorum tormentorum reo optio data esset, ut vel post aliquot hebdomades, omnia sibi decreta tormenta sustineret, & quidem absque ulla spe veniæ, aut etiam præmij vel levamenti; vel certè hodiè statim loco tormentorum illorum colaphum susciperet, ea tamen conditione, ut & ampliſſimum præmium perciperet (si patienti & forti animo eum exciperet) & priùs illi remedijs variis robur vigórque animi ad eum generosè excipiendum conciliaretur? an non promptissimè hanc posteriorem optionis partem eum acceptarum putares: atqui similem tibi quoque à Deo optionem factam puta, dum in tuo positum est arbitrio, an in hac vita per tribulationes patienter perpeſſus aut certè in altera per pœnas purgatorij satisfacere malis an non ergo priorem partem eliges? certè si futuras purgatorij pœnas cordialiter perpenderes, credo, quòd libentèr dolorem & laborem sustineres, & nihil rigoris formidares, inquit Thomas de Kempis. l. 1. c. 24. Colloq. ad Christum.

Pro

Pro secunda Die.

CONSIDERATIO
DE LINGUÆ CUSTODIA.

Punctum I.

EXamina te quomodo artem loquendi didiceris, quæ in tribus maximè consistit. 1. Ut parùm loquamur. Itaque Examina te, an suo tempore silentium accuratè observes: an non de te tuisque rebus sine necessitate aut fructu loquaris, adeóque negligas sapientis consilium. Eccl. 32. datum: Adolescens loquere in tua causa vix? an non in quotidianis colloquiis plùs æquò garrias, iterum immemor instructionis à sapiente datæ, eodem loco. In medio Magnatorum (quales ob virtutem meritò credis esse Fratres tuos) non præsumas, & ubi sunt senes, non multùm loquâris, sed potiùs audi, & tace, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

II. Ut consideratè loquamur, & os sicut loculos aperiamus. Itaque examina te, an facilè & libenter de rebus ad te non pertinentibus (puta ijs, quæ à sæcularibus geruntur, quæ in bello fiunt) loquaris, an jocos facetiásque parùm religiosas in colloquio usurpes? an verba mendacia, vel certè amphibologica absque justa causa proferas.

III. Ut charitativè loquamur. Itaque examina te, an de Superioribus tuis aut etiam alijs hominibus facilè murmures? an aliorum famæ detrahere soleas? an mordacibus aut acerbioribus verbis ullum ex Fratribus tuis, aliísve lædere nonunquam audeas?

Punctum II.

Perpende motiva ad hanc artem addiscendam. Primum est, quia hæc ars Religiosis quasi propria est, teste S. Jacobo c. 1. si quis putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est Religio.

Secundum est, Quia hæc ars est quasi firmissimus murus, defendens hominem à multiplici peccato, quod, teste sapiente prov. 10. in multiloquio non deerit, hinc idem prov.

25. dixit: ſicut urbs potens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.

Tertium eſt, Quia optimum eſt medium ad perfectionem conſequendam. Hinc Arſenio petenti oſtendi viam ad ſalutem, cælitus vox allapſa dixit: Fuge, tace, quieſce, & ſilvaberis. Unde meritò S. Jacobus c. 3. dixit: ſi quis in ſermone non labitur, hic perfectus eſt vir.

Quartum eſt, Quia verbum dulce multiplicat amicos Eccl. 6 Deum ſcilicet & homines; Et favus mellis compoſitus verba, prov. 16. ſingularem ſuavitatem Deo, proximo, & ſibi cauſantia.

Quintum eſt, Quia lingua Sacerdotis Religioſi Deo conſecrata eſt, ad laudandum ſcilicet eum, per officium divinum, & conciones; & eundem per modum rhedæ in ſonum chum quotidie transvehendum. An ergo piaculum grande duces, calicem, aut Ciborium Deo conſecratum ad profanos uſus adhibere, & non magis vereberis linguâ Dei, tot támque titulis ponderoſis ſacratâ ad ipſius offenſam, verbóſque ac ludicros ſermones proferendos abuti?

Punctum III.

Inquire media ad hanc artem addiſcendam.

Primum eſt, ſilentium accuratè ſervare. Hinc Pythagoras quinque annorum ſilentium diſcipulis ſuis impoſuit, ut hanc artem diſcerent; Et meritò, quia nemo ſeverè loquitur, niſi qui libenter tacet, teſte Thom. de Kemp. l. 1. c. 20.

II. Eſt, firmum facere decretum, nunquam de ſe aliquid laudabile, nunquam de alijs aliquid reprehenſibile proferendi.

Tertium eſt, non eſſe citatum in linguâ, juxta conſilium S. Spiritûs Eccl. 4. Itaque juxta ejusdem monitum c. 28. Aurum tuum & argentum confla (id eſt, omnes vires tuas congrega) & verbis tuis facito ſtateram, & frænos oris tui rectos, & attende, ne labaris in lingua tua. Hinc S. Auguſtinus ſuaſit, ut omne verbum priùs veniat ad limam, quam ad linguam, ſeu, ut Germani dicunt, Wäg/ehe du wagſt. S. Paulus c. 4. ad Coloſſ. hortatur, ut ſermo noſter ſit ſalle conditus; ô quàm cautè ſalem aſpergimus!

Quartum eſt, ita loqui, ac ſi tota Civitas, aut locus, in qua

quo habitas, audiret, aut certè sermo tuus typo publico esset vulgatus; an non enim saltem Deus audit, qui pluris à te æstimari debet, quàm omnes homines, & Angeli? An non ille in medio tui & illius, qui loquitur, consistit, repetítque suum illud: quos confertis sermones ad invicem?

Quintum est, dare operam, ut proficias in Spiritu, tunc enim in te locum habebit illud Eccl. 6. bonus homo de bono Thesauro cordis profert bonum; Ex abundantia enim cordis os loquitur. Item illud Ecclesiæ: Repleti sunt Spiritu Sancto, & cæperunt loqui magnalia Dei.

Sextum est, tollere radicem, quæ garrulitatis, & omnium vitiorum inde ortorum causa est. Hanc autem radicem indicat Thomas Kemp. l. 1. c. 10. dum ait: ideò tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare. Et multùm libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui, & cogitare, Ita ille. Stude ergo, nihil aliud quærere, & amare, nisi Deum, & S. Beneplacitum ejus, & totam garrulitatis, & filiarum ejus originem sustulisti.

Pro secunda Die.

Meditatio III.

De Æternitate.

Punctum I.

Considera I. Quid sit æternitas; videlicet tempus sine termino, cujus diuturnitatem, ut vel obscurè intelligas, finge membranum magnitudine cælo similem, numerisque novenarijs impletam; finge quoque ex altera parte post elapsos tot annos, quot illis numeris novenarijs comprehendantur, unicam guttulam maris, & hoc exhausto arenam unicam, & his etiam ablatis unicum folium arboris tolli aut annihilari; quantum spatium non interea interceſſurum arbitraris, dum vel unica guttula auferenda esset, quid ergo senties de tempore, quod interea labetur, dum omnes guttæ maris, arenulæ terræ, foliáque arborum (adde si placet, etiam atomos aëris) auferrentur?

Considera II. Si is, qui equum vendens, pro primo equi clavo tantùm unum obolum, pro altero duplicatum, pro tertio quadruplicatum, & sic deinceps petijt, tantum nihilominus pretium ob 32. duplicationes (nam 32. erant clavi) petijsse compertus est, ut etiam ditissimus Emptor persolvere equum non posset, quantum in cumulum excrescens tot novenarij toties sibi supperadditi, quoties amplissimum orbis spatium id fieri permitteret?

Considera III. Quàm digna sit hæc ponderatio æternitatis, ut in ea frequentiùs nos occupemus, cùm unicuique sive pœnæ, sive præmio non modicum pondus sit additum, quomodo proinde tu deinceps cum S. Davide cogitare diem antiquos, & æternos in mente habere velis. Colloq. ad SS.PP.

Punctum II.

Considera I. Si homines ægri, dum vel unica nocte dormire non possunt, tantam molestiam percipiunt, ut multis etiam voluptatibus oblatis in præmium, non denuò eam susciperent; si ijs, qui dentium, aut oculorum, aut renum dolorem sentiunt, intollerabilis ille paucorum etiam dierum spatio videtur, si animæ pœnis purgatorij, aut etiam inferni addictæ nonnunquam fassæ sunt, unius horæ, quam illis in pœnis transegerunt, spatium adeò longum sibi visum esse, ut annos centum, aut plures eo in loco se commoratos esse putarent, quanta accessio dolorum & pœnarum per ipsam æternitatem futura sit? si ergo ad redimendum brevem dolorem dentium ultrò à voluptatibus abstines, ultrò remedia etiam acerba eligis; an grave tibi quidquam videbitur, si exigatur ad ipsos inferni æternos cruciatus arcendos?

Considera II. Si homines tot labores & incommoda perferunt in cibis conquirendis, & præparandis, ut momentaneam gulæ voluptatem percipiant; si multi longissima tempora in durissimis servitijs exigunt, ut pauculis annis inter delicias & honores vivere possint; si dæmon olim fateri est coactus, se, si unico momento Deum intueri liceret, omnia omnium damnatorum tormenta ad ipsum usque judicij diem libenter toleraturum, quid non tu libenter & quidem per totum vitæ tempus, & agere, & pati debeas, ut per totam æter-

æternitatem sanctissimo Dei aspectu fruaris, eámque voluptatem percipias, quæ in nullius hominis cor ascendit.

Considera III. Si tam multi tantos labores & difficultates sive in scribendis libris, sive in periculis superandis, sive in voluptatibus respuendis, sive in ipsa morte obeunda, tam generosè exhauserunt, ut immortalem sibi in hoc mundo gloriam, eámque falsam & vanam parerent, quid tibi difficile accidere possit, ut in omnem æternitatem non apud paucos tantùm, incognitósque, sed omnes homines, quin & Angelos ipsúmque Deum summam verámque gloriam ac laudem obtineas. Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quomodo saluberrimam hanc æternitatis considerationem in praxin reducere possis, nimirum si quotidiè saltem semel, dum cubitum secedis, æternitatis memoriam renoves, atque ita te compares, ac si eâ adhuc nocte dictæ æternitatis aditus tibi aperiendus esset; Deinde, si quoties tentatione aliqua v. g. vanæ voluptatis pulsaris, mox æternitatem tormentorum tibi objicias, occinásque: momentaneum, quod delectat: æternum quod cruciat; Econtrario verò, si tribulationes ingruunt, mutato ordine exclames: momentaneum, quod cruciat: æternum, quod delectat.

Considera II. Quam efficax sit hæc praxis, quamque multorum insignibus conversionibus eadem non semel sit confirmata.

Considera III. Quomodo tu eam hactenus arripueris, aut arripere certè deinceps velis. Colloq. ad Christum.

Pro tertia Die.

Meditatio I.

DE VIRTUTE IN GENERE.

Tessera.

Punctum I.

Considera I. Quid sit virtus in genere, nimirùm quòd nihil aliud sit, quàm habitus, per quem ad o-

perationes rationi conformes inclinamur; unde virtus Religiosa dici poterit habitus, per quem ad actiones instituta & vocationi nostræ congruentes inclinamur.

Considera II. Cùm Religio sit status tendentium ad perfectionem, & Sacerdotium quasi status perfectorum aliosque perficere volentium, meritò ab illis exigi, non quarumcunque, sed solidarum ac perfectarum virtutum studium, quæ quidem soliditas & perfectio consistit in tribus capitibus, 1. Ut eliciatur ex *motivo supernaturali*, pio, vel ob honestatem propriam hujus virtutis, quatenus ad consequendam Beatitudinem conducit: vel propter beneplacitum voluntatem Dei &c. 2. Ut sit *discreta* juxta illud S. Bernardi; *Tolle discretionem, & non virtus, sed vitium erit.* 3. Ut sit *constans*, id est, inter adversa æquè ac prospera non exerceantur; unde virtus vera ac ficta se habent sicut pulchritudo faciei naturalis, & adscita per fucos, quarum hæc calidam aquam faciei superinfundas, mox evanescit, non illa.

Considera III. An & quomodo tu hactenus veris, solidisque virtutibus studueris, & deinceps studere velis. Colloq accommodatum ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quæ & quanta motiva habeas ad studium hoc virtutum toto animi conatu suscipiendum, cùm plane de virtute possessor illius dicere possit, quod Salomon de Sapientia dixit: *Omnia bona mihi pariter venerunt cum ea, & innumerabilis honestas per manus illius.*

Considera II. Veritatem hujus sententiæ per singula bona discurrendo, Nam 1. cum virtute obveniet tibi bonum *utile*, quia, teste S. Bernardo, *veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas conscientia secum portat, ut in æternum dives fiat.* Hinc S. Paulus 1. ad Tim. c. 4. *Exerce te ad pietatem &c. quia pietas ad omnia utilis est*; ad obtinenda necessaria juxta promissum Christi. *Quærite primùm Regnum Dei &c.* ad debita purgatorij solvenda, ad magnam gloriam in Cœlis comparandam, ad fructum insignem in salute faciendum, quia virtus dat functionibus Operarij Evangelici authoritatem, efficaciam, securitatem &c. 2. Cum vir-

virtute obveniet bonum *delectabile*; nihil enim solidiorem & veriorem voluptatem conciliat, quàm virtutis studium, & quidem ante mortem (juxta illud sapientis, Proverb. 15. *secura mens quasi juge convivium*; Et juxta testimonium Thomæ Kemp. l. 2. c. 6 *si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo*) in morte (quia teste Eccl. cap. 1. *Timenti Deum benè erit in extremis*) post mortem, quia *opera eorum sequuntur eos*, Apoc. 14. Hinc audient: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* 3. Obveniet bonum *honestum*, quia sola virtus veros honores parit, uti olim indicarunt Romani, dum duo templa, unum Honori, Virtuti alterum ita ædificârunt, ut nemini accessus ad Honoris templum pateret, nisi qui per virtutis templum priùs transijsset, hinc S. David psal. 72. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus &c.* Aspice Paulos, Antonios, & Franciscos &c. & dictum S. Davidis abundè confirmatum deprehendes.

Considera III. Quàm efficacia sint hæc motiva ad animum tuum in virtutis amorem concitandum; an non exclamabis cum Salomone sap. c. 8. *proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens, quoniam mecum communicat de bonis, & erit allocutio cogitationis & tadij mei.* Colloquium ad B. V. velut omnium virtutum Magistram, &c.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs veras, solidásque Virtutes acquirere possis, videlicet ijs, quæ sequentibus duobus versiculis comprehenduntur.

Exopta, medituare, ora, ac operare frequenter,
Excute te crebrò, longanimisque manè.

Considera II. Quàm apta & efficacia sint hæc media ad dictas Virtutes obtinendas, cùm duo præcipuè ad omne virtutis exercitium requirantur, scilicet auxilium seu gratia Dei, & cooperatio hominis; hoc autem utrumque caput exactissimè per supradictas sex industrias procuretur.

Considera III. Quanta cum alacritate atque constantia deinceps hæc media adhibere debeas, & velis, cùm videas, easdem, & longè majores industrias pro falsis, vanis, brevi-

bus, turpibus, & noxijs voluptatibus, honoribus, divitijsque consequendis adhiberi; an ergo patiêris filios sæculi providentiores esse filijs lucis? an non illud à virtute tibi cum S. Augustº. dictum putabis: *Potuerunt isti & iste, & tu non poteris?* Colloquium ad Christum Magistrum omnium virtutum, pete à Deo in discipulum suscipi.

Pro tertia Die.

Meditatio II.

DE FIDE RELIGIOSI, VEL SACERDOTIS.

Punctum I.

Considera I. Sicut fides circa eos articulos, quos Ecclesia credendos proponit, communiter & rectè fundamentum esse dicitur Christianæ perfectionis, ita in Religioso quoque, vel Clericali statu, sicut major requiritur perfectio, ut perfectius quoque fundamentum, id est, fidem perfectiorem requiri, de qua verissimè pronuntiari potest illud S. Paulini Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: Unde S. Theresia dixisse fertur, omnes defectus Religiosorum ex veritatibus fidei non satis penetratis oriri.

Considera II. Quatuor potissimùm veritates esse, circa quas credendas Religiosi vel Sacerdotis fides maximè occupari debet. Prima est, quòd *Deus sit ubique*, juxta illud Act. 17. *Non longè est ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Secunda est, quòd nihil nobis accidat sine Dei voluntate, juxta illud Eccl. 17. *Bona, & mala, vita & mors, Paupertas & honestas à Deo sunt.* Tertia est, Quòd Deus solus infinito modo contineat omnem bonitatem, quam in rebus creatis appetere possumus, juxta illud Jerem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Quarta est, Quòd omnia, quæ proximo nostro facimus, sibi facta reputet Deus, juxta illud Matt. 25. *Quamdiu fecistis uni ex minimis, meis, mihi fecistis.*

Considera III. Quomodo & quàm firmiter tu has veritates hactenus animo impresseris, crediderisque, an non ei

defici-

defectu hujus fundamenti tam parùm hactenus in perfectione profeceris. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quos fructus tibi meritò polliceri possis, si prædictas veritates memoriæ, animóque firmiter impresseris, & juxta eas deinceps te tuásque actiones ordinaveris, quod nimirùm perinde ut orbis priùs tenebris immersus ad solis adventum totus quodammodo reviviscere, & renovari videtur, ita & tu similem effectum sperare possis, si splendidissimum fidei hujus lumen animo tuo illuxerit. In specie verò quatuor effectus producet similes ijs, quos sol materialis splendore suo ac luce efficere solet; Primus est, quòd, sicut lucifugæ aves sole orto fugiunt, ita fides de præsentia Dei omnia peccata (quæ noctem amant) fugabit; si enim, ut Seneca dicere ausus est magna peccatorum pars tollitur, si peccaturis testis assistat; an non rectiùs dicetur: tota peccatorum caterva tollitur, si peccaturis Deus assistat? Secundus effectus est, quòd, sicut sole adveniente spectra fugiunt, ita fides, quâ creditur, omnia nobis ex voluntate Dei accidere, omnem malorum timorem fugabit; hinc prov. 12. Spiritus S. ipse testatur; *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Tertius est, quòd, sicut sole adveniente homines somnum excutiunt, & operari incipiunt, ita fides, quâ creditur, omnia Deo fieri, quæ proximo fiunt, somnum accidiæ & languoris in salute propria & aliena procuranda fugabit, atque ad labores maximos in vinea Domini suscipiendos animabit. Tunc nimirum dicetur, *Hora est jam nos de somno surgere, abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis &c.* ad Rom. 13. Quartus est, Quòd, sicut sole adveniente terra optimos quosque fructus, & flores pulcherrimos producit, ita fides quoque, quâ creditur, Deum solùm vere bonum esse, præstantissimas quasque virtutes in anima generabit; nam rectè S. Greg. in Ezech. dixit: *Non virtutibus geni tur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes.*

Considera II. Quàm præclari sint hi effectus, & quam optandi cuivis quidem Religioso vel Sacerdoti, sed ei maximè, qui hactenus in nocte imperfectionum & peccatorum ver-

versatus, somno languoris potissimam vitæ suæ partem impendit.

Considera III. Cùm in tua potestate sit efficere, ut lumen istud fidei animo tuo oriatur, an non æquissimum sit, ut quàm celerrimè illud oriri facias, caveásque, ne deinceps unquam occidat tibi, sed dictos effectus constantissimè tibi producat. Colloq. ad B. V. quæ in fide semper constans permansit.

Punctum III.

Considera II. Quibus mediis efficere possis, ut suprà descriptam fidei virtutem, tantorum bonorum radicem, non sine insigni quodam augmento obtineas. Præter alia maximè conducere arbitror. Primum est, ut sæpius hanc virtutem à Deo petas, claméque cum Apostolis; *Domine adauge nobis fidem.* Secundum est, ut sæpius pro materia meditationum prædictas quatuor veritates eligas, & earum vim & efficaciam benè apprehendere coneris. Tertium est, ut in ipsa praxi frequenter has veritates adhibeas, ad actiones tuas ordinandas, v. g. si actionem periculosam susceperis, prius actum fidei de præsentia Dei elicias: si cum proximo agendum est, priùs tibi imagineris Christum à te illam actionem velut sibi exhibendam exigere; proderit ad hunc finem examen particulare per aliquod tempus usurpare.

Considera II. Quàm salutaria simul & facilia sint hæc media ad insignem profectum in dictæ virtutis studio faciendum.

Considera III. Quomodo tu hactenus ea adhibueris, ut certè adhibere deinceps velis. Colloq. ad Christum, ad Deum Patrem, &c.

Pro tertia Die.

Consideratio
PRO PACE ANIMI PROCURANDA

Punctum I.

Perpende I. In quo consistat vera pax animi, id ut cognoscas, scito duplicem esse pacem animi, veram scilicet, & fal-

sum. De falsa Thomas de Kemp. l. 3. c. 25. locutus est, dum dixit: *Non existimes, te veram pacem invenisse; si nullam inferis gravitatem, nec tunc totum esse bonum, si neminem habeas adversarium, nec hoc esse perfectum, si cuncta fiunt secundùm affectum tuum: neque tunc aliquid magni te fecisse reputes, aut specialiter dilectum existimes,* si in magna facris devotione, atque dulcedine &c. De vera pace locuti Angeli Lucæ 2. dum cecinerunt: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; item Christus Joan. 14. dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis:* Confistit ergo hæc pax in eo, ut animus tuus nullo inordinato affectu, aut passione, qui sunt quasi hostes animæ tuæ, turbetur.

Punctum II.

Perpende II. A quibus rebus vel affectibus pax animi tui hactenus fuerit turbata, & quomodo occurrendum sit; ni fallor, invenies, quatuor præcipuè rebus esse turbatam. Prima est *culpa mordens*, ob quam inordinatè angebaris. Occurre 1. recordando, Deum, si ex fragilitate corruas, compati potiùs, quàm indignari, sicut solet Mater, quando Filium ex morbo convalescentem relabi videt: 2. Sequere morem B. Aloysij, qui, si deliquisse se aliquid cognoscebat, non nimia tristitia contrahebat animum, sed semel ad Dei pedes abjiciens, séque confessione expiaturum decernens, animóque dolens acquiescebat, dicere etiam solitus, nimium de levibus & quotidianis erratis affligi, indicium esse hominis semet ignorantis, qui enim se nôrit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum, ac spinarum suaptè sponte feracem esse. 3. Imitare pueros generosæ indolis, qui à fortiori prostrati mox surgunt, & audacius contra eum insurgunt, non sine recreatione & voluptate insigni aspicientium, licet denuò prosternantur.

Secunda res pacem turbans est, *cura pungens*, maximè ex negotijs aut officijs contracta; Occurre 1. & S. Ignatium imitare, qui noctu ante somnum negotia sequentis diei ordinabat; hinc valde pacificè eadem postero die transigebat; 2. Non plura negotia suscipe, quàm spectatis viribus commodè perficere possis. 3. Præsenti negotio totum te impende

pende, occinens tibi vetus illud: *Hoc age*: sic præteritorum te operum nunquam pœnitebit, & de futuris bene sperandum erit. 4. Certò tibi persuade, fieri quidem posse, ut negotium susceptum tuo aliorúmque gustui contrarium eritum sortiatur, nunquam tamen fieri posse, ut DEO non probetur, si, quod in tuis fuerit viribus egeris.

Tertia est *affectio vigens*, ut S. Jacobus c. 4. monet dicens: *Vnde bella & lites in Vobis? nunquid hinc ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris?* Ergo occurre 1. affectum tuum totum in DEUM transferendo, quia sic omnia in DEO possidebis, desinésque alia extra DEUM concupiscere, & malè habere. 2. Bene perpende, quod sapienter Thomas de Kemp. l. 3. c. 27. advertit, dicens: *Iuvat non quodlibet res adepta, vel multiplicata exterius, sed potius contempta, & decisa ex corde radicitus.* Ergo *tene breve & consummatum verbum, dimitte omnia, & invenies omnia, relinque cupidinem, & invenies requiem*, ut idem Author l. 3. c. 32. ait.

Quarta est, *Afflictio torquens*, sive à DEO probante, sive à Dœmone insidiante, sive ab homine persequente immissa occurre 1. Omnia accipiendo & aspiciendo ut beneficia specialia, ut argumenta, quibus de profectu tuo in Virtute fiat periculum. Cogita, afflictiones esse similes imaginibus duplicatis ex una parte DEUM, ex altera Dœmonem referentibus, quas, à quo latere aspicias, non parùm refert, ad varios in te affectus conciliandos. 2. Da operam, ut te sincerè oderis, quia sic omnem te affligentem inter Amicos potiùs & Benefactores, quàm inimicos numerabis, quia in hoste tua persequendo te juvat. 3. Stude crescere in amore DEI, & incipies sitire tribulationes, & si quis calicem ijs refertum offerat, gaudebis potiùs, ægésque gratias, quàm tristitiam accipies.

Punctum III.

Perpende, quanto studio hanc quærere debeas pacem. 1. Quia alioqui Christus tecum non habitabit, cùm in pace factus sit locus ejus. Psal. 75.

2. Quia nihil æquè necessarium utiléque est ad spiritualis divitias Virtutum, meritorúmque cælestium augendas, cum bellorum tempore pauci ditescant.

3. Quia

3. Quia si pace civili nihil hominibus optatius, jucundiúsque accidit, multò majorem meritò lætitiam & voluptatem à pace interna animi sperare licebit; certè si gaudium ch in hoc Mundo, hoc utique possidet puri (& quieti) cordis omo, & si alicubi est tribulatio & angustia, hoc meliùs no vit mala conscientia, inquit Thomas de Kemp. l. 2, c. 4.

Pro III. Die.

Meditatio III.

De spe Religiosi, vel Sacerdotis.

Punctum I.

Considera I. Diabolum duobus potissimùm modis impedire Religiosos, ne magna aggrediantur opera ad suam, proximíque salutem promovendam, scilicet pusillanimitate tædio, illà conatur efficere, ut se non posse magna arbitrentur operari; hoc verò efficere studet, ut non velint aggredi, licèt posse se non diffidant.

Considera II. Contra geminam hanc tentationem Religioso aut Sacerdoti velut tutissimum scutum spem Apostolicam offerri, quæ in duobus potissimùm capitibus consistit, videlicet, ut certò sibi persuadeant, DEUM copiosa illis auxilia ad omnes statui ac vocationi ipsorum convenientes unctiones largiturum, & ampliſſimam præterea pro minimo etiam labore mercedem oblaturum; his enim duobus inditijs haud difficulter ab omni pusillanimitate tædióque liberabitur.

Considera III. An non & tu hactenus suprà dicta duo impedimenta senseris, in tuæ alienæque salutis ac perfectionis studio promovendo, & quomodo deinceps ea per spem Apostolicam paulò antè explicatam removere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quantos fructus polliceri sibi possit Religiosus, vel Sacerdos, si firmam de gratia vocationis, præsertióque sibi promisso spem conceperit; Eos breviter DEUS ipse

ipse per Jeremiam c. 17. indicavit, his verbis: *Benedictus Vir, qui confidit in Domino. Et erit Dominus fiducia eius, & erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit, cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Clariùs hunc fructum explicavit Granatensis in Duce peccatorum, l. 1. c. 8. p. 2. dum ait: *Nihil omnipotentiæ DEI ctariorem reddit, quàm quòd omnipotentes faciat eos, qui sperant in se*; Hinc S. Paulus tam audacter pronunciat: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ad Philip. c. 4.

Considera II. Quàm optandus hic fructus sit omnibus quidem Religiosis & Sacerdotibus, sed ijs maximè, qui præter suam etiam proximi salutem curandam susceperunt, quique adeò meritò SS. Ignatius & Franciscus Xaverius, aliique insignes Operarij inter aptissima ad hunc finem obtinendum media spem istam atque fiduciam numerârint, audacter effarentes, tantùm per nos DEUM operaturum, quantùm fiducia nostra in eum fiducia extenderit.

Considera III. An hactenus, ut par erat, hanc Virtutem æstimâris, ejúsque studio te impenderis, aut quomodo tandem deinceps illi studere velis.

Punctum III.

Considera I. Sicut Philistæi videntes tamardua facinora Samsonem patrare, omnem suam curam eò verterunt, ut intelligerent, in quo Samsonis robur consisteret, eóque illum privarent, ita Diabolum quoque, cùm advertat Religiosos & Sacerdotes tam egregia opera in suam aliorúmque salutem perficere, sciátque juxta testimonium Isaiæ c. 30. *in silentio & spe eorum fortitudinem consistere*, omnem lapidem movere, ut hanc spem & fiduciam ipsis eripiat, unde latemoperè sollicitus esse debet Religiosus vel Sacerdos, ut firmas in hac virtute radices figat.

Considera II. Ad hunc finem non modicè conducturum si bene ponderet, inprimis quidem causas, propter quas meritò summam de gratia vocationis fiduciam concipere possit. Prima est, quia agitur de honore DEI; hinc Religiosus cum Josue dicere potest; *Quid faciet magno Nomini tuo?* Jos.

secunda est, quia laboratur pro re summè DEO desiderata, consequenda, si ergo Deus Beseleel spiritu DEI, Sapientia & intelligentia, & scientia in omni genere replevit (ut Exod. 30. legitur) ut tabernaculum materiale DEO gratum conficeret, quid non faciet ijs, quos elegit, ut ex animabus faceret templum DEI sanctum: infinities ei magis dilectum, quàm illud materiale fuerit? Tertia est, quia pro Christo legatione fungitur talis Religiosus vel Sacerdos, ut S. Paulus 2. ad Corinth. 5. de se dixit; quidni ergo omnia ad hanc legationem necessaria speret? an non audiet à Christo: *Ego dabo vobis os & sapientiam &c.* 2. Math. 10. Pari modo juvabit etiam considerare causas, ob quas extraordinarium præmium sperare possit Religiosus vel Sacerdos. Quarum prima est, puritas motivi, scilicet sola DEI Gloria; unde quò minorem mercedem accepit in ista Vita, tantò majorem accipiet in altera. Secunda est, operum præstantia; nam, teste S. Dionysio, *opus divinissimum est, cooperari DEO in salute Animarum.* Tertia est, operum Varietas, & multitudo, quia talis Religiosi vita est quasi continuum opus misericordiæ, & quidem spiritualis, quæ longè præstat corporali. Quarta est, operis difficultas. Quinta denique est modus peragendi hæc opera, scilicet ex obedientia, qui mirè auget operis dignitatem. Quæ omnes causæ facient, ut meritò sperare possit Religiosus, se auditurum olim à Christo. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Math. 25.

Considera III. Quàm efficacia sint hæc motiva ad spem tuam erigendam, & quomodo tu deinceps ijsdem te ad maxima quæque opera, in tuam aliorúmque salutem patranda excitare velis.

Pro IV. Die.

Meditatio I.

De primo actu charitatis, scilicet erga Deum, sive de contemptu omnium rerum terrenarum.

Punctum I.

Considera I. Quantas causas habeas ad DEUM summè amandum. Omissis aliis tres tantùm has diligenter perpende

pende. Prima est, quia ille solus bonus est, & fons omnis bonitatis; *Cur ergo* (ut cum S. August. te alloquar) *vagaris permultæ, quærens bona animæ, & corporis tui? ama unum bonum, & satis est*: maximè cùm omnes res conditæ, dum bonitatem illarum admiraris & appetis, illis Christi verbis Lucæ 18. te alloquantur: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus*; Secunda est, quia ipse summè notescit, ut beneficia creationis, Redemptionis, Vocationis, Justificationis, Glorificationis &c. copiosè ostendunt; sicut injustus est secundùm Ethicos, qui amantem non redamat, quantum scelus erit, tantopere amantem non vicissim diligere? an non locum in tali habebit S. Augustini sententia exclamantis: *Domine, qui te non diligit, quia creatus est infernum meruit, sed qui te non diligit, quia redemptus est* (adde tu, quia vocatus justificatus est) *meretur, ut novus infernus pro eo fiat*: Tertia est, quia in nullo alio objecto sanari potest, appetitus amoris nostri, hinc verè exclamavit S. Augustus. *Fecisti nos ad te, Domine, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*, scilicet quàm parùm globus possit implere vas triangulare, tam parùm totus mundus cor triangulare, ideóque ad solam SS. Trinitatem capiendam factum replere poterit.

Considera II. Cùm una ex his causis sufficeret ad charitatem nostram in DEUM excitandam, quàm pertinax illud cor esse debeat, quod triplici hac causa, velut triplici funiculo, qui difficulter rumpitur, ad amorem suum in DEUM convertendum pertrahi se non sinit, nec persuaderi? an non de tali corde verè dici potest, illud S. Pauli: *Si quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, anathema sit.* 1. Cor. 16.

Considera III. DEUM te ultrò ad suum amorem denuò invitare illis verbis Cant. 6. *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intuamur te.* An non cupias fateberis cum Sponsa: *Anima mea* (& cor meum) *liquefacta est* (in amorem DEI) *cùm dilectus meus locutus est*; sed non vel nunc denuò cum S. Augustino exclamabis: *Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua & nova, sero te amavi. Ecce tu intus eras, & ego foris, mecum eras, & ego tecum non eram.* Colloquium ad SS. Patronos.

Pa-

Punctum II.

Considera I. Sicut mulier illa 3. Reg. c. 3. noluit infantem, quem generat, vivum dividi, ita DEUM etiam nolle dividi per amorem cor tuum, quod ad se solùm amandum creavit: Hinc Thomas Kemp. l. 2. c. 7. ait: *Dilectus tuus solus est natura, ut nolit alienum admittere, sed solus vult cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio throno sedere.* Hinc DEUS ipse quodammodo illis Christi verbis. Joan. 18. ad creatas res deserendas adhortatur: *Si me quæritis, sinite hos abire.*

Considera II. Quàm promptè & libenter valedicere debeas omni creaturæ, ut amore DEI deinceps pleniùs frui possis; quis enim non libenter guttulam aquæ relinqueret, si pro ea fons dulcissimi nectaris offerretur? quis umbram non promptè dimitteret, si ipsam substantiam possidere posset? quis leprosam & turpem Concubinam non ultrò expelleret, ut formosissimæ Virginis amore, conjugióque frui posset?

Considera III. Quæ creatura hactenus à te inordinatè fuerit amata, & quomodo vel nunc illi valedicere velis, & dolorem ex tali dimissione ortum illis Elcanæ ad Annam prolatis verbis, tibique nunc velut à DEO dictis lenire: *Anima mea, cur fles? aut quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non melior tibi sum, quàm decem, imò mille tales creaturæ?* Dic ergo cum S. Augustino: *Scio, Domine, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed in meipso, & omnis mihi copia, quæ Deus non est, egestas est mihi.* l. 13. Confess. c. 1. Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quanta felicitas tibi per hunc amoris actum proventura sit, cùm enim omnes lites (& imperfectiones) juxta S. Jacobum, c. 4. ex concupiscentiis nostris nascantur, concupiscentia autem ex opinione indigentiæ juxta Ethicorum doctrinam oriatur, consequens est, ut, sicut per amorem DEI omnia possides, ita mox indigentiæ opinio, atque adeò etiam concupiscentia, & cum hoc omnis turbatio & peccatum tollantur, quod præclarè S. Thomas Kemp. l. 3. c. 37. indicavit his verbis: *Tunc deficient omnes vanæ phantasiæ,*

conturbationes iniquæ, & curæ superfluæ. Tunc etiam vitiabitur immoderatus timor, & inordinatus amor moritur: tunc experieris verum esse, quod S. Bernard. in jubilo dixit: *Quem tuus amor ebriat, novit, quid IESUS sapiat, quam felix est; quem satiat, non est ultrà, quod appetat.*

Considera II. Quomodo hanc felicitatem opere ipso experta sint plures animæ DEUM sincerè amantes; præcipuè S. Franciscus, diu noctúque in animo versans illud: *DEUS meus & omnia.* Item ille Monachus, semper etiam inter tormenta lætus, quia (ut ipse quærentibus causam lætitiæ respondit) DEUM meum eripere nemo mihi potest.

Considera III. Quàm malè tu hactenus egeris, te felicitate ista privando, quàm justè adeò exclamare cum Anna, Tobiæ Matre possis: *Omnia simul in te unò* (ô mi Deus) *habentes, te non dimittere debuimus à nobis.* Tobiæ cap. 10. Dic ergo vel nunc cum S. Davide Ps. 72. *Quid mihi est in Cœlo & à te quid volui super terram?* dic cum S. Paulo Rom. 8. *Quis me separabit à charitate DEI?* &c. Colloquium Christum.

Pro IV. Die.

Meditatio II.

DE SECUNDO ACTU CHARITATIS DIVINÆ, NEMPE DE PURA INTENTIONE.

Punctum I.

Considera I. Inter officia veri amoris non postremum meritò à SS. Patribus & Ascetis reputari, quòd amans omnia sua obsequia & opera ad solum Amati honorem & beneplacitum dirigat, neque aliud pro labore suo præmium exigat, quàm amato placuisse, id quod in amore, quo religiosi DEUM amant, vel maximè locum habet; nam, teste S. Bernardo, *suspectus est amor, cui aliud quid adipiscendi se suffragari videtur.*

Considera II. An & quomodo tu hactenus per ejusmodi purissimam intentionem tuum erga DEUM amorem decoraveris. Id ex sequentibus indiciis facilè colliges. 1. Si æquè in occulto exactè opera tua facias, atque in publico coram alijs perficere consueviſti. 2. Si perinde tibi sit, pau-

paucos, sive multos operum tuorum spectatores habeas. 3. Si æquali promptitudine humilia ac glorioſa officia ſuſcipias, obeáſque. 4. Si neque ob laudatum opus inaniter ac immodicè exultes, neque ob vituperatum inordinatè triſtetis. 5. Si quocunque ſucceſſu tuorum operum contentus ſis &c.

Conſidera III. Quàm pauca ex his indiciis in te reperias, quàm exiguus proinde tuus in DEUM amor hactenus fuerit; & quomodo deinceps ſaltem in id unicè incumbere velis, ut facere cum Chriſto poſſis: *Ego, quæ placita ſunt ei, facio, semper*, Colloquium ad SS. Patronos &c.

Punctum II.

Conſidera I. Quàm æquum ſit, ut deinceps operibus tuis non aliam intentionem admiſceas, quàm ſolius DEI beneplacitum, cùm quocunque te convertas, nullibi majorem pro tuis laboribus mercedem invenire poſſis, quod quidem facile cognoſces; ſi conditiones, quas in mercede etiam excogitabili requireres, accuratius perpendas. Quarum prima eſt, ut ſit *magna*; atqui placere DEO tam magnum eſt præmium, ut de facto Beati plùs delectentur in hoc, quòd placeant DEO, quàm quòd ejus aſpectu fruantur; unde meritò DEUS ipſe Abrahamo dixit, Geneſ. 15. *Ego protector tuus ſum, & merces magna nimis.* Secunda eſt, ut *parata* ſit, ſeu ſtatim conferatur; atqui beneplacitum DEI mox eo momento, in quo opus peractum eſt, obtinetur. Tertia eſt, ut *inauferibilis* ſit; atqui ſolum DEI beneplacitum hoc habet, quia fieri non poteſt, ut id, quod ſemel DEO placuit, diſplicere incipiat; unde patet, nullam huic mercedi æqualem, neq; in ipſo cælo reperiri poſſe.

Conſidera II. Qualia præterea commoda ex tali intentione reportaturus ſis, videlicet ſummam ad opera omnia *indifferentiam* (cur enim unum præ alio appetas, cùm in omnibus præmium tuum, id eſt, beneplacitum DEI æqualiter obtinere poſſis?) ſummam in quovis negotio *diligentiam* (ſi enim opera, quæ Principibus & Regibus hujus Mundi parantur, tantâ cum induſtriâ & perfectione elaborantur, quantam diligentiam adhibebit, Qui ſcit, ſua opera non hominum, ſed DEI beneplacito præparari?) ſummam in omni la-

bore *alacritatem* (si enim spectatorum multitudo & præstantia tantos Animos viréſque addit Actoribus in theatro, quantò majores addet animos præsentia & aspectus DEI, cui soli placuisse infinities majus est præmium, quàm si cui omnibus hominibus & Angelis etiam possibilibus omni cogitabili modo placuisset?)

Considera III. Quàm præclari sint hi fructus, & quam optandi Operario in Vinea Domini laboranti, ut cum Jacob Patriarcha omnis labor per totam vitam suscipiendus sit & brevis ei videatur, præ Desiderij, quo DEO placere amplectit, magnitudine. Colloquium ad B. Virginem.

Punctum III.

Considera I. Quibus mediis uti deinceps velis, ad hanc puriſſimæ intentionis saluberrimum Exercitium, sequentia non displicebunt. 1. Si sæpiùs & accuratè perpendas, quanti faciendum sit placere DEO. 2. Si hoc præmium frequenter, & initio maximè potiorum operum animo tuo objicias. 3. Si quando in publico opus aliquod honorificum peragendum est, priùs tecum perpendas, quàm magnificum foret præmium, si ab universis tuis Auditoribus aut Spectatoribus summam laudem atque applausum ferres, cum solo DEI beneplacito comparatum, atque adeò hoc solum tuo operi præfigas. 4. Si opera, quæ in occulto facis, singulari cum industria & alacritate facias, eo potissimum capite, quia credis, te à DEO spectari, & illi soli summè placere cupis. 5. Si postquam Laus & gloria tibi ex opere quo parta est, mox eâ repudiatâ ad tuum præmium te convertas, applicando ad hunc finem verba illa à S. Augustino paulò aliter prolata: *Infelix homo, ô DEVS, qui omnibus hominibus placet, & tibi displicet; Beatus verò, qui tibi placet, etsi illis omnibus displiceat. Qui verò tibi & illis placet, non quia illis, sed quia tibi placet, beatus est.*

Considera II. Quàm apta sint hæc media ad insigne hoc exercitio profectum brevi tempore faciendum.

Considera III. Quomodo tu hactenus ijs usus sis, aut deinceps velis. Colloquium ad Christum.

Co

Consideratio
Pro Quarta Die.
DE VICTORIA SUI.

Punctum I.

Perpende triplicem esse victoriam, quam de teipso reportare debeas, generalem scilicet, quotidianam, & perpetuam. Igitur

Examina te 1. An generalem Victoriam obtinueris, & ita spiritualiter te occideris, ut tibi & concupiscentiis tuis mortuus dicere possis cum S. Paulo: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Galat. 2. Item: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Galat. 6.

Examina te 2. An quotidianam Victoriam obtinueris, scilicet quotidie manè cogitando, quid tibi in die difficillimum accidere, vel in via perfectionis maximè impedire, vel in gravem lapsum impellere possit, & hoc generoso animo superando, vel removendo?

Examina te 3. An perpetuam Victoriam obtinueris hactenus, scilicet in singulis actionibus tuis studendo, ut aliqua in re teipsum superes, sive quod idem est, aliquid voluntati tuæ adversum facias, ut suo modo illud S. Davidis usurpare possis, propter te mortificamur tota die. Ps. 43.

Punctum II.

Perpende, quantas divitias spirituales meritorum ac Virtutum, quantam gloriam, gratiámque apud DEUM & homines, quantam lætitiam tibi trinâ hac Victoria causare possit. Dic enim, quid sentires de illo duce, qui post generalem de hoste maximo Victoriam reportatam, quotidie imò singulis horis unam de hostibus suis Victoriam reportaret? Quanto in honore apud omnes habendum? quantis præmiis à Principe suo remunerandum, quantam ex talibus Victoris, honoribus, præmiisque voluptatem percepturum putas? atqui melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, teste Sapiente Prov. 16. quis ergo non ampliora quæque præmia speret? Audi, quid DEUS tali Victori promittat,

& inde victoriam hanc æstimare disce; *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi Calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apocal. 2. *Qui vicerit, faciam illum Columnam in templo DEI mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen DEI mei,* Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui vicerit, sic vestietur in vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ. Confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* ibidem. An non ergo meritò Seneca dixit, *Imperium sibi maximum esse imperium*? an non ille Poëta bene cecinit: *Tunc omnia jura tenebis, si poteris Rex esse tui?* hinc ergo Thomam de Kempis l. 1. c. 3. adhortantem; *Quid habet fortius certamen, quam, qui nititur vincere seipsum? Ad hoc deberet esse negotium nostrum, vincere scilicet seipsum, & quotidie seipso fortiorem fieri, ac in melius aliquid proficere.* Sed & fructum secuturum audi l. 3. c. 53. explicantem: *si temetipsum perfectè vinceris, cætera facilius subjugabis. Perfecta Victoria est, de semetipso triumphare; qui enim sic ipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio cunctis obediat mihi* (DEO) *hic verè victor est sui, & dominus Mundi.* Thomas Kemp. loco citato.

Punctum III.

Perpende, quæ media tibi ad hanc victoriam obtinendam servire possint; Tria præ cæteris apta censeo. Primum est auxiliares è Cælo copias petere; An non præ cæteris arma Maria de Victoria, quæ sola est terribilis ut castrorum acies ordinata? An non etiam Angelus Custos, cæteræque Patroni seriò invocati magnam Victoriæ spem facient? Secundum est, arma bona præparare, an non aptissimus videbitur gladius S. Michaëlis, *quis ut DEVS*? profectò non est alter huic similis. An non & Scutum Davidicum præ aliis placebit, de quo ipse Psal. 6. *Vt scuto bonæ voluntatis coronâsti nos*? Tertium est, magno animo hostem aggredi, quem in finem præderit sæpiùs considerâsse, & meminisse DEI, aspicientis pugnantem, præmij ex Victoria reportandi, damnorum ab hoste tibi, proximo, DEO, illatorum, Sociorum tuorum for-

per certantium, imò & Filiorum sæculi ob spem minoris longè præmij similes Victorias reportantium. potuerunt ergo isti, & istæ, & tu non poteris? An non ergo dices tandem cum Davide Psal. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non convertar, donec deficiant.*

Pro IV. Die,

Meditatio II.

De tertio actu charitatis divinæ, nempe de conformatione voluntatis suæ cum divina.

Punctum I.

Considera I. Inter alios effectus amoris primarium ferè esse, quòd uniat amantem cum amato, hanc autem unionem potissimùm consistere in ipsarum voluntatum conjunctione, ut scilicet idem velint, ac nolint.

Considera II. In quo consistat perfecta conformatio voluntatis tuæ cum divina, nimirum hoc, ut omne id, quod DEUS circa te vel alios ordinaverit, non modò per intellectum comprobes, sed etiam per voluntatem cum gaudio arripias, & per potentias reliquas non minori industria atque alacritate exequaris, quàm si à teipso juxta summam appetitûs tui inclinationem fuisset electum. Hoc ipsum paulò aliis verbis expressit Thomas Kemp. l. 3. c. 25. dum dixit, perfectionem hominis, & per consequens etiam perfectam voluntatum & animarum unionem consistere, in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera & contraria, omnia æqua lance pensando.

Considera III. Quàm longè hactenus ab hac perfectione abfueris, atque adeò meritò illam increpationem Christi apud Thom. Kemp. l. 3. c. 11. audire merueris: *Fili, oportet te adhuc multa discere, quæ necdum bene didicisti. Quæ sunt hæc, Domine? ut desiderium tuum ponas totaliter secundùm*

cundùm beneplacitum meum, & tui ipsius amator non sis, sed meæ voluntatis cupidus æmulator.

Vide ergo, quomodo deinceps hac in parte te gerere velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quanto studio ac desiderio te huic exercitio conformationis, voluntatis tuæ cum divina impendere debeas, idque ob tres maximè causas, quarum prima est, desiderium & quasi voluptas DEI, quam ex tali exercitio capit; nam de te ad suos Sanctos quodammodo dicet, quod olim de S. Davide dixit: *Inveni virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Secunda est, proximi utilitas, cui per nullum aliud exercitium magis prodesse potes; non sicut ille Rusticus, qui omnem tempestatem de manu DEI benevolè accepit, semper habuit fruges optimas (uti in Vitis PP. refertur) ita & Religiosus ille felicissimum semper successum operum suorum sperare poterit, qui in omnibus officiis, eorúmque administratione suam voluntatem divinæ penitus conformat: hoc enim est, quod Christus ipse apud S. Joannem c. 15. dixit: *Qui manet in me, & ego in eo* (per voluntatum unionem) *hic fert fructum multum.* Tertia est, summa pax & tranquillitas, quam in hac & altera vita percipies; Quid enim magis in hac vita sperare, aut optare potes, quàm ut omnia tibi ad votum succedant? atqui hoc obtinebis per dictum exercitium, unde meritò S. Catharina Senensis dixit, talem hominem esse similem Christo Salvatori, qui etiam in hac vita Beatitudinem percepit.

Considera II. Cùm nemo in hac Vita aliud magis optare, aut optare prudentiùs possit, quàm Beatitudinem huic Statui convenientem, quàm imprudenter hactenus feceris, dum per longas ambages, difficilésque vias beatitudinem vanam & falsam in rerum creatarum amore, & Voluntatis propriæ executione Quæsiviſti, cùm tamen veram, solidámque Beatitudinem viâ tam compendiosâ facilíque reperire potuisses.

Considera III. Quomodo vel nunc à priori via discedere atque ad hanc percurrendam toto animi conatu convertere te velis. Colloquium ad B. V.

Pun-

Punctum III.

Considera I. Quæ subsidia præ cæteris conducant, ad Voluntatem tuam cum Divina perfectissimè uniendam; ea jam pridem Servator ipse Catharinæ Senensi indicavit, dum præcepit, ut primò quidem firmissimè crederet, DEUM summè potentem esse, adeóque nihil in hoc Mundo sine ejus voluntate accidere posse: Deinde ut pariter crederet, eundem DEUM summè sapientem esse, atque adeò scire id, quod evenire hominibus permittit, in eorum bonum convertere: Denique ut non minùs crederet DEUM etiam summè bonum esse, adeóque non tantùm posse, & scire, sed etiam velle, omnia in Electorum suorum utilitatem ordinare.

Considera II. Quàm solida & efficacia meritò censeantur hæc media, sive ipse eorum Author consideretur, sive eorum aptitudo ad finem prædictum spectetur, cùm planè imprudentissimum esse hominem illum oporteat, qui firmiter tres illas DEI perfectiones, potentiam scilicet, sapientiam & bonitatem apprehendens, & credens, etiamnum tergiversaretur in omnibus eventibus suam Voluntatem Divinæ conformare.

Considera III. Quomodo tu deinceps his mediis uti velis, & cum S. Davide exclamare: Unam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus Vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & visitem templum sanctum ejus. Ps. 26. Colloquium ad Christum.

Pro V. Die.

Meditatio I.

De Charitate erga Domesticos.

Tessera.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. Joan. 15.

Punctum I.

Considera I. Quod à S. Joanne 1. c. 4. dictum sit: hoc mandatum habemus à DEO, ut, qui diligit DEUM, diligat & Fratrem

Fratrem ſuum; quod præceptum, etſi omnibus hominibus conveniat, præcipuè tamen à Religioſis & Sacerdotibus obſervari debet, ut qui ſe præ alijs fatentur eſſe Diſcipulos Chriſti, atque adeò conari debent, ut in illis locum habeat illud Chriſti: *In hoc cognoſcent omnes, quoniam Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem* Joan. 13.

Conſidera II. Charitatis hujus perfectionem in eo conſiſtere, ut diligas proximum tuum, ſicut teipſum; unde in actibus illius exercendis duplex hæc regula adhibenda eſt: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu alteri facias. Tob. 5. c. Et: *Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, Math. c. 7.

Conſidera III. Quid tu maximè fieri, aut non fieri tibi optares, an non ut omnes à tua offenſa, (ſive cogitatione, ſive verbo, ſive opere commiſſa) caveant; & quidquid boni (ſive utilis, ſive delectabilis, ſive honeſti) præſtare poterunt, ex animo conferre ſtudeant? idem & tu alijs facito. Colloq. ad SS. Patronos &c.

Punctum II.

Conſidera I. Quot titulos habeas, cauſáſque, ob quas ſummè ſtudere debeas, huic virtuti; nam 1. id Chriſtus à te exigit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Joan. 13. 2. Id ipſum à te ſtatus tuus exigit, qui, cùm ſit unum quaſi corpus, quid magis optare poterit, quàm ut membra inter ſe, quàm arctiſſimè conjuncta maneant? 3. Id quoque à te externi exigunt, qui à tuóque ſtatu auxilium in ſpiritualibus exſpectant; ad hos enim quid magis neceſſarium, quàm ut membra operantia benè cohæreant, & ab anima (quæ in Religioſis Ordinibus eſt Spiritus Sanctus) informari, aptáque effici ad operandum poſſint? 4. Id tua, & Fratrum tuorum utilitas, lætitiáque exigit; quod enim majus tormentum in corpore exſtit, quàm membrorum à ſe invicem ſeparatio? Quæ autem major voluptas, quàm corpore, membríſque benè cohærentibus & ſanis gaudere? an non tunc jure locum habebit illud S. Davidis pſ. 132. *Ecce, quàm bonum eſt, & quàm jucundum habitare Fratres in unum, quoniam illic dabit Deus benedictionem, & vitam uſq; in ſæculum.*

Conſi-

Considera II. Quàm potentia sint hæc motiva ad utilissimum dictæ charitatis studium persuadendum, quámque verè S. Paulus 1. ad Cor. c. 13. dixerit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum; si fidem habeam, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Considera III. Quomodo tu hactenus motiva hæc perpenderis; & quid deinceps eorum intuitu in hac materia facere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus medijs hæc virtus in corde Religiosi vel Sacerdotis solidè, firmitérque plantari possit; tria potissimùm præ cæteris servire poterunt. Primum est frequens & devotus usus S. Communionis; hoc enim Sacramentum, cùm sit pignus amoris, & eum in se contineat, de quo S. Paulus ad Ephes. 2. dixit: *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* &c. Meritò aptissimùm medium censetur ad animas eorum, qui illud suscipiunt, conjungendas, quam ob causam fortè Christus pro materia hujus Sacramenti assumpsit panem ex pluribus frumenti granis coagmentatum. Secundum est, abnegatio propriæ voluntatis, & concupiscentiæ, quæ radix est omnis discordiæ; hinc S. Greg. hom. 13. in Evang. ait, in cœlis non fore ullam animi molestiam, peccandive materiam, quia non adest ibi *meum* ac *tuum* frigidum illud verbum, &, quidquid est malorum, in vitam nostram invehens, innumeráque gignens bella. Accedit, quòd ubi propria voluntas exuitur, divina induetur; unde propter tam arctam cum Deo unionem necesse est, magnam etiam creatarum voluntatum inter se conjunctionem oriri, cùm lineæ, quò propius ad centrum tendunt, tantò arctiùs inter se coëant, & juxta commune philosoporum axioma: *Quæcunque sunt eadem uni tertio, etiam inter se eadem esse censeantur.* Tertium est, si Fratres nostros, non ut homines, sed ut Christi personam repræsentantes intueamur, & quo amore ipsos, hoc & Christum nos amplexurum credamus; quis enim hoc medio instructus lædere adhuc proximum ausit, & non potiùs omnibus charitatis fraternæ obsequijs ipsum, & in ipso Christum demereri studeat.

Considera II. Quàm frequens tibi horum mediorum occa-

sio

casio in statu tuo offeratur; quàm gravis proinde hactenus socordia tua fuerit, quâ tam salutaria & efficacia media ad tam præclarum finem obtinendum adhibere distulisti.

Considera III. Quomodo deinceps hæc media in praxin deducere, iisque charitatem fraternam, tum in te, tum in alijs insigniter promovere velis; Colloq. ad Christum &c.

Pro quinta Die.

Meditatio II.

De charitate erga externos.

Punctum I.

Considera I. Causas, propter quas non erga domesticos duntaxat, sed etiam erga externos charitatem specialem exercere debeas, omissis alijs, quatuor tibi sufficere possunt. Prima est, quòd, teste S. Greg. nullum omnipotenti Deo tam gratum sit sacrificium, quàm zelus animarum. 2. Est Christi amor erga te, & omnes alios, quos redemit; an non ergo vicissim eum redamabis? vis autem scire, quomodo illi præstare queas? audi ipsum Christum, Jo. 21. id indicantem, dum ad S. Petrum dixit: *Simon, Ioannis diligis me? pasce oves meas*, nimirum non meliùs illi beneficium justificationis, redemptionis, glorificationis &c. rependere potes, quàm si proximi tui justificationem, & salutem promovere studeas; sic enim quidquid uni horum feceris, ipsi quoque Christo feciſſe censeberis. Tertia est, quia quivis homo est imago Dei, & quidem post Angelos omnibus alijs rebus conditis præstantior, & infinito pretio sanguinis Christi redempta. Item est Frater tuus, non carnalis, sed spiritualis, ex eodem Christi sanguine (unde longè perfectior Cognatio surgit) tecum progenitus. Est tandem & membrum ejusdem corporis, cujus tu membrum es; an ergo videns imaginem Regneam Christi in luto aut periculo incendij jacentem non accurres, & eripere conaberis, & Dei imaginem tam pretiosam in luto peccati, & periculo æterni incendij constitutam aspiciens non succurres, & liberare à tali periculo studebis? an à Fratre tuo aut membro corporeo, malum omne tam studiosè arcebis, & Fratres tuos & membra spiritualia à summo

peccati

peccati & æternæ damnationis malo non eripere conaberis? Quarta est, quia vocatio propria id exigit; si enim, quo majori beneficio Aulicus quis ad supremam aliquam dignitatem officiúmque est promotus, tantò magis se obligatum putat, ad officium tale summâ cum diligentia administrandum, quid tu non facies, qui summo beneficio ex tot millibus electus, & ad illud officium assumptus es, de quo S. Dyonisius dixit: *Omnium divinorum divinissimum est, cooperari Deo in salute animarum.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva, quámque frigidum esse cor tuum debeat, si etiam tot motivis, veluti tot flatibus excitatum, necdum tamen veri zeli ignem concipiat.

Considera III. Quomodo saltem deinceps perfectius votationi tuæ satisfacere velis. Colloq. ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. In quibus capitibus verus zelus animarum consistat, scilicet in tribus potissimum. 1. Ut voluntate, id est, ardenti desiderio proximi salutem promoveas, exemplo Moysis petentis aut dimitti populo culpam, aut se de libro vitæ deleri; S. Pauli cupientis pro Fratribus, anathema fieri. S. Davidis de se dicentis: *Tabescere me fecit zelus tuus* &c. imò ipsius Christi in cruce etiamnum salutem hominum sitientis. 2. Ut eandem verbis promoveas, quod tripliciter præstare potes, scilicet, vel precando (ad morem Esther: *Obsecro Domine, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum pro quo obsecro*) vel adhortando (juxta consilium S. Pauli. 2. ad Tim. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, arguè, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina*) vel instruendo in ijs, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria. 3. Ut eandem etiam opere promoveas, scilicet exemplo (quia longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla) operibus pœnitentiæ (pro ipsis peccatoribus, placando Deum. sicut Christus patiendo pro nobis placavit) Sacramenta administrando, aliáque similia opera charitatis exhibendo.

Considera II. Quàm parùm tu hactenus his modis salutem proximi tui promovere conatus sis, quàm justam proinde

de offensam Dei tui incurreris, perinde ut is, qui ad pascendas oves destinatus omnia alia, quàm quæ ad officium suum pertinebant, egerit.

Considera III. Quomodo saltem deinceps hanc negligentiam emendare, & ferventioribus obsequijs compensare velis.

Punctum III.

Considera I. Cùm officium hoc satis arduum sit, cum modum deinceps adhibere debeas, ut cum magno tuo & aliorum fructu illud obeas; eum modum intelliges, si memineris, Spiritum S. super Apostolos in specie ignis apparuisse ut indicaret, zelum verorum Apostolorum ignis proprietates in se continere debere, & si quidem, sicut ignis, dum alia calefacit, semper sursum tendit, ita & te per intentionem tuam, & pias aspirationes mentem semper in cælos erectam habere debere. 2. Sicut ignis, dum alia objecta accendit, nihil de calore suo amittit, ita & te solicitum esse debere, ne dum alijs prodesse cupis, tibi noceas. 3. Sicut ignis pauperem æquè ac divitem, ignobilem æquè ac nobilem calefacit, ita & te æqualem omnium curam suscipere debere. 4. Sicut ignis magis propinquos vehementiùs & citiùs calefacit, ita & te primam eorum curam habere debere, quibus majorem necessitatem magis tibi propinqui sunt, magisque operam tuam exigere videntur. 5. Sicut ignis cupit omnia in se convertere, ita & te debere velle omnes charitate divina & proximi ardere. 6. Sicut ignis priùs exsiccat ante quam accendere cupit, ita & debere te prius peccatores a peccatis & desiderijs carnalibus liberare, quàm eos ad varias virtutes exercendas horteris, & instruas. 7. Sicut ignis non extinguitur, quàmdiu lignum adest, ita & tuum zelum non priùs extingui debere, quàm vita, aut vires, occasiones deficiat.

Considera II. & III. Quomodo tu hæc omnia observabis aut deinceps observare velis.

Pro quinta Die.

CONSIDERATIO.

DE REGULARUM OBSERVATIONE.

Punctum I.

Examina te 1. An magnam de regulis tuis æstimationem conceperis?

Examina te 2. An sufficientem cognitionem earundem regularum comparare studueris, eas frequenter legendo, aut audiendo, accurratè meditando, firmitérque memoriæ imprimendo?

Examina te 3. An facilem tibi in earum observatione praxin reddideris, scilicet prævidendo occasiones, in quibus illæ observari possint; in ipso actionum tuarum exercitio te per illas dirigendo, & tandem examinando, quomodo in hac vel illa occasione illas observaveris?

Examina te 4. An & quæ Regulæ in particulari hactenus à te frequentiùs fuerint neglectæ? & quæ talis transgressionis occasio, aut causa extiterit?

Punctum II.

Perpende causas, ob quas summam de regulis tuis æstimationem concipere debeas.

Prima est, Quia Regulæ tuæ sunt voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, quam S. Paulus ad Rom. 12. probari jussit.

Secunda est. Quia ipsæ sunt optimum instrumentum ad ædificium perfectionis (propter quod ædificandum veniſti in Religionem) facilè & sine errore exstruendum. Ipsæ quoque sunt forma (der Modl) Christi vitam & virtutes perfectissimè exprimens, unde si cor tuum amoris igne liquefactum in eas transfundas, Christum exactè repræsentabis, diceréque poteris cum S. Paulo: Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus.

Tertia est, Quia de illis jure dici potest, illud S. Pauli ad Gal. 6. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia*; Et illud S. Davidis Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

Quarta est, Quia illæ sunt fortissimum scutum, quo tu contra omnes hostes tuos defendere poteris, dicereque cum S. Davide ps. 4. *Vt scuto bonæ voluntatis tuæ* (in regulis declaratæ) *coronâsti nos.* Et Ps. 118. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.*

Quinta est, Quia illæ sunt via, per quam Deus tuum Fundatorem, ejúsque sectatores ad cœlum duxit, & te quoque eodem ducere paratus est. Hinc post obitum S. Benedicti duobus Monachis ejusdem Ordinis Anima ejus pulcherrima ostensa est, & vir eidem insistens, addita hac voce: *Hæc via, quâ dilectus Domini Benedictus in cœlum ascendit.* Nimirum *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ps. 118.

Punctum III.

Perpende, quid te hactenus impediverit, à perfecta regularum observatione.

An non 1. exigua de illis æstimatio? ergo auge illam pondictorum motivorum frequenti & accurata meditatione.

An non 2. horror difficultatis? atqui memento, idem tibi accidere, quod Monacho nolenti ab initio viles cibos gustare; unde vidit quondam S. Petrum, & Honoratum Abbatem, nescio, quid condimenti Fratrum cibis inspergentes, a quo dulcissimi redditi sunt. Sic ergo & tu gusta cibum tuæ voluntatis Divinæ desiderabilem super mel & favum, & ubi te semel generosè viceris, resolverisque ad eum constanter deinceps sumendum, miram in eo suavitatem experieris, cum S. Davide ps. 118. exclamabis: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

An non 3. respectus humanus? atqui noli timere eos, qui si multùm agant, possunt occidere corpus, sed potiùs timendum, qui & animam & corpus perdere potest; cujus furor pluris æstimandus est, quàm omnium hominum etiam potentium gratia. Dic ergo cum S. Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. 1.

)o(

Pro quinta Die.

Meditatio III.

De Charitate erga Defunctos.

Punctum I.

Considera I. Quantoperè Christus semper eam charitatem quæ ergà miseros exercetur, & misericordia vocatur, commendârit in Evangelio, nam commendavit nobis illam in altissimo gradu, dum dixit: *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* Luc. 6. II. Ut magis ad eam alliceret, amplissimum ei præmium constituit, dicens: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Matth. 10. Illius solius dixit rationem in judicio habendam. Matth. 25. ibidémque pronuntiavit, se, quidquid uni ex minimis præstitum fuerit, non aliter accepturum, & præmiaturum, acsi sibi ipsi factum esset, & tandem Luc. 6. asserit, mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & superfluentem datum iri, in sinum misericordium hominum.

Considera II. Si quælibet misericordia tanti sit à Deo, quantò pluris facienda sit Misericordia omnium præstantissima? atqui talis est, quæ Defunctis præstatur, uti ex varijs circumstantijs, quæ misericordiæ dignitatem augent, colligi potest, nam 1. magis indigenti datur. 2. magis digno & sancto. 3. Cum majori effectu, quia acceleratur Visio Beatifica, cujus unicum momentum superat omnes mundi delicias. 4. Cum majori affectu & charitate, quia sunt Deo magis dilectæ. 5. Ex bonis summè necessarijs, scilicet bonis operibus. 6. Opus ipsum est præstantissimum, quia omnia ferè misericordiæ opera in se complectitur nam qui e. g. Communionem aut sacrificium offert pro defunctis, pascit eos pane Angelorum, potat Sanguine Christi, vestit veste gloriæ, visitat ægros, & à malis liberat, eripit è carcere purgatorij captivos, sepultos transfert in sinum Patris æterni, facit exules in aula cœlesti recipi &c.

Considera III. Quanto proinde desiderio & affectu deinceps

ceps te totum huic charitati ergà Defunctos exercendæ impendere debeas, & velis. Colloq. ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quo potissimùm modo charitatem tuam & liberalitatem erga defunctos exercere possis; perfectissimo meo judicio erit, si serves regulam à Christo Luc. 6. prescriptam, & des mensuram *bonam* (id est, ea opera & precas quas ex debito illis offers, cum magna diligentia & integritate præstando) *confertam* (omnem operum tuorum meritum satisfactorium, & impetratorium, sive in vita, sive in mortem tibi obventurum, modo alteri non obligatus fuerit, illis liberaliter transcribendo) & *coagitatam* (omnes earum indulgentias, quæ per modum suffragij illis applicari possunt, lucrando, & applicando) & *supereffluentem* (quamplurimos ad similem erga illos misericordiam exercendam deliciendo) in sinum eorum.

Considera II. Si Deus S. Paulinum & S. Joannem Eleemosynarium tantopere remuneratus est, etiam in hac vita, quia divitias suas materiales pauperibus distribuerunt, quantopere approbaturus, & verò etiam remuneraturus eam misericordiam, per quam quis divitias suas spirituales, scilicet opera bona, in egentissimas illas animas tam liberaliter distribuit?

Considera III Quomodo tu hactenus hanc misericordiam exhibueris, & deinceps exercere velis. Colloq ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm te hactenus impedierit, quò minùs te tam liberalem ergà Defunctos exhiberes, an non duo potissimùm impedimenta obstiterunt? Primum erat, quòd charitas incipiat à se ipso, atque adeò ad defuncta propria solvenda priùs inclinet: atqui scias, te purgatorium faciliùs evitaturum per hanc misericordiam, quam omnia tibi applicares. 1. Quia Christus promisit eadem mensurâ metiri, quâ ipsi mensi fuerimus; an ergo si eam ex Purgatorio liberabimus, per animarum redemptionem, nos non semel saltem liberabit? 2. Quia animæ impetrabunt vitam sanctiorem, aut indulgentiarum

nionem &c. ut faciliùs satisfaciamus. 3. Quia ipsa hæc misericordia ob sui præstantiam est multò aptior ad satisfaciendum, uti in B. Gertrude & alijs probatum est, quæ propterea sine purgatorio ad cœlos avolârunt.

Secundum erat, quod saltem viventibus oporteat partem eorum operum transcribere; atqui scias animarum preces longè efficaciores esse, Deóque gratiores; an ergo si operibus tuis illas redimas, ut in cœlos receptæ tuam & proximorum tuorum causam agant, non meliùs utrisque prospectum arbitraris?

Considera II. Quàm vanus fuerit timor, quo hactenus tam præstanti utilique exercitio abduci te patiebaris; & quomodo deinceps saltem tantò liberaliorem te ergà defunctos exhibere velis, quantò parcior huc usque extitisti.

Considera III. Quanta cum diligentia & perfectione deceps opera tua absolvere debeas, ut quæ omnia in subsidium animarum destinâsti; si enim Deus tibi daret potentiam creandi peccuniam, quam in redemptionem Captivorum impenderes, an non aurum potiùs, quàm argentum, aut auprum creares? cur ergo data tibi potestate ad bene operandum, per eandem potiùs imperfecta opera, quàm perfecta efficies, atque in subsidium animabus purgantibus transmittes? Colloq. ad Christum.

Pro sexta Die.

Meditatio I.

De Religione et Cultu Dei.

Téssera. Dominum tuum adorabis, & illi soli servies. Deut. 6.

Punctum I.

Considera I. Quid sit Religio. Nimirum quòd sit virtus declinans ad debitum Deo cultum exhibendum.

Considera II. In quibus potissimum rebus cultus iste consistat, nimirum in devotione (quæ est promptitudo mentis ad omnia, quæ ad divinum obsequium spectant) Oratione, Sacrificio Missæ, susceptione & administratione Sacramentorum, Votorum impletione, gratitudine pro acceptis

beneficijs, & quod præcipuum est, exacta mandatorum & regularum observatione, nam, vel Seneca teste, optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est.

Considera III. Quàm tepidè tu & negligenter hunc cultum Deo tuo hactenus exhibueris, atque adeò Religioni nomine prorsus indignum te ostenderis. Vide proin, quomodo vel deinceps hanc socordiam emendare velis. Colloca SS. PP.

Punctum II.

Considera I. Quàm perfectum cultum Aulici, aliique servi mundanorum Principum & Dominorum suis Dominis exhibeant; quanta cum promptitudine Dominorum suorum imperia excipiant; quanta cum diligentia exequantur, & quanta cum constantia ad exitum usque ea perducant.

Considera II. Quantò æquiùs sit, similem conatum in debito cultu isti Deo exhibendo adhibere, utpote qui infinitis partibus præstet mundanis Dominis, sive dignitatis altitudinem, sive remunerantis liberalitatem, sive imperantis suavitatem consideres, quæ omnia brevi, sed vero tamen compendio complexus est, qui dixit: *Servire DEO, regnare est.*

Considera III. An non jure tibi, tuíque similibus intonet Aulicorum greges ostendi queant, illúdque Christi accinat: *Filij hujus sæculi prudentiores sunt Filijs lucis in generatione sua?* Vide ergo, ut vel deinceps operibus tuis ostendas non homini te corruptibili, sed immortali Deo, immortale servitium præstare.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm Aulicos, aliósque hujusmodi servos excitet, ad tam fidele & exactum servitium Dominis suis præstandum, an non sublimitas Principis? an non honorum, aliorúmque præmiorum spes concepta? an non timor offensam, indignationémque sui Principis incurrendi?

Considera II. Si tantas vires ejusmodi Famulis addit tam modica, falsa, vanáque dignitas vilissimi hominis, tam exigua & incerta merces, tam parvæ & impotentis offensæ

nor, quantum robur tibi, aliísque Dei Famulis conferre deleat summa Domini, cui servitis, excellentia; ampliſſima, quæ promiſit, præmia; graviſſimum, quod ex offenſa imminet, damnum pœnæ, aliorúmque malorum? an non iterum jure objicere tibi univerſos mundi Famulos, illúdque S. Auguſtino olim à Continentia exprobratum, tibi repetere potes: *Potuerunt iſti, & iſtæ, & tu non poteris?* illi cum ſolis ordinarijs, tu cum extraordinarijs, & tam copioſis Dei auxilijs? illi ob corruptibile præmium, tu ob æternum & inexplicabile? illi ob hominis mortalis favorem, tu ob beneplacitum ſummi & immortalis Dei? illi tam gravia & moleſta ſervitia, tu tam ſuave & leve onus?

Conſidera III. Quàm meritò ob præcedentem tuam ſocordiam erubeſcere debeas, & cum Evangelico illo ſervo clamare: *Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Dic ergo, vel hodie cum S. Davide: *O Domine, quia ego ſervus tuus, & Filius ancillæ tuæ. Ecce mancipium Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.* Colloquium ad Chriſtum &c.

Pro Die ſexta.

Meditatio II.

De Religione erga B. Virginem.

Punctum I.

Conſidera I. quot titulis obligeris ad ſingularem cultum huic SS. Cœli Reginæ exhibendum; omiſſis alijs tres modò bene ponderâſſe ſufficiet. Primus eſt, voluntas Dei, hinc S. Bernardus: *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc Veneremur, quia ſic eſt Voluntas ejus, qui omnia nos habere Voluit per MARIAM.* Secundus eſt, quia Mater noſtra eſt, quæ ſub cruce nos peperit, ſi ergo filij dolorum magis amant, & amantur à matribus, an potes non amare tantam Matrem, tanto cum dolore te enixam, quæque ut S. Petrus Damiani ait, amat nos amore invincibili, utpote quos in ipſa, & per ipſam Filius & Deus illius ſumma dilectione dilexit? Tertius eſt, quia nullum efficacius poſt Chriſti paſſionem medium ad vocationis ſuæ pro-

positum exequendum Religiosus vel Sacerdos habet, quàm si Advocatam habere hanc Virginem mereatur, ad cujus nomen (teste S. Anselmo, c. 6. de excell. B. V.) *Celeriter recurrendum est salus, quàm invocato nomine Filij, non quid ipsa Mater potentior sit (non enim ipse magnus & potens est, per eam, sed illa per ipsum) Verum quia etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.* Hinc & S. Bernardus audacter dicere ausus est; *Ille solus ô Virgo Beata, sileat laudes tuas, qui te fideliter invocatam senserit unquam in suis necessitatibus sibi defuisse. Et quid mirùm, si invocata adest, quæ etiam non invocata præsto est.*

Considera II. Quàm frequenter tu hactenus & extraordinario modo maternum hujus SS. Virginis in te amorem expertus sis, utpotè cui & vocationis tuæ initium ac progressum, totámque adeò tuam, quam per statûs tui susceptionem obtinuisti, felicitatem adscribere meritò debeas, quàm parùm autem vicissim, gratum te exhibere, & Filiali affectu tantam Matrem prosequi, & venerari studueris?

Considera III. Quomodo vel nunc eam in Matrem denuò eligere, omnésque veri filij proprietates explere deinceps velis. Colloq. ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. In quibus potissimùm officijs sincerus hujus SS. Virginis cultus consistat. Tria præcipuè observabis. Primum est, *maxima de ipsa æstimatio.* Hæc enim est quasi fundamentum posteriorum duorum obsequiorum; ad hanc porrò æstimationem conciliandam juvabunt binæ hæ sententiæ benè ponderatæ, quarum prior est S. Anselmi de Conc. Virg. his verbis prolata: *Nihil tibi Domina, æquale est, nihil comparabile; omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te, quod supra te est, solus Deus est, quod infra te est, omne, quod Deus non est.* Posterior est S. Bonaventuræ in speculo B. V. sic loquentis; *Ipsa est, quâ majorem facere Deus non potest; majorem facere Mundum posset; majorem Matrem, quàm Matrem Dei facere non potest.* Secundum est, *Filialis* ad hanc SS. Virginem velut Matrem *fiducia*, juxta consilium S. Bernardi, hom. 2. in Missas: *In periculis, in angu-*

angustiis, in rebus dubiis, MARIAM cogita, MARIAM invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde &c. Tertium est, *imitatio* in una alteráve præcipua virtute, juxta monitum ejusdem S. Bernardi loco citato, dum ait: *Vt impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum.*

Considera II. In qua potissimùm virtute exigat hæc Virgo sui imitationem, nimirum in ea, propter quam illa meruit Mater DEI fieri, dum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm Verbum tuum*; Hinc & ijs, qui in nuptiis olim ejus suffragium expetierunt, respondit: *Quæcunque dixerit vobis, servate, & facite.*

Considera III. Quomodo tu hactenus tria hæc obsequia ei exhibueris, aut certè exhibere deinceps velis. Colloquium ad eandem SS. Virginem &c.

Punctum III.

Considera I. Inter alia veri amoris filialis officia etiam hoc non postremum esse, si filius omni studio Matris honorem amplificare, atque alios etiam in illius amorem ac Venerationem incitare conetur.

Considera II. Quàm amplatibi hujus obsequij exhibendi occasio, in Statu tuo offeratur, sive in publicis concionibus; sive privatis exhortationibus, sive libellorum ad eum finem conducentium persuasa lectione, sive ad congregationes frequentandas dato consilio, aliisve ejusmodi industrijs.

Considera III. Quantopere tibi tali obsequio SS. DEI Parentem demereri posses, quantúmque ab ea præmium, tum in hac, tum in altera vita sperare, illud videlicet, de quo Eccli. 24. c. scriptum: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*; vide proinde, quomodo deinceps etiam in genere tuum erga tantam Patronam atque parentem amorem copiosè ostendere velis. Colloq. ad Christum.

CONSIDERATIO

Pro Sexta Die.

DE SPIRITVALIBVS EXERCITIIS.

Punctum I.

EXamina te 1. Circa hæc exercitia in genere, an de iis, par est, magnam æstimationem conceperis? an debitam industrias ad eadem ritè peragenda adhibueris? an suum cuique tempus accuratè, integréque impendere consueveris?

Examina te 2. An meditationis finem obtinere studueris, qui est quadruplex, scilicet cultum DEO, & Sanctis tribuere, pios affectus exercere, varias petitiones proponere, vitam perficere? an ad hunc finem obtinendum selegeris aptam materiam, aptum modum tenueris, aptum, certúmque tempus elegeris?

Examina te III. An Orationis vocalis finem obtinere studueris, qui est DEUM & Sanctos laudare, variósque affectus virtutum elicere, & varia à DEO dona, gratiásque petere, & impetrare? an hanc orationem peregeris, quoad vocem distinctè, quoad memoriam attentè, quoad intellectum intelligenter, quoad voluntatem ardenter, seu devotè, quoad totius corporis situm reverenter?

Examina te 4. An Missæ Sacrificium ordinaveris ad quintuplicem finem, propter quem institutum est, quatenus scilicet est Latreuticum, Evcharisticum, Rememorativum, Propitiatorium, Pacificum seu Impetratorium? an eum in finem reverenter, devotè, attentè omnia, quæ in Rubricis præscribuntur, peregeris? an sufficientem eidem præparationem anteponas, & debitam gratiarum actionem subjungas?

Examina te 5. An confessionis Sacramentalis finem obtinere studueris, qui est triplex, scilicet peccatorum deletio, sui ipsius cognitio, vitæ emendatio? an ob hunc finem cum serio dolore & præposito ad confessionem accedas, clarè integréque tua peccata exponas, pœnitentiam debita cum attentione fidelitatéque adimpleas?

Examina te 6. An Lectionis spiritualis finem obtinere studue-

ſtudueris, qui eſt voluntatem DEI cognoſcere, perfectionis naturam, mediáque ad eam perveniendi addiſcere, voluntatem ad idem ſtudium alacriter ſuſcipiendum & continuandum varijs motivis excitare? an hunc in finem aptos libros, aptum tempus, aptúmque modum legendi adhibueris?

Examinate 7. An Jaculatoriarum orationum finem obtinere ſtudueris? qui triplex eſt, ſcilicet mentis ad DEUM elevatio, voluntatis inflammatio, Diaboli expugnatio? an in hunc finem memoriam tuam velut pharetram aptis in omnem caſum jaculatoriis ejuſmodi precatiunculis impleveris? an ſuo tempore earum aliquas deprompſeris, utilitérque uſurpâris?

Punctum II.

Perpende motiva, ob quæ magni facere hæc exercitia, & ſingulari cum diligentia perficere debeas.

Primum eſt, quia ipſa dignitas eorum requirit ſummam diligentiam. Attende, quantas induſtrias adhibeant, peroraturi coram Rege terreno, & Aulicis ejus, & diſce, quantam Reverentiam & attentionem adhibere tu debeas, cum Rege Regum, & Domino Dominantium peroraturus.

Secundum eſt, quia fructus ex ijs ſperatus eam diligentiam requirit; nam, teſte Caſſiodoro ſuper Pſ. 101. Oratio ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitiis, ſublevat ad cæleſtia, reddit capacius & dignius ad accipienda bona ſpiritualia. Hinc meritò S. Auguſtinus tom. 40. dixit: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare*; Hinc & B. Aloyſius dicere ſolitus erat (uti in ejus vita, l. 2. c. 3. habetur) Religionum tam miſeras facies ex una oratione neglecta provenire, illam eſſe compendioſam viam ad perfectionem, & ſine illa neminem ſe perfectè vincere poſſe.

Tertium eſt, quia hæc exercitia ſunt cibus, quies, recreatio animæ. O quanta cum diligentia ſuum cibo ſumendo, ſomno capiendo, animo recreando, tempus impenditur; an corpori tanquam Famulo tam ſollicitè ſerviri æquiùs putas, quàm ipſi Animæ?

Quartum eſt, quia ipſa jucunditas illorum ſummam alacritatem requirit; an non jucundum eſt, ægro poſſe ſuas miſerias aperire Medico peritiſſimo? Mendico poſſe à ditiſſimo Rege

Rege petere & impetrare, quod volet? Reo, posse à Judice veniam petere, & pœnæ remissionem obtinere? Discipulo, posse sapientissimum Magistrum docentem audire? Sponsæ, posse colloqui cum eo, cujus labia sunt favus distillans, mel & lac, sub lingua ejus?

Puuctum III.

Perpende media ad hunc finem conducentia.

Primum est, magnam de his Exercitiis æstimationem, magnúmque ad illa desiderium habere; hinc P. Balthasar volebat, Religiosum extra orationis tempora molari lapidi extra centrum constituto similem esse, & impedimento ablato mox ad orationem redire.

Secundum est, omnes industrias accuratè adhibere, ad imitationem B. Aloysij, qui tantùm studij in ijs ponebat, ac si omnium virtutum summa in ijs verteretur.

Tertium est, removere fortiter quadruplex impedimentum, scilicet culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, & tribulationem cruciantem, uti S. Bernardus rectè advertit.

Pro VI. Die.

DE RELIGIONE ET CVLTV SANCTORVM.

MEDITATIO III.

Punctum I.

COnsidera I. Inter alia obsequia, quibus debitum DEO cultum exhibere possis, non postremum esse, si ipsum juxta consilium S. Davidis Ps. 150. laudare studeas in Sanctis ejus; ut enim summam de aliquo Principe æstimationem jure merito concepisse creditur, qui etiam famulis illius (maximè quos ipsi Principi magis dilectos esse novit) peculiarem honorem & benevolentiam exhibere conatur, ita non minùs insignem suum erga DEUM affectum manifestabit is, qui peculiari studio Sanctos & Electos ejus colere satagit.

Considera II. Quòd ijdem Sancti propter obsequia, quæ DEO tum in terris olim exhibuerunt, tum etiamnum exhibent in cælis, summum à te meritò cultum exigere videantur. Dic enim, si scires hominem, qui te plùs quàm omnes alios, imò plùs etiam, quàm seipsum amaret, qui totum sese obse-

obsequio tuo, cultuíque impenderet, qui nihil aliud desideraret & ageret, quàm quod tibi summè gratum honorificúmque esse agnosceret: dic, inquam, an non tu vicissim hunc hominem summè amandum, colendúmque tibi esse existimares? atqui scito, hæc omnia Sanctos DEO ipsi obsequia præstare; Cùm ergo tu DEUM plùs quàm teipsum amare te dicas, atque adeò obsequia quæque eidem exhibita pluris æstimes, quàm si tibi ipsi collata fuissent, an non clarissimè vides, summè te obligatum esse ad Sanctos hos, velut Summos tuos benefactores, & amatores singulari studio colendos, maximè cùm etiam Sanctissimos, Sapientissimos, potentissimósque (quæ tria cultum & reverentiam præcipuè conciliant) esse nóris?

Considera III. Quanta fuerit hactenus negligentia tua, ut qui non modò debitum tantis amicis tuis cultum & amorem hactenus negâris, sed ne obligationem quidem tuam satis cognoscere studueris. Colloquium ad eosdem SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quanta commoda & beneficia sperare possis, si, prout decet, Sanctorum horum cultui sincerè constantérque te impenderes. Quantam inprimis alacritatem diligentiámque, in omnibus tuis actionibus esses ostensurus, si omnes Sanctos, earundem actionum tuarum Arbitros & Spectatores esse nósses. Quantam deinde in omnibus necessitatibus tuis fiduciam esses concepturus, si tot, támque potentes advocatos pro te supplicare meminisses? si enim S. Hieronymus dicere ausus est, nunquam se legisse, aliquem fuisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eò quòd habeat multos intercessores (pauperes videlicet) impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri; quantò mágis impossibile erit, Sanctorum tam perfectas preces repulsam pati? quantam denique in omnibus periculis securitatem experturus esses, si tot fortissimorum militum exercitu te vallatum scires; an non illud Elisæi tibi occineres; noli timere, plures enim pro nobis stant, quàm contra nos? An non illud S. Bernardi pronuntiares: Quid sub custodibus tantis timeamus? nec superari, nec seduci, multò minùs autem seducere possunt; Fideles sunt, prudentes sunt, poten-

potentes sunt, quid trepidamus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione DEI Cæli commoremur.

Considera II. Quàm efficacia sint hæc motiva ad Sanctorum cultum, cuivis quidem homini, sed Religioso maximè & Sacerdoti persuadendum; utpote qui & copiosioribus auxiliis ad suas functiones opus habeat, & gravioribus à dæmone præliis incessatur, adeóque præ aliis etiam indigeat Patronis & Advocatis valdè potentibus, per quos speratorum auxiliorum efficaciter fiat particeps?

Considera III. Quantum proinde desiderium tu concipere debeas, Sanctos quidem omnes, sed speciales præcipuè Patronos tuos singulari quodam cultu amoréque prosequendi. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quis potissimùm cultus prædictis Sanctis à te exhiberi debeat; varias tibi fortè actiones precésque intellectus tuus suggeret, sed tu pro certo habeto, optimum esse Sanctorum cultum, optimam vitam; hic enim cultus *purissimus* est, quia ab omni nævo alienus; sed & *amplissimus* est, quia omnia bonorum genera, puta jejunium (maximè illud generale Deóque gratius, quo jejunatur à peccato) eleëmosynam (dum animabus offeruntur opera) orationem (juxta id S. Augustini effatum: Vis semper laudare DEUM? bene fac omnia, & laudâsti DEUM) complectitur. Et tandem *constantissimus*, ac *perpetuus* est, quia diu noctúque continuâtur.

Considera II. Si Sancti tantos favores exhibuerunt illis, qui sæpè modicas preces, aut aliud leve obsequium in ipsorum honorem obtulerunt, quanta beneficia, & favores tu sperare possis, si paulò antè descriptum cultum optimæ vitæ non uno tantùm alteróve quadrante, sed per totam vitam exhibiturus sis.

Considera III. Quomodo proinde imitari morem eorum velis, qui vota sua in melius aliquod obsequium mutant, atque adeò & tu omnes vel certè pleraſque minutiores devotiones, quibus hactenus Sanctos colere consuevisti, in hunc præstantissimùm, ipsísque gratissimum cultum permutare velis. Colloquium ad Christum.

Pro

Pro VII. Die.

MEDITATIO I.

DE VOTO PAUPERTATIS, SEU CONTEMPTV DIVITIARVM A SACERDOTE PROCVRANDO.

Tessera.

VOta mea Domino reddam in conspectu omnis Populi ejus. Ps. 115.

Punctum I.

CONsidera I. Quid sit vera paupertas; quòd videlicet nihil aliud sit, quàm Virtus, quâ inordinatum rerum temporalium appetitum moderamur, neque plùs de illorum usu nobis appetimus, quàm quantùm ad finem nobis præfixum necessarium judicabitur.

Considera II. Quanta sit virtutis hujus dignitas, nempe quòd DEO similem faciat, utpote qui per totam antè æternitatem se solo contentus vixit; unde meritò in S. Scriptura paupertas *altissima* vocatur.

Considera III. Quantò proinde in honore tu eandem habere debeas, & velis. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quanta commoda sperare possis à Paupertate, si ejusdem fidelis cultor extiteris; Ea præclare simul, & breviter indicâsse videtur S. Ignatius, dum in Constitutionibus suis præcepit, ut sui filij eam tanquam Matrem colerent, quod quidem officium ipsa præclarè præstitit, & etiamnum præstat; nam 1. ipsa nos DEO & Religioni, aut Ecclesiæ genuit, quia ex desiderio implendi illud mandatum Christi; *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me:* ingressi sumus Religionem, vel Statum Clericalem suscepimus. 2. Illa nos tam liberaliter alit, ut meritò dicere possimus, nihil habentes, & omnia possidentes; aut illud S. Davidis de ea usurpare: Domina Paupertas regit me, & nihil mihi deerit &c. Tertiò. Quia illa maximè procurat, ut in Scientia vera, id est, arte amandi DEUM proficiamus, quia removet potissimum impedimentum, scilicet amorem inordinatum temporalium rerum. 4. Illa ut mater pia in sinum suum nos recipit, fortissiméque contra omnes

hostes

hostes defendit; hinc à S. Ignatio, aliisque Sanctis mens Religionis vocatur. Et jam olim cantatum est: *cantat securus coram Latrone Viator*, qui scilicet nihil secum habet. 5. Quia in hac vita centupli, & in altera æternæ Beatitudinis hæreditatem certò procurat, juxta promissum Christi. 6. Quia in ipsa etiam morte, ut olim Mater Machabæorum suis Filiis adstitit, eósque animavit, ita & ipsa assistet, hortabitúrque, ut cælum aspiciamus, quod ob paupertatem nobis promissum est, ideóque ad finem usque perseveremus.

Considera II. Si Tobias cap. 8. inter præcipua Instructionis & Voluntatis suæ capita posuit istud, ut omnibus diebus Vitæ suæ junior Tobias reverentiam haberet Matri suæ, an non tu quoque de Paupertate eandem doctrinam velut à Fundatore tuo, aut ipso Christo, dictam applicare, atque adeò filialem deinceps per totam vitam amorem erga eam declarare debeas?

Considera III. Quàm ingratus hactenus erga hanc Matrem tuam fueris, & quomodo deinceps eam sero quidem, sed seriò tamen tollere velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm obsequia filialis erga hanc Matrem tuam amor exigat. Nimirum 1. Ut Matris tuæ non pudeat; hinc effectum illius frequenter, in cavendis v.g. superfluis, & defectu necessariorum in victu, vestitu &c. sustinendo experiri studebis. 2. Ut matrem tuam etiam in re minima offendere verearis, quod fieret, si aliqua re tanquam propria utereris. 3. Ut ad matrem tuam in periculis aut necessitatibus confugias, id est, si concupiscentiâ magnorum honorum, divitiarum, voluptatum &c. tentetis, mox memineris, te pauperem vitam amore Christi elegisse, atque adeò talibus longè abhorrere debere. 4. Ut, quemadmodum veri Filij lac maternum omnibus deliciis præferunt, ita & tu victu per paupertatem oblato magis, quam quocunque alio contentus sis, atque recreeris. 5. Ut sicut filij, quantùm possunt, cavent, ne ab aliis etiam mater ullà ratione lædatur; ita & tu sedulò allabores, ne paupertas quantùm in te erit, ullatenus in Religione tua relaxetur, aut aliud quodcunque damnum patiatur.

Con-

Considera II. Quàm longè tu adhuc abſis ab hac perfectione, quàmque adeò indignus hactenus fueris, tam copioſos tantæ Matris favores experiri, utpotè qui toties & tam graviter eam offendere non ſis veritus.

Considera III. Quomodo prædicta officia ſaltem deinceps tantò accuratiùs atque perfectius exhibere velis, quantò próh dolor, negligentius ea hactenus præſtitiſti. Colloq. ad Chriſtum.

Pro ſeptima Die.

Meditatio II.

DE VOTO CASTITATIS.

Punctum I.

Conſidera I. Quare & Eccleſia Fundatores Religionum plerumque à ſuis Sacerdotibus & Religioſis tam perfectam, & quaſi Angelicam Caſtitatem exegerint, videlicet ideò, quia ſciebant, eos per votum caſtitatis ipſi Deo deſponſatos eſſe; ſi ergo tanta caſtitas, & fidelitas à ſponſabus Principum hujus mundi requiritur, ut vel minima etiam ad alienos amores declinatio pro gravi culpa habeatur, quantò deteſtabilior erit ſponſa, quæ fidem ſupremo rerum Domino ſemel datam violare auſa fuerit?

Conſidera II. Quid potiſſimùm à te requirat perfecta caſtitas, videlicet, ut caveas tria vitia in cogitatione committi ſolita (negligentiam in repellendis turpibus deſiderijs, moroſam delectationem, & voluntarium conſenſum) tria in verbo (ſcilicet colloquia ſenſualia, parùm honeſta, omnino turpia) tria in opere (nimirum aſpectus, oſcula, & tactus a copulâſque inhoneſtas.

Conſidera III. An & contra quod caput ex iſtis hactenus peccâris, & quomodo deinceps tale peccatum vitare velis.

Punctum II.

Conſidera I. Quantos favores & voluptates ſperare poſſis, ſi fidelis ſponſo tuo extiteris, & licet à pluribus procis, id eſt, ſenſibus proprijs, & carne ad adulterium provocatus, ſemper tamen generosè victoriam retuleris, neque unquam vel

minimùm ad alienos amores declinâris; nimirum experiris verum esse, quod olim B. Virgo nostro P. Ledesmæ accini voluit: *Divinares est Castitas, majora sed sunt præmia, quæ continenti dat Deus.* Sed & cum S. Bernardo exclamabis in Jubilo: *Nec lingua potest dicere, nec littera exprimere, expertus potest credere, quid sit Iesum diligere.*

Considera II. Quantus per hanc tuam castitatem etiam in proximum tuum fructus redundaturus sit; si enim Esther toti suæ genti salutem peperit, quia Asueri amorem sibi devinxerat, an non tu similem gratiam à sponso tuo infinitis liberaliori sperabis, si generoso atque constanti adversùs omnes procos spirituales certamine ejusdem sponsi tui amorem tam copiosè promeruerîs:

Considera III. Quomodo ergo tantis præmijs, & potissimùm ipsâ sponsi tui dignitate & amabilitate illectus, denuò fidelitatem non modò vovere, sed etiam perfectissimè servare velis. Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ potissimùm impedimenta à perfecta hujus virtutis exercitio te impediverint. Tria præcipuè reperies. Primum erat, exigua cura de rebus spiritualibus; namgustato spiritu desipit omnis caro; & hinc sicut Patres spirituales volentes abducere ab amore carnali suadent, ut frequenter cum talibus Personis amatis conversatio instituatur; ita Dæmon omnibus modis impedire conatur frequentiorem cum Deo congressum, bene gnarus, hoc medio mirè amorem erga Deum augeri, & hoc ipso carnalem amorem proscribi. Secundum erat, nimia de voluptatibus carnalibus æstimatio, unde frequentiùs perpendendum erit, quàm vana, falsa, turpis, brevis & tam corpori, quàm animo noxia sit hæc voluptas, similis videlicet pomo Fenelæ Reginæ, quod pulchrum quidem aspectu, sed tactum à Xerxete Rege, plures in eum sagittas ejecit, vitámque abstulit. Tertium erat nimia confidentia in proprijs viribus, unde oculi minùs cautè custoditi, aliæque occasiones huic virtuti inimicæ negligentiùs declinatæ. Quare deinceps memor esto, te hominem esse ex carne compositum, nec posse continentem esse, nisi Deus det; qui tamen ipse neutiquam de-

bit hoc donum, si humilem in te, sibique diffidentem animum non deprehenderit.

Considera II. Si Sponsæ magnorum Principum omnes occasiones, per quas ad fidem sponso frangendam induci possent, tam studiosè declinant, quantò magis tu prædicta impedimenta libenter & fortiter removere debeas, utpotè quæ omnes eas voluptates & promissa, quibus caro & sensus tui ad sui amorem te invitant, infinities præstantius in sponso tuo reperias.

Considera III. Quomodo proinde tuas in hoc negotio partes implere, & vel nunc denuo cum S. Agnete exclamare velis: *Amo Christum, in cujus thalamum introibo, quem cùm amavero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, Virgo sum.* Colloq. ad Christum.

Pro VII. Die.

Consideratio
DE NEGOTIATIONE SPIRITVALI.

Punctum I.

Perpende vitam nostram juxta S. Gregorium esse nundinas, atque adeò te, reliquósque homines Mercatores esse; vide ergo quomodo negotiationem tuam hactenus institueris, &

Examina te 1. An, ut Mercatores temporis accuratissimam habeas rationem, memor consilij à sapiente dati Eccl. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te pratereat?*

Examina te 2. An, ut mercatores adhibeas optimum negotiandi modum, qui in tribus maximè industrijs consistit, quarum prima est, ut eas merces compares, Deóque vendas, quæ pluris ab eo æstimantur, majorique pretio emuntur, id est, ut opera ea libenter facias, quæ Deo gratiora sunt, v. g. opera charitatis, patientiæ, abnegationis sui &c. Secunda est, ut pondus ijsdem mercibus tuis per fervorem adjicias. Tertia est, ut summo, quo potes, pretio easdem vendas, id est, ex optima intentione, scilicet solius beneplaciti divini easdem peragas?

Examina te 3. An, ut mercatores instrumenta luctandi ostiosa esse non sinas, id est, an, si opere ipso complere desideria tua non potes, saltem ardenter desideres facere: nam & hic modus non infimus est ditescendi spiritualiter; si enim, qui approbat peccatum, perinde punitur à Deo, ac si patrasset; cur is, qui verè opus virtutis desiderat, sine præmio erit, cùm Deus faciliùs remuneret, quàm puniat?

Examina te 4. An ut mercatores sæpiùs lucri damnive ntiones ineas, per examina quotidiana, menstrua, annua, onerisque resarcire, quod per incuriam aut oscitantiam à te neglectum esse advertis?

Punctum II.

Perpende motiva hujus negotiationis spiritualis. Primum petitur ex Emptore, cui venduntur, cùm enim Deus omnes merces operum tuorum ardentissimè desideret, promptissimè accipiat, liberalissimè compensat, an non vel hoc titulo merces & optimas, & plurimas illi offeres?

Secundum petitur ex ipsis mercibus; cùm enim minima particula gratiæ plùs valeat, quàm omnia regna & universa natura; & ex altera parte id, quod leve & momentaneum est, tribulationis (& operationis) nostræ, æternum gloriæ pondus operetur in nobis, teste Apostolo 2. ad Corynth. 4. an non Ecclesiastici consilium sequêris c. 9. dicentis: *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare &c.*

Tertium petitur ex ipsa negotiatione, quia hæc sine peccato proprio, damno alterius, cum magna laude & honore, summa quiete & voluptate, insigni Dei & Sanctorum approbatione instituitur; & præterea certam continet securitatem de jactura lucri, cùm sine tua voluntate nunquam illud amittere possis.

Quartum petitur ex ipso venditore, scilicet teipso, qui cùm, tot præclaras lucri occasiones neglexeris, & tam serò hanc negotiationem incipias, meritò variis industrijs præcedentia damna recuperare conaris.

Punctum III.

Perpende, quæ media tibi ad hanc negotiationem con-

ducen

ducere possint quatuor maximè suggero.

Primum est, ut frequenter Mercatorum temporalium fervorem, atque diligentiam animo volvas, eorúmque exemplo ad omnes labores difficultatésque devorandas te excites, illud tibi assiduò occinens: potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

Secundum est, ut magno animo atque ingenti spiritualis lucri desiderio negotiationem hanc auspiceris.

Tertium est, ut Nundinarum, id est, vitæ tuæ tempus brevissimo termino tibi circumscribas, ideóque illud S. Pauli 2. ad Corynth. 6. frequenter in ore animóque habeas: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

Qartum est, ut Mercatorum more oculos mentis non ad opes comparatas, sed eas, quas adhuc comparare potes, conjicias, nam in hac sola negotiatione avaritia laudabilis est, votáque non tormentum, sed consolationem & fructum afferunt servo Dei.

Pro VII. Die.

Meditatio III.

DE VOTO OBEDIENTIÆ.

Punctum I.

Considera I. Quantopere quivis Religiosus vel Sacerdos obligetur ad obedientiæ studium toto animi conatu suscipiendum; si enim vi statûs ad perfectionem tendere debet, an non meritò obedientiæ peculiariter studebit, utpotè quæ sola securissimo simul & compendiosissimo tramite per omnes tres vias ad ipsum supremæ perfectionis apicem perducit. Et primò quidem per purgativam, quia obediens loquetur victorias, contra peccata scilicet, passiones & inordinatos affectus. Hinc rectè S. Augustinus dixit: *expedit inferius subjici superiori, ut ille, qui subjici vult, quod est inferius, se subjiciat superiori suo; Agnosce ordinem, quære pacem; Tu Deo, tibi caro. Tu majori, tibi minor, &c.* Deinde ducit per viam illuminativam, quia, teste S. Gregorio, obedientia virtutes reliquas menti inserit, insertásque

custodit, unde Dositheus S. Dorothei discipulus quinque annorum spatio tantùm profecit in virtute & meritis, quantùm alius, qui multis annis severissimam vitam egerat. Denique & per viam unitivam recto tramite ducit, quia proprium est obedientiæ voluntatem obedientis cum voluntate Dei, quem in Persona Superioris intuetur, unire.

Considera II. Quòd, dum huic obedientiæ se totum impendit Religiosus vel Sacerdos etiam hoc ipso reliqua, quæ alij tantoperè quærunt, scilicet sapientiam, honorem, famam &c. tribuat Deus, ut verè de tali obediente dici queat id, quod de Christo olim dictum erat: *Proficiebat ætate, sapientia, & gratia coram Deo & hominibus.*

Considera III. Si discipuli hujus mundi tam solicitè adhibent ea media, per quæ scientiam profanam breviori tempore acquirere possunt. Et si Viatores tendentes ad certum locum tam diligenter inquirunt, quæ sit facilior & compendiosior via ad illum; quantò magis tu viam obedientiæ, quàm brevissimam facillimámque esse nôsti ad veram perfectionem consequendam, magna alacritate ingredi & constanter deinceps percurrere debeas. Colloquium ad SS. PP.

Punctum II.

Considera I. In quo consistat tota perfectio Obedientiæ, videlicet, ut promptè, integrè, fortiter omnia exequaris, quæ tibi præcepta sunt; sicque ad exemplum Christi obediens fias usque ad mortem.

Considera II. Quàm exactè observare debeas omnes has circumstantias in obedientia requisitas, cùm sive vocantem, sive vocatum consideres, ubique motiva promptè, integreque obediendi reperias; nam si vocantem, id est, Deum in superiore præcipientem attendas, invenies eum esse summè potentem, amabilem, & munificum; si ergo in hac vita voces Principum, Amantium, & Remunerantium tam promptè audiuntur, an non & Christi vocem ob easdem causas promptè audies? si vocatum, id est, teipsum spectes, an non Ovis, Miles, Amicus es Christi? an non ergo vocem ejus ut ovis audis? an non ut Miles, vades, si audias, vade? an non ut Amicus facies, quæ Amicus & quidem tantus à te requisivit?

Cons-

Considera III. An & quomodo has conditiones observaveris hactenus, & deinceps observare velis. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quid potissimùm te impediverit, quò minùs vocem superiorum, atque adeò ipsius etiam Dei minùs promptè audires? an non ea ipsa reperies impedimenta, quæ aurem corporalem à vocibus distinctè audiendis impediunt? an non 1. obsistit, quòd Organum fuerit destructum, scilicet auris mentis, id est, intellectus, dum non credidit firmiter, superiorem referre Personam ipsius Dei? an non 2. obsistit, quòd auris, digito, id est, carnalibus desiderijs, aut cerâ, id est fluxis voluptatibus obscurata sit? an non 3. obsistit, strepitus curarum persuadens, te minùs sufficientem esse ad tam multa simul imperia superiorum exequenda? an non 4. obsistit tumultus hominum, quorum siniſtra de te judicia, murmuráque te à veloci eorum, quæ imperantur, executione impedivit?

Considera II. Si ij, qui difficultatem in sensationibus auditûs exercendis nacti, nulli operæ sumptuíque parcunt, ut pristinam in audiendo facilitatem recuperent, quantò promptiùs tu supra dicta impedimenta removere debeas, ut facultatem audiendi spiritualem id est, promptitudinem in obediendo tibi, aliísque tam utilem ac necessariam recuperes?

Considera III. Quomodo deinceps dicta impedimenta removere. Et eam in obediendo celeritatem procurare velis, ut jurè de te obedientia, illud Sponsæ Cant. 2. usurpare possit: *Similis est Dilectus meus caprea, hinnulóque cervorum:* Colloq. ad Christum.

Pro octava Die.

Meditatio I.

De humilitate Religiosi, vel Sacerdotis.

Tessera. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Math. 11.

Punctum I.

Considera I. In quo consistat vera Humilitas Religiosi vel Sacerdotis, scilicet in hoc, ut verè seipsum despiciat, & ab alijs quoque despici optet, ac gaudeat.

Considera II. Quid sit verè se despicere, scilicet omni bono indignum, & omni malo dignum judicare, unde sequitur, ut, quoties laudaris, honoraris, æstimaris, aut amaris, non modò non gaudere, sed potius tristari & indignari debeas, eò quòd tanta dona indigno collata sint; è contrario verò, si contemneris, vituperaris, illuderis, aut odio haberis, perinde te lætari oporteat, sicut gaudere soles, si videas eum, qui scelestibus suis plurimos graviter offendit, condignis pœnis affici.

Considera III. Quàm longè tu etiamnum absis ab hac humilitate, utpote qui omne, quod contemptum tui redolet, tantopere aversaris, nec sine insigni animi rancore suscipere consueveris. Colloq. ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Quanta motiva undequaque se tibi offerant ad insignem profectum in hac virtute faciendum; si enim te supra convertas, reperies per nullam virtutem æquè DEUM glorificari, ut adeò meritò quidam dixerit, Deum & hominem habere se, sicut quantitas discreta, & continua se habent; eò quòd tantùm adjiciatur Dei Gloriæ, quantùm hominis de ipsius æstimatione demitur, sicut quantitas discreta in tantùm crescit, quantùm continua diminuitur. Si infrà te convertas, Infernum & Purgatorium non faciliùs evades, quàm humilitate, cùm ipse Christus pronuntiaverit, humiles *requiem* inventuros animabus suis; sed nec diabolum faciliùs vinces, quàm humilitate, sicut scilicet Antheus vicit Herculem, dum in terram se prostravit. Si te extrà convertas, reperies omnes te meliores esse, cùm de nullo probare possis, eum esse graviorem peccatorem, quàm tu sis, adeóque omnes præsumere bonos, te verò solùm æstimare debeas malum & peccatorem; si tandem te intrà convertas, nihil æquè reperies aptum ad divinam tibi liberalitatem ac benevolentiam demerendam, cùm Deus perinde ac natura non patia-

tur

tur vacuum, atque adeò tantò copiosiùs te suis donis repleturus sit, quantò pleniùs te ipsum ab omni æstimatione, aliisque ejusmodi vanitatibus evacuabis.

Considera II. Quàm magna sit Dei Clementia ac bonitas, quæ huic exercitio annihilationis, & contemptus tui, quem propter solam vilitatem tuam jure meritissimo subire debuisses, tam ampla præmia constituerit, quibus te ad dictum contemptum æquo animo ferendum alliceret, an non insignem illius Medici charitatem esse diceres, qui ut ægrum ad sumendas, quas parârat, medicinas illiceret, ultrò ei largissima dona, favorésque in præmium arrepti pharmaci sponderet?

Considera III. Quanta ex adverso fuerit tua superbia, & ingratitudo, qui, cùm videres, Dominum tuum etiam ad mortem usque humiliatum esse, ausus tamẽ sis, hominum favorem ac æstimationem tam ambitiosè appetere, & quidquid ad tui depressionem conducere poterat, tam studiosè amoliri? Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus potissimùm medijs uti deinceps velis, ad insignem quendam tui contemptum animo tuo ingenerandum; equidem tria non parùm tibi ad finem hunc proficua futura credo. Primum est, si sæpè aspicias in authorem fidei, & consummatorem Jesum Christum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, &c. tum enim ultrò exclamabis: *Non est discipulus suprà Magistrum, nec servus major Domino suo. absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi &c.* Secundum est, ut frequenter tuas miserias & turpitudinem volvas, percurrendo omnes corporis, animíque potentias, occasionem contemptûs undique sese offerentem, promptè arripiendo. Tertium est, ut cum alijs longè melioribus frequenter te compares, tam quoad externa, quàm interna dona, sic enim haud difficulter in illas S. Antonij voces erumpes: *Vidi Monachos, & non sum ego Monachus.*

Considera II. Quàm efficacia sint hæc media, quámque facilis, & jucunda eorum praxis tibi sit futura, si commoda,

quæ finis, ad quem ea tendunt, obtentus, tibi promittit, tu curatiùs perpendas.

Considera III. Quomodo deinceps opere ipso ea media adhibere, illúdque tibi Thomæ de Kempis assiduò occinere velis: *Non reputes te aliquid profeciſſe, donec omnibus inferiorem eſſe te ſentias.* Colloquium ad Christum, &c.

Pro octava Die.

Meditatio II.

De Patientia Religiosi vel Sacerdotis.

Punctum I.

Considera I. In quo consistat Patientia veri Religiosi, vel Sacerdotis, nimirùm in hoc, ut, quidquid, sive corporis, sive animo molestum evenerit, id omne patienter, libenter, atque hilariter sustineat.

Considera II. Fontes, ex quibus multiplex patiendi materia profluere solet in Religione; eos percommodè P. Balthasar Alvarez (ut in vita ejus c. 10. refertur) aperuit, dum dixit: quinque ejusmodi fontes reperiri, quorum primus est, ferre patienter temporis injurias, puta frigus, tonitrua, ventos &c. Secundus est, ferre patienter molestias corporis, puta morbos, tristitiam, famem, somnum, &c. Tertius est, ferre patienter aliorum mores nobis contrarios valdè. Quartus est, ferre ignominias, contemptus, & detrimenta, quæ nobis eveniunt ex eo, quòd alij, qui nos sive ob sanguinem, sive ob Religionem contingunt, talia patiantur, & hujusmodi contemptus dicebat P. Balthasar esse pulpæ bolum, absque ullo osse, eò quod à propria culpa sint liberi. Quintus est, ferre afflictiones spiritûs, in rebus divini obsequij, quæ magnam afferunt pœnam, quales sunt ariditates, distractiones, scrupuli &c. ad quem fontem etiam revocantur probationes, quæ à Magistris spiritûs fiunt.

Considera III. Quàm parùm tu hactenus ex his fontibus degustaveris, & quomodo vel deinceps ad eosdem frequentius accurrere, avidiúsque oblatam inde patiendi materiam haurire velis. Colloq. ad SS. PP.

Pas

Punctum II.

Considera I. Quod, & quàm efficacia habeas motiva ad patientiam toto animi conatu amplectendam, sive Dei tribulationes immittentis amorem (cujus indicium certissimum adversa plerumque judicantur) sive Christi & SS. tot tantáque patientium exemplum; sive præmiorum, quæ promissa sunt patientibus, magnitudinem, sive pœnarum quas in inferno aut purgatorio alioqui justissimè subire debuisses, gravitatem: sive denique solatiorum, quæ in medijs etiam passionibus offeruntur (uti expertus est S. Paulus, dicens: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*) copiam & suavitatem attendas.

Considera II. Cùm omnes homines oporteat per multas tribulationes introire in regnum Dei, an non ipsa prudentia suadeat, ut ex necessitate virtutem facias, & quod patiendum est, libenti, hilaríque animo feras, sicque Deo & tibi incredibile gaudium, meritúmque concilies, quàm ut per impatientiam gravius tibi crucis tuæ onus facias, meritum perdas, & pœnam, si non inferni, certè purgatorij gravissimam mereris?

Considera III. Quomodo vel nunc cum Christo crucem suscipere, eámque in mortem usque constanter sequi velis. Colloquium ad B. V. dolorosam.

Punctum III.

Considera I. Quæ media tibi præcipuè conducere possint, ad conceptum patientiæ exercendæ propositum efficaciter exequendum. Tria præ cæteris elige. Primum est, *Passio Christi frequenter cogitata*, nam teste S. Gregorio, *nihil adeò grave est, quòd non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.* Hinc & Christus ipse cuidam Personæ valdè afflictæ non suasit aliud medium, nisi ut surgeret, & vulnera ejus meditaretur; Certe S. Augustinus ultrò fassus est, non ullum efficacius in adversis medium se invenisse, quàm vulnera & sanguinem Christi. Secundum est, *magnitudo præmij* crebrius menti objecta; nam & ipse Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem; neque difficile videbitur, per momentum cruciari, ut æternùm delecteris.

steris. Tertium est, exemplum mundanorum hominum graviſſima quæque, ſive ex morbo, ſive ex perſecutione, ſive paupertate, ſive ex ſervitute neceſſaria patientium. Dic ergo: Potuerunt iſti & iſtæ, & tu non poteris? illi ex neceſſitate, ſine ſpe tanti præmij, cum auxilijs ordinarijs, tanta tam fortiter ferunt, & tu ex virtute, tanta ſpe excitatus, tantis auxilijs & ſolatijs præventus & roboratus eadem ferre non poſſis?

Conſidera II. Quàm apta ſint hæc media, ad patiendi deſiderium provocandum, quámque frequentibus jam experientijs eorum efficacia in Martyribus, alijsque abundè confirmata.

Conſidera III. Quomodo tu deinceps in particularibus caſibus ea adhibere velis. Colloq. ad Chriſtum paſſum, illud cum S. Bernardo uſurpando; *Sequar te quocunque ieris, mihi tolli non poteris, cùm mecum cor abſtuleris, Ieſu tuum noſtri generis.*

Pro octava Die.

Consideratio
DE RENOVATIONE SPIRITUS.

Punctum I.

Examina te 1. An ſemel ſaltem in anno ſolenniorem aliquam renovationem Spiriûs inſtituas, præteritæ vitæ crimina per confeſſionem generalem deteſtando atque delendo, & nova melioris vitæ propoſita conçipiendo, variáque eum in finem mediâ excogitando:

Examina te 2. An etiam ſingulis menſibus certum aliquod tempus, v. g. medium aut integrum diem ſimili renovationi impendas, inquirendo, quæ beneficia ſpiritualia acceperis, ut debitas pro ijs gratias agas; quæ peccata deliberatè admiſeris, ut illa deleas, & in futurum cavere ſtatuas, radices eorum inquiſita, & ſublatâ: quæ propoſita ex olim conceptis diligenter vel negligenter executus fueris, ut ea vel renoves, vel confirmes, quæ lucra in ſpirituali negotiatione feceris, ut vel ad jacturam reſarciendam exciteris, vel de ſuccеſſu gaudens ad ampliorem induſtriam adhibendam incitaris

Examina

Examinate 3. An singulis hebdomadis horam unam, aut dimidiam certè huic renovationi tribuas, discutiendo, an nullum eorum operum, quæ tibi præcepta erant, omiseris? an & super qua materia, & quo cum fructu Examen particulare feceris? an & quid tibi in perfectionis studio maximè nocuerit? an & quantùm amore Dei passus? an & quid tibi solatium, vel tristitiam ex operibus hujus hebdomadæ maximè crearet, si modo ad judicium vocandus esses.

Examinate 4. An singulis diebus etiam quadrantem saltem eidem renovationi impendas, excutiendo temetipsum, & inquirendo, an & quod peccatum commiseris? quâ diligentia quodvis opus perfeceris? quam intentionem actionibus tuis præfixeris? quas tentationes aut motus inordinatos expertus fueris?

Examinate 5. An singulis etiam horis, vel certè post potiores actiones renovationi eidem tempusculum aliquod concedas, inquirendo breviter, an actionem talem *purè* (id est, cum bona intentione) *intensè* (id est, cum debito fervore & diligentia) & *constanter* (id est, difficultati nulli cedendo) peregeris?

Punctum II.

Perpende motiva, propter quæ dictas renovationes magno animo suscipere, & absolvere debeas.

Primum est, quia Dei amor & beneplacitum id requirit; si enim sponsæ hujus mundi tantam curam adhibent in corpore ornando, & quasi renovando, ut sponso mortali placeant, quid tu non facies, ut Dei immortalis amorem & beneplacitum tibi reconcilies?

Secundum est, quia dignitas animæ id exigit, si enim corporis vires toties per cibum, potum, somnum, balnea, Medicinas &c. restaurantur, cur non potior cura ipsius animæ habeatur?

Tertium est, quia fructus ex talibus renovationibus speratus id meretur; nihil enim, sive ad peccata vitanda, sive ad virtutes plantandas, sive ad magna quæque opera præstanda; sive ad merita augenda, sive ad perseverantiam in vocatione obtinendam, aptius est, quàm frequens spiritûs renovatio; hinc tam multi Patres spirituales suaserunt, ut

Religio-

Religiosus persuadeat sibi quotidie, se eo primùm die inchoare.

Quartum est, quia vires dæmonis nihil adeò infringit, & fraudes illius eludit, æc ista renovatio; neque enim latere diu possunt insidiæ, ubi tanta Vigilantia reperitur; neque ullum magis timendum est prælium, quàm quod cum exercitu restaurato suscipitur.

Punctum III.

Perpende, quæ media adhibere debeas ad fructum ex tali renovatione reportandum Tria suadeo.

Primum est, ut tantam de illius necessitate & utilitate æstimationem concipias, ut per nullum negotium ab ea impediri te sinas; aut certè, si præfixo tempore eam instituere non potes, quàm primùm occasio dabitur, eam suscipias.

Secundum est, ut executionis, quam in ejusmodi renovatione decernes, substantiam ad pauca quædam, sed fundamentalia capita reducas, ne animus multitudine decretorum obtutus, minùs aptus fiat ad eorum executionem urgendam.

Tertium est, ut in curandis vitijs, virtutibúsque plantandis, compendiosiorem, solidiorémque viam teneas. Quod facies, si vitiorum radices inquirere, & exscindere studeas, et virtutibus verò illas præcipuè seligas, quæ velut fundamentum ad reliquas supponuntur, ut sunt charitas, devotio, humilitas, obedientia, patientia &c.

Pro VIII. Die.

Meditatio III.

DE PERSEVERANTIA RELIGIOSI, VEL SACERDOTIS.

Punctum I.

COnsidera I. Quàm necessaria sit hæc Virtus Religioso, vel Sacerdoti, cùm ipse Christus satis disertè pronuntiarit: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno DEI. Luc. 9.* Clariùs autem adhuc Matth. 10. dum dixit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hinc rectè S. Hieronymus, *Non quaruntur*, inquit, *a Christia-*

Christianis (quantò minùs in Religiosis & Sacerdotibus) *initia, sed finis, & perseverantia.* quia scilicet *frustrà celeriter currit* (ut bene S. Gregorius notavit) *qui prius, quàm ad metam venerit, deficit.*

Considera II. Si, quantò pluribus, pretiosioribúsque mercibus est onusta navis, tantò magis solicitus est Navarchus, ne in portu naufragium faciat; quantam curam perseverantiæ habere debeat Religiosus, ne tot annorum merita amplissima facto in fine Vitæ naufragio amittat.

Considera III. Cùm S. Bernardus in quadam Epistola dicat, Diabolum soli perseverantiæ invidere, quam solam novit à Domino coronari, quantum ille conatum sit adhibiturus, ut hanc tibi virtutem eripiat, quáque adeò tu vicissim industrias adhibere debeas, ne tam necessarij doni ac virtutis jacturam facias. Colloquium ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera II. Quæ maximè media conducant ad perseverantiæ donum obtinendum, tria præcipuè suadeo; Primum est constans cultus Christi passi, B. V. & SS. Patronorum; quia de B. V. S. Bernardus dixit: *Sicut à te aversus & despectus necesse est, quòd pereat, ita ad te conversus, & à te respectus impossibile est, quòd pereat.* Secundum est misericordia erga defunctos; quia S. Hieronymus intrepidè dicere ausus est: *Nunquam memini me legisse, malâ morte defunctum esse, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores; & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Tertium est, frequens renovatio spiritûs, singulis annis, mensibus, hebdomadis, imò etiam diebus singulis saltem in examine peracta, vix enim fieri poterit, ut in via deficiat, qui vires suas per dictam renovationem utiliter, ut suppono, toties renovârit.

Considera II. Quàm facilia juxta ac efficacia sint hæc media, quámque, quod multò magis de Christo dici poterit, Sanctis verò cum proportione accommodari; adeò meritò illud servorum dictum ad Naaman Dominum tibi applicare possis, & dicere: *Si rem grandem tibi præcepisset Deus* (ad perseverantiæ donum obtinendum) *certè facere debueras, quan-*

quantò magis, quando tam facilia, suaviáque media tibi præscripsit, ea detrectare non debes?

Considera III. Quomodo deinceps hæc media in praxin deducere, & cum S. Paulo cursum consummare, fidémque servare velis, ut repositam justitiæ coronam suo tempore recipias. Colloquium ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quibus potissimùm insidijs & artibus Dæmon conetur perseverantiæ virtutem eripere; Tria præcipuè capita invenies, quæ non parùm perseverantiæ sunt inimica. Primum est, nimia de se, suáque sanctitate æstimatio; quo certè vitio non paucos subegit diabolus, & in interitum præcipitavit. Secundum est, negligentia in minoribus peccatis cavendis, & initijs tentationum supprimendis; Unde, qui spernit modica ista, paulatim decidit in ruinam. Tertium est, consideratio anxia superstitum laborum, unde tædium inchoatæ vitæ, & tandem omnino reditus ad mundanas delicias oritur.

Considera II. Quibus remedijs triplici huic Dæmonis æstui, conatuíque occurrere velis, videlicet primò concipiendo salutarem timorem, juxta illud Apostoli monitum: *qui stat, videat, ne cadat.* Hinc S. Bernardus s. 5. super Cant. *In veritate*, inquit, *didici, nihil aquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram DEO inveniaris, non altùm sapere, sed timere*; deinde firmissimum concipiendo propositum, etiam minima peccata sedulò devitandi, principiísque tentationum obstandi, ne serò medicina paretur. Tandem de die in diem vivendo, illúdque Poëtæ assiduò volvendo: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Aut certè illud Christi: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.*

Considera III. An & quomodo hæc remedia tu hactenus adhibueris, aut certè adhibere deinceps velis. Colloquium ad Christum &c.

Pro IX. Die Meditatio Unica.

DE GRATIARVM ACTIONE,

Pro felici Exercitiorum successu.

Punctum I.

Consid. I. Quanta beneficia tibi Christus in his exercitijs cõtulerit, ea ad tria potissimũ genera revocari posse, deprehẽdes, videl. ad illustrationes; bona proposita, & consolationes.

Considera II. Quàm magni æstimanda sint hæc beneficia; hanc magnitudinem ex triplici capite æstimare poteris, nimirum 1. *Ex dignitate & affectu conferentis*, qui, cùm nullius egeat, tanto tamen amore ac desiderio salutem tuam per hæc proposita, & illustrationes procurare dignatus est, quasi ingens aliquod commodum ex tua emendatione sperare possit. Deinde ex *indignitate accipientis*, cùm enim toties jam exercitia feceris, aut aliàs ejusmodi illustrationes, ac proposita à Deo acceperis, nec tamen speratum inde fructum retuleris, an non meritus esses, nullum deinceps beneficium ampliùs accipere? an non ergo vel ex hoc capite summè æstimanda est Christi in te liberalitas, quòd post tantam ingratitudinem tuam, post toties neglecta à te salubertima illius consilia, denuò te ad suum colloquium admittere, noviſq; adhortationibus ad frugem reducere sit conatus?

Denique ex fine, ad quem directa sunt beneficia ista, scilicet, ut fieres vir secundum cor Dei, ut perfectam cum Deo unionem, atque adeò cum hac omnia bona, summámq;, quæ in hac vita haberi potest, felicitatem consequereris.

Considera III. Si ijs, qui consilia ad opes temporales augendas ad dignitates obtinendas, ad vitam corporis tuendam &c. suppeditant, tam amplæ gratiæ, præmiáque exhiberi solent, quantas tu gratias Christo debeas pro hisce beneficijs, consiliisque ad opes immortales cõparandas, ad summum, qui optari potest ab homine, veri servi & amici Dei honorem obtinendum, & tandem ad ipsam animæ beatitudinem tam in hac, quàm in altera vita certiùs & abundantiùs possidendam ordinatis. Colloq. ad SS. Patronos.

Punctum II.

Considera I. Triplicem à te gratiarum actionem exigi, videlicet cogitatione, verbo, & opere peragendam. Primam exhibebis, si dicta beneficia, ut par est, agnoscas, magníque

facias. Secundâ præstabis, si hymnũ Ambros. aut alias ejusmodi preces in agnitionẽ tantorũ beneficiorum recites, tertiam tandẽ perages, si ea, quæ in his exercitijs à Deo accepisti consilia, atque proposita, seriò, fidelitérque exequaris; & hanc quidem, uti difficilioré, longioremque, ita Deo quoque, præ cæteris duabus longè gratiorem esse certò tibi persuade.

Considera II. Quàm æquum sit, ut triplicem hanc gratiarum actionem Christo exhibeas, cùm tu potissimùm ex eadem fructum referas, aliunde verò meritò timere possis, ne si denuò hæc consilia Dei, beneficiáque respuas, ille justo judicio te ab ijsdem ultrà percipiendis excludat.

Consi. III. In quibus potissimùm capitibus consistat summa eorũ consiliorũ & propositorũ, quæ executioni mandare jusseris, scilicet in hoc, ut omni rerum creatarũ amore inordinato exutus, in solo Dei beneplacito acquiescas, faciendo videlicet, quæ Deo placent, quo modo placent, & quia placent; hoc enim est esse virum secundùm cor Dei. Colloq. ad B. V.

Punctum III.

Considera I. Quæ media deinceps adhibere velis, ad dictorum propositorum executionem, tria maximè suadeo. Primum est, ut tibi penitùs diffidens, spem tuam totam in Dei auxilio, Beatissimæque Virginis ac SS. Patronorum suffragijs constituas, ideóque opem eorum sæpiùs ad dictam executionem implores. Nam ut Thomas de Kempis l. 1. c. 19. rectè advertit. Justorum propositum in gratia Dei potiùs, quàm in propria sapientia pendet. Secundum est, renovatio frequens propositorum, ut idem Thomas de Kempis l. c. sapienter suadet his verbis: *Omni die renovare debemus propositum nostrum, & ad fervorem nos excitare, quasi hodiè primùm ad conversionem venissemus, atque dicere: Adjuva me, Domine Deus, in bono proposito, & sancto servitio, & da mihi nunc hodiè perfectè incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.* Tertium est, generosa tua victoria, in ea maximè re, quæ te magis hactenus in perfectionis studio impedivit; tantùm certè proficies, quantùm tibi vim intuleris, inquit idem author. l. 1. c. 25.

Considera II. Quàm efficacia simul & suavia sint hæc media, si paratum tibi Dei auxilium consideres.

Considera III. Quomodo ea deinceps adhibere velis

Colloq. ad Christum.

ALIÆ CONSIDERATIONES,

Quæ pro libitu horâ Considerationi præfixâ usurpari, aut alijs Considerationibus substitui possunt.

QUia ex una parte varietas, sicut in aliis materijs, ita & in hac vel maximè delectat; ex altera verò Libri illi, qui alioqui copiosam pro Exercitijs Spiritualibus materiam suppeditant, plerumque materiam pro Considerationibus vel omnino non præscribunt, vel certè non nisi paucis verbis indicant, ideo ut hac etiam ex parte occurram, placuit pro varijs animæ necessitatibus & indigentijs varias etiam Considerationes adjungere, non ut omnes in uno secessu usurpentur, sed ut eæ seligantur, quas sibi quisque pro Scopo suo magis proficuas existimaverit. Imò possunt eæ etiam pro subsidio ad Meditationes de simili materia instituendas adhiberi, aut etiam extra consueta Meditationis & Considerationis tempora considerate perlegi & ruminari, per eásque velut ardentes prunas voluntas tepida ad fervorem, studiúmque perfectionis ac virtutis excitari, & inflammari. Si tamen per modum Considerationis ordinariæ adhibebuntur, oportebit primò examen circa illam virtutem aut vitium, de quo agitur, instituí, & tum demum horum motivorum utpote valde efficacium ponderatio subjungi ad eum ferè modum, quem in solitudine Hagiophilæ à P. Paulo Barri observatum videmus.

CONSIDERATIO
DE AMORE INORDINATO MVNDI.

1. HOminem, quem mendacem esse nôsti, summo studio devitas, cur Mundo tam fallaci fidem toties adhibes?

2. Si modicum fermentum totam massam corrumpit, quid illi sanum erit, qui Mundo miscetur, ubi tota massa corrupta, & fermentum est?

3. Si Mundus ijs, qui fideliter ei serviunt, intolerabilis est, & infidus, qualis erit tibi, qui ab eo, & à DEO defecisti utrique infidus? an non si regrediaris, Mundus ut fugitivum flagellabit, & DEUS tanquam perfidum castigabit?

4. Mundus clamat: Ego deficio. Caro clamat: Ego deficio. Diabolus clamat: Ego decipio. Christus clamat: Ego reficio. Et Mundum cum Affectis etiamnum sequi non horres?

5. Si bonus esset Mundus, stultè tamen præponeretur DEO, in quo est omne bonum; quantò stultiùs præponetur cùm adeò malus sit?

CONSIDERATIO
DE AMORE CREATVRARVM.

1. QUÆ mulier tam impudens est, ut dicat Marito suo: quære mihi illum, aut illum Virum, cujus consuetudine fruar, quia placuit mihi, plus quàm tu, alioqui non quiescam? an non autem tu idipsum facis, cùm præter DEUM aliquid diligens, id à DEO petis?

2. Si Stultum crederes esse famelicum, qui pictum cibum præferret vero ei, cur stultiorem non credis eum, qui paleam & umbram bonitatis præferre audet infinitæ DEI bonitati?

3. Si miseram judicas esse conditionem musculi, qui ad esca allectus se in insidias muscipulæ præcipitat; cur tu creaturas non fugis, quas, teste Salomone, Sap. c. 14. nôsti factas esse in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

4.

4. Si detestaris Ethnicum, qui cultum soli DEO debitum idolo exhibet, cur tu amorem soli DEO debitum creaturæ impendere non erubescis?

5. Si Mercator unionem pretij inæstimabilis empturus jam plurima talenta pro ea obtulisset, & postea ne obolum addere cogeretur, totum contractum rescinderet, an non stultum judicares? Cur ergo tu, ut DEUM possideres, omnia alia reliquisti, & nunc ut minimam quampiam creaturam relinquere non debeas, conventionem retractas?

6. Si juxta commune Philosophorum axioma expulsio privationis debet præcedere formæ introductionem, quomodo tu introducere in cor tuum poteris DEUM, si priùs amorem creaturarum, quæ est privatio amoris DEI non expuleris?

7. Si divitias tuas rapere quis conaretur, doleres, & omni conatu resisteres; cur ergo non resistis amori inordinato creaturarum, qui cor tuum eripere tibi conatur?

8. Arca DEI non operabatur stupenda illa opera, quamdiu idolum Dagon in templo stabat; quomodo tu sperare poteris, DEUM mira in templo animæ tuæ operaturum, si etiamnum aliqua creatura, quam velut idolum colis & amas, in eadem anima tua requiescat?

9. Filijs Israël non nisi in deserto manna datum est; quomodo tu à DEO veræ consolationis manna sperare audes, si in deserto, id est, liber ab omni creaturarum amore non existas?

10. Si Filius Principis deformi Filiæ mendici aut mancipij se desponsaret, insanum crederes, & ægrè ferres; cur tu Filius DEI cùm sis, adhærere per amorem vilissimis creaturis & audes, & gaudes?

11. Ut te, aut alium videas in speculo, pulverem priùs à speculo aut oculo abstergis, cur DEUM aspicere cupiens lutum creaturarum ab oculo mentis tuæ non separas?

CONSIDERATIO
DE AMORE PROPRIO.

1. SI aliquis te seduxisset, ut ob scelus patratum in carcerem conjectus, & gravissimis supplicijs adjudicatus jam esses, an non, si postea à Judice per gratiam ex carcere dimittereris,

tereris, summo odio Seductorem hunc tuum prosequereris, & insignem de eo vindictam caperes? cur ergo non eadem agis erga amorem proprium, qui in peccatum te suis fraudibus pertraxit, ob quod æternis ignibus adjudicandus fuisses?

2. Si Famulus ille in agone summopere doluit, quòd tam diu tali Domino servierit, qui eum ne per mediam quidem horam à morbo liberare potuit; quantò magis tu olim dolebis, quòd amori proprio servieris, qui summorum tibi malorum causa extitit?

3. Ei, qui semel in gravis momenti negotio te decepit, nunquam ampliùs fidis; cur ergo amoris proprij ductum etiamnum sequeris, qui toties te decepit?

4. An non stultum diceres eum, qui neglecto sapientissimorum Virorum consilio, unius pessimi & insani hominis suasionem sequeretur? quantò stultior ergo tu eris, si neglecto DEI, Sanctorum, & omnium Bonorum consilio & exemplo, quo Mundum cum suis vanitatibus spernendum dicunt, solum proprium amorem contraria suadentem audias?

5. Cur miseram censes Regum Pripcipúmque conditionem, si Adulatoribus eos faciles nimis aures præbere advertis; & non potiùs miseriorem reputas statum tuum, qui tam noxio Adulatori, id est, Amori proprio tam cupidè ac pernaciter auscultas?

CONSIDERATIO
DE VOLUPTATUM AMORE.

SI, quidquid animam ex corpore tuo pellit tam studiosè ac potenter arcere satagis, cur voluptates admittis, de quibus dictum nôsti: non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est?

2. Fenellæ Reginæ pomum, telis ad tactum erumpentibus plenum, si tibi insidiarum conscio offeretur, omni cum natu respueres; cur pomum voluptatis tot malis gravissimis refertum tam ardenter expetis, & contrectas?

3. Dum iter facis, lutosam viam, quanto potes, studio declinas; cur ad cælum tendens ultro per viam lutosam voluptatum, non sine defectionis & salutis periculo, incederecaffectas?

4. Quale scelus crederes illius, qui Christum ex sacra

hierotheca ejiceret, & ejus loco ſtercus reponeret; cur ergo tu, ejecto DEO ex corde, voluptatum ſtercus illius loco imponere non erubeſcis?

5. Si pudet ſapere cum vulgo hominum, cur non magis pudet vivere cum vulgo beſtiarum, & cum porcis in luto voluptatum volutari?

6. Quid diceres de eo, qui ſtercora avidè appeteret, & deglutiret? an non inſanire eum crederes? cur ergo tu voluptates, quas S. Paulus & alij viri ſancti ut ſtercora æſtimabant, & averſabantur, tam cupidè quæris?

7. Angeli feliciſſimè vivunt, & tamen omnibus terrenis voluptatibus carent, cur non & tu abſtines ab illis, ut in Angelorum conditionem tranſeas? quæ per æternitatem non deſideraturus es, & eris beatus, potes modò non cupere, & non eris miſer.

8. Æger corpore faſtidit omnes voluptates, & averſatur, cur non idem poſſit is, qui mente ſanus eſt? an fortè non poterit robur gratiæ, quod poteſt vitium naturæ?

CONSIDERATIO
DE INDIFFERENTIA.

1. VIator non quæ jucundior ſit via, ſed quæ rectior, quærit; cur ergo non & tu eam viam ad perfectionem & cælum, quæ rectior, id eſt, DEI voluntati conformior eſt, quæris, omiſsâ eâ, quæ tibi jucundior videtur?

2. Si unum omnes Chriſtiani & Religioſi corpus ſunt, cur pedis officium ſubire refugis? an non pedem æquè ac caput Sancti alicujus veneramur?

3. In Comœdia non qui digniorem Perſonam repræſentat, ſed qui meliùs ſuam, quæcunque tandem illa ſit, Perſonam agit, potior & laudabilior cenſetur; cur ergo tu non potiùs labores, ut Perſonam tibi commiſſam bene ſuſtineas, quàm ut alia tibi, eáque dignior committatur? an neſcis plerumque in Comœdijs Mendicos & Ruſticos magis delectare & placere?

4. Si pretioſum liquorem continent faciliùs vaſa vitrea, aut terrea; cur tu, qui DEO es vas electionis, ut portes nomen ejus coram Gentibus, mavis aureus, id eſt, in dignitate &

æstimatione constitutus, quàm per humilitatem vilis, atque adeò aptior ad nomen DEI portandum existere?

5. Ut cera imaginis formam suscipiat, mollem esse oportet; quomodo tu speras, in Christum re per imitationem transformandum esse, si per indifferentiam mollescere non studeas?

6. Reliquiæ Sanctorum non minori veneratione dignæ sunt, si in inferiori, quàm aliæ gradu collocentur; cur ergo tu tam sollicitè altiorem officiorum & dignitatum gradum affectas? cur non potiùs studes crucifixum Christum repræsentare? sic enim etiam in infimo gradu positus alijs proferêris.

7. Nihil differt, an ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces, quia, quocunque transtuleris, morbum suum secum transfert; cur ergo tu non morbum potiùs curare satagis, quàm locum & officia mutare?

8. Planta non facilè convalescit, quæ sæpiùs transfertur; quomodo tu sperabis in Spiritu proficere, si locum & officia perpetuò mutes? an non & hîc applicari potest notum illud: qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur?

CONSIDERATIO
DE MINIMORUM ÆSTIMATIONE.

1. IN nulla re magis Artifices artem suam demonstrant, quàm in minimis; cur ergo non & tu per minimorum officiorum electionem & amorem ostendere conaris, quantùm in perfectione profeceris?

2. Si omnia æstimantur ex animo & magnitudine illius cui offeruntur; cur tu minima non magni æstimas, quæ Maximo DEO offers, & maximo, si volueris, affectu offerre potes?

3. Gemmario de gemmæ pretio judicanti, etiam contra tuum judicium, assentiris; cur non & Christo minima quæque, & vilissima summè æstimanti perinde fidem adhibes?

4. Si is, qui separat pretiosum à vili, quasi os DEI est, ut Jeremias c. 15. loquitur, cur tu pretiosa officia & similia non separas sperneudo, & vilia eligis, ut osculum DEI & amorem mereris?

5. Chri-

5. Christus ne minimum quidem apicem pro tua salute prætermisit, cur tu minima prætereas pro majestate & gloria illius?

6. Si is, qui iter magni momenti suscipit, & thesauros magnos portat, illam semitam magis eligit, quæ à latronibus & prædonibus tutior est; cur tu pro itinere ad cælum non magis viam humilium officiorum, quæ minus exposita est insidiis vanæ gloriæ & Diaboli eligis?

7. Si, dum laborandum est, ea libentiùs opera suscipis, quæ faciliùs & jucundiùs peraguntur; cur minima opera & officia tantopere refugis, ad quæ & minore conatu atque talentis opus est, & in quibus majores plerumque DEUS consolationes operanti largitur?

8. Si servus fidelitatem suam non magis demonstrare potest, quàm si etiã in minimis fidelis sit, cur non & tu per minimorum oblationem optas, occasionem tibi fieri fidelitatis tuæ erga DEUM demonstrandæ, ut audire olim merearis: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam?

CONSIDERATIO
DE FERVORE EXCITANDO.

1. AVarus nihil relinquit, quòd non cupiat, cùm tamen desideria tantùm serviant majori torturæ, quid faceret, si simul ac concupisceret seriò, res possideret, sicut tu facere potes? an multùm à te petitur, si exigatur, ut pessimos, id est, avaros imitando optimus fias, & tu facias pro tua gloria & salute, quod illi pro pœnis & morte tam studiosè agunt?

2. Si Mendico per unum diem facultas daretur ex regio thesauro, quantùm vellet, & posset, auferendi, an putas unico momento otiaturum? an persuadere tibi potes, non omnem diligentiam & conatum in exportandis divitiis adhibiturum? cur ergo tu tam tepidè te geris in immortalibus divitiis hoc perbrevi vitæ spatio congregandis?

3. Si salus tua, & omnium hominum à quovis tuorum operum penderet, an non summam in eo perfectè absolvendo diligentiam adhiberes? cùm ergo nunc à quovis opere tuo

pendeat gloria DEI, quæ pluris facienda est à te; quàm tua & omnium aliorum hominum salus, quomodo negligenter etiamnum illud peragere sustines?

4. Natura semper conatur meliori modo, quo potest opera sua facere; an gratia in te non poterit, quod natura suis viribus potest?

5. Qui diutiùs in loco aliquo commorari cogitat, quàm optimè eum instruere satagit; cur ergo tu pro æternitate non quàm plurima merita præparas?

6. In omnibus alijs rebus optima vis habere, cur ergo non & vitam, & opera optima? cur in lapidibus & similibus rebus non vis decipi, & in teipso ac vita tua etiam affectas illudi?

7. Qui coram Rege, & ejus proceribus, spectacula exhibent, nihil magis laborant, quàm ut optimè Personam agant; cur tu coram DEO & totâ curiâ cælesti non similem conatum adhibes in Persona tua repræsentanda?

CONSIDERATIO
DE TEPORE IN PERFECTIONIS STVDIO.

1. SI infernum tantopere horres, cur teporem vitæ non fugis? an nescis sententiam DEI Isaiæ c. 4. prolatam: Maledictus, qui facit opus Domini negligenter? an non revè tepidus, ut damnati, privetur fruitione DEI? an non religio illi obscurus carcer est ob tenebras mentis? an non, ut Thomas Kemp. l. 1. c. 25. ait, habet tribulationem super tribulationem? an non perpetuò à Dæmonibus, & vermè conscientiæ vexatur? an non à peccato uno in aliud, velut ab una pœna gravissima in aliam præcipitatur? an non & ipse DEUM per nugas suas blasphemat, ut S. Bernardus loquitur? an non perpetuò contra Superiores murmurat, & Fratres saltem malis exemplis & operibus affligit? an non diem, in qua per professionem natus est, detestatur?

2. An non religio tua, quia separat pretiosum à vili, id est, animas à peccatis, cælestia à terrenis &c. quasi os DEI est, ut Jeremias c. 15. loquitur; cur ergo ob teporem vitæ non times pœnam illam DEI, Apoc. c. 3. propositum: quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo?

3. Si

3. Si Legatus ad summi momenti negotia missus, omnia alia à dicto negotio ageret, nugísque tempus tereret, an non singulari Regis, à quo missus esset, odio, pœnáque gravissima dignum judicares? quid aliud autem tu à DEO exspectare potes, si ad gloriam DEI, tuámque ac proximi salutem, quibus nulla possunt esse majora negotia, procurandam missus, vanitatibus & nugis operam tuam impendas, & alia omnia à Religioso agas?

4. Quam reprehensibilem diceres Choragum, qui Comœdiam Regi exhibere promittens, eundem Regem & Aulicos illius in theatro jam exspectantes, longis moris falleret, iterúmque ac iterum sine sperato spectaculo abire sineret? quid aliud autem tu agis, si Personam Religiosi coram DEO & Sanctis bene agere negligas?

5. Si miserum judicas Æsopicum fuisse canem, qui frustum carnis ore tenens dum alteri frusto in aquis per reflexionem relucenti inhiat, etiam verum frustum amisit, cur tu idem facere non erubescis, & dum terrenis consolationibus inhias, etiam cælestes vis amittere? an nescis illud Thomæ Kemp. Si tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi aspectus Creatoris?

CONSIDERATIO
DE TRIBVLATIONVM BONITATE.

1. SI credis mysterium Trinitatis, quia Christus revelavit, cur non etiam tribulationes esse bonas credis, quas Christus beatitudines vocavit?

2. Si tribulationes sunt Pegasus, ut P. Balthasar Alvarez dicere solebat, quibus celerrimè ad cælum tenditur, cur tristaris, breviorem tibi viam ad beatitudinem apertam esse?

3. Amici gaudent Manus suas premi ab amico, quia amoris signum est; cur tu ægrè fers animam tuam aut corpus à DEO premi in dilectionis ostensionem?

4. Principes hujus Mundi ut securiùs bibant, prægustari potum ab aliquo jubent; cur tu times, ne noceat calix tribulationum, quem à Christo prægustatum esse nôsti?

5. Gloriantur Mundani, si aureas cuspides vesti suæ insertas habeant; cur tu tribulationes auro quovis pretiosiores dedecori esse putas?

6. Si media, quæ intellectum acuunt, tam promptè arripis; cur vexationem, quæ dat intellectum, respuis? an non, teste S. Gregorio, quicunque stultus est in culpa, sapiens erit in pœna.

7. Cauterium in corpore pateris, ut salute corporis potiaris; cur pro salute animæ non tantundem facis.

8. Vinum absynthio licet amaro mixtum amas, ut calorem corpori concilies; cur ut calore charitatis exæstues, tribulationes non perinde diligis?

9. Arbor bona non potest malos fructus facere, cur ergo tribulationes à DEO immissas, malas esse existimas?

10. Ne ager tuus herbis inutilibus repleatur, aratro eum proscindis; cur in animum tuum, ne urticis vitiorum scateat, tribulationis instrumentum admittere recusas.

11. Si frigus circumstans calorem per antiperistasin auget; cur tu ut in amore DEI proficias, à tribulationibus obsideri refugis.

12. Si particulam materialis crucis Christi ab aliquo donatam magni beneficij loco, nec sine singulari gaudio accipis; cur spiritualis crucis partem, quæ longè præstantior est, cum tristitia & odio excipis.

CONSIDERATIO

DE MORTIFICATIONE ET CONTINUA SUI VICTORIA.

1. SIchem, ut potiretur nuptiis Dinæ, se totúmque Populum circumcidi curavit; cur tu, ut per amorem copuleris Divinitati, per mortificationem te sensúsque tuos circumcidere non conaris.

2. David, ut fieret gener Regis, libenter centum præputia obtulit; cur tu, ut fias amicus DEI, & Sponsus Divinitatis non promptè offeras præputia omnium cupiditatum.

3. Magni Principes non nisi in papyro tenera, & bene contusa, & circumcisa scribere solent; cur ergo non & tu DEO animum bene mortificatum, in quo conceptus suos scribat, offers.

4. Ut ij, qui scissionem membrorum admittere coguntur, leviùs ferant dolorem, variis mediis priùs caro mortificatur; cur non & tu, ut leviùs feras persecutionum & tribulationum

tionum violentiam, per mortificationem priùs animum præparas.

5. Si lignum viride difficulter ignem concipit, quomodo tu speras à divinæ charitatis igne inflammari, nisi priùs per mortificationem arefeceris mentem.

6. Saxum, si bene lævigatum sit, facilè, quocunque in loco vult, Murarius collocat; cur tu, ut tam necessariam Religioso indifferentiam obtineas, non priùs te per continuam mortificationem lævigare studes.

7. Si avis novis plumis contegi non potest, nisi veteres deponat; quomodo tu novis virtutum ornamentis vestiri poteris, nisi priùs veteres mores inordinatorum affectuum deponas?

8. Si penna vel modico humore gravata sit, difficulter in altum sustollitur; quomodo ergo tu sperare potes, te per orationem facilè mentem ad cælos elevaturum, nisi priùs ab omni luto terrenorum appetituum eam per mortificationis exercitium liberaveris?

9. Quid sentires de eo Duce, qui singulis ferè horis cum suis hostibus dimicans, semper victoriam & prædam referret? cur ergo non & tu ad similem laudem aspiras assidua tui mortificatione & victoriâ obtinendam.

CONSIDERATIO
DE HUMILITATE.

1. CUm Deus & homo habeant se sicut lignum v. g. continuum, & numerus, quorum iste tantò magis augetur, quantò magis illud diminuitur; cur tu non libenter minueris per humilitatem, ut tantò ampliùs Deus in gloria crescat?

2. Si Deus perinde ut natura vacuum non patitur; cur non ab omni tui æstimatione per humilitatem te evacuas, ut Deo & cœlestibus donis replearis?

3. Filij hujus sæculi tanta agunt, & patiuntur, ut magnum sibi nomen comparent; cur tu te non, quantùm potes, humilias, ut cum Christo acquiras nomen super omne nomen?

4. An nescis valles præ ceteris locis à radijs solis calefieri, & fœcundari? cur ergo non & tu humilitatem potius, quàm altitudinem sectaris?

5. Si

5. Si vasa stercorum in viliſſimo domûs angulo collocantur, quid tu quereris viliſſimum te haberi, qui cùm eſſe debuiſſes, vas electionis, factus es vas malitiæ?

6. Si Creditor gaudet de debito, ex quo magnum fructum capere poteſt, ſoluto; cur tu triſtaris ob contemptum, qui & maximè debitus tibi eſt, nec minùs ſalutaris, exhibitum?

7. Cur eum, qui in re utiliſſima te juvat, amas, & veneraris, & non potiùs eundem amorem & honorem exhibes illis, qui te contemnunt, cùm nullum officium vel medicamentum ad ſalutem utilius ſit, quàm te ipſum vituperare & contemnere?

8. Si Princeps ſtabularios ſe præ omnibus alijs Famulis amaturum & honoraturum promitteret, omnes hoc officium ambirent, cur ergo & tu humilitatem non amplecteris, cujus amatores præ alijs à Deo amandos & præmiandos eſſe nôſti?

9. Quemadmodum cifra, quantò pluribus numeris ſubjungitur, tantò plus valet; ſic homo, quantò pluribus ſe per humilitatem ſubmittit, tantò ampliùs in meritis & æſtimatione apud Deum creſcit; cur ergo non omnibus ſubeſſe potius, quàm præeſſe appetis?

10. Si nihil optabilius eſt homini, quàm animi quies, ad quam proſequendam naturalis eum appetitus impellit, cur tibi tam aſpera & moleſta videtur eſſe humilitas, per quam ſolam vera animæ quies reperitur, ut Chriſtus Matth. c. 11. teſtatus eſt?

CONSIDERATIO
DE LAUDIS HUMANÆ CONTEMPTU.

1. SI laus nihil prodeſt laudato (alioqui enim quivis & ſe, & ſua laudando meliora efficere conaretur) an non ſtultiſſimè ages, ſi pro tot tantísque laboribus non aliud, quàm laudis præmium quæras?

2. In lapidibus tã ſolicitatus es, ne adulterini offerantur; cur te viliorẽ lapide facis, & laudem adulterinã in te pateris?

3. Si peſſimè eum facere judicares, qui non ageret id, quòd omnium Conſultorum ſuffragia juſtiſſimè decernunt; cur tu etiamnum laudes appetere audes, cùm tamen omnia quæ agis, & habes, contemptibilem te eſſe decernant?

4. Si doleres cibo valde dulci venenum mixtum eſſe, cur bono

bono operi laudem humanam, quovis veneno magis noxiam immiſceri, tantopere deſideras?

5. In omnibus alijs cauſis Judicem aptum, id eſt, qui & propter ſcientiam poſſit, & propter integritatem velit, ſincerè judicare, eligis; cur de operibus tuis judicium ferri ab hominibus cupis, quos plerumque ab affectibus ſuis corruptos malè judicâre nôſti, imò nec poſſe verum judicium ferre, utpote qui intentionem, à qua tota operis bonitas pendet, non cognoſcunt?

6. Si eum, qui de alienis gloriatur, tanquam ſuis, omnes oderunt, & deridēt, quid tu de talentis tuis aut operibus, tanquam ad te ſpectarent, laudem & gloriam quærens, aliud à Deo & Sanctis niſi diſplicentiam & indignationem expectare potes?

7. Si furtum omne cum honeſtis viris tantopere averſaris, cur rem omnium pretioſiſſimam, Deóque gratiſſimam, ſcilicet gloriam & laudem, eripere eidem Deo, & quidem inſpectanti, non erubeſcis?

8. Quid ſentires de eo, qui 100000. talenta debens Principi laudari cuperet de obolo ſoluto? æquè ſtultè tu agis, ſi de quocunque opere glorieris, cùm etiamſi omnia etiam poſſibilia virtutum opera feciſſes, perinde ſe illa reſpectu beneficiorum Dei haberent, ac ſi obolum ſolviſſes?

9. An non ſtultè ageret, qui Regem cum Aula pro ſpectatore habens, mendicis paucis placere cuperet? cur ergo tu hominum laudes tantopere deſideras, cùm Deum pro ſpectatore habeas, cujus unius judicium pluris faciendum eſt, quàm ſi ab omnibus Angelis & hominibus ſummè laudareris?

CONSIDERATIO
DE PATIENTIA IN GENERE.

1. Si Chriſtus in tui ſanitatem exhauſit totum calicem paſſionis, cur tu ſaltem aliquot guttulas ad gloriam illius guſtare renuas?

2. Qui amaritiem pilularum minus ſentire volunt, hoſtiâ easdem involvunt; cur non & tu tribulationes tuas Chriſti, qui pro nobis hoſtia factus eſt, paſſioni unis, ut leviùs illas feras?

3. Si Angelus tibi nuntiaret, eſſe divinam voluntatem, ut hanc

hanc vel illam adversitatem patiaris; an non libenter eam sufferres? atqui certior est fides, quàm si Angelus de cœlo nuntiaret, cur ergo promptè adversa excipere negligis?

4. Immensum æstimâsses favorem, si vel unum ictum flagelli excipere potuisses, ne Christo ille infligeretur, cur ergo non gaudes implere ea, quæ desunt passionibus Christi? nam Christus pro gloria Dei optavit omnes hominum cruciatus, & consequenter etiam hunc, quem sustines, laborem sentite; tolera ergo tu illum, & sic consolare Christum satisfacieus desiderio illius.

5. Solantur se alij in doloribus, si homines passionis socios habeant; cur tu non solatium hauris, quando vides te Deum passionis socium habere? si tribus Pueris in fornace Babylonica is, qui similis Filio Dei cum illis visus est, ignis æstum in ventum roris flantem convertit, quidni idem tibi in tribulationis fornace constituto facere possit Christus?

6. Quis mortem gravissimam meritus, non gauderet, si morbus ei adveniret, ob quem differretur, aut omnino auferretur supplicium? cur ergo tu non libenter patiaris quæcunque hujus mundi adversa, ut ab æterno supplicio liberetris?

7. Urinatores pro vili præmio in aquas profundissimas se præcipitant, & tu pro cælesti præmio non libenter in mare tribulationum te conjicies?

8. B. Borgias omnia adversa tibi levia fecit, binos Legatos, scilicet cognitionem sui, & inferni præmittendo; quantò magis tibi omnes tribulationes jucundæ accident, si amorem Dei, Christi passi exemplum, considerationem inferni, & præmij cælestis præmiseris?

CONSIDERATIO
DE PATIENTIA IN SPECIE.

Contra Persecutiones.

1. SI Philosophiæ aut Theologiæ studiosi pro Benefactoribus specialibus agnoscunt eos, qui contra ipsos argumentantur, quia occasionem præbent profectûs sui in doctrina ostendendi; cur tu eos, qui persequuntur, non diligis, cùm & hi optimam tibi occasionem præbeant ostendendi, quantum in virtute profeceris?

2. Si

2. Si eum, qui suâ actione effecisset, ut ad magnam dignitatem eveherêris, meritò amandum & honorandum censeres; cur illum odio prosequeris, qui suis persecutionibus causa fuit, ut ad similitudinem Christi, atque adeò summam dignitatem proveherêris?

3. Si liberi virgam, quâ Pater eos castigavit, osculari solent; cur tu eum, per quem velut instrumentum Pater æternus te castigat, non perinde amas, & exoscularis?

4. Si Erinaceo utiles sunt spinæ, quia contra infesta animalia eum defendunt; cur tu tristaris de Persecutoribus, qui velut spinæ te contra vitia defendunt?

Contra morbos.

5. Si duellum tibi esset cum altero, gauderes hostem ab amico debilitari, cur ergo non & corpus infirmari, cum quo perpetuum animæ tuæ duellum est?

6. Cauterium unius membri pateris, ut plura salves, cur non & corpus per infirmitatem aduri finis, ut animus sanetur.

7. Si alas cum Davide optares, quibus ad DEVM celeriùs queas pervenire, cur infirmitates recusas, de quibus scriptum: multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleravetunt.

8. Si à Principe gaudes visitari, cur non etiam à DEO? cur non sequeris senem dolentem, quòd anno quodam per morbum visitatus non sit?

Contra mortem.

9. Si tempus illud optimum censes ad sanguinem mittendum, aut crines tondendos, quod Astrologi designant; cur non & illud genus mortis, & tempus optimum censes, quod DEUS præscripsit?

10. In via lassatus eam celeriter finiri petis; cur ergo vitam molestam longiùs prolongari optas?

11. Si corpus est carcer animæ, cur non quàm celerrimè dissolvi cupis vincula, & esse cum Christo?

12. Si Creditor tibi molestus est, an non gaudes, si debitum illi solvere possis; cur ergo debitum mortis ipsi Naturæ tam ægrè persolvis?

CONSI-

CONSIDERATIO
DE VOLUNTATE DEI.

1. IAcob Patriarcha tam copiosam à Patre suo benedictionem obtinuit, quia semel tantùm cibum ei gratum obtulit; quid tu sperabis, si singulis ferè momentis Christo Patri tuo cibum gratissimum voluntatis divinæ offeras?

2. Si illi, qui venenum timent, continuò theriacam sumunt; cur tu, ut adversa non noceant, non arripis voluntatem divinam, quæ sola facit, ut in bonum omnia adversa convertantur?

3. Si verba illa: fiat mihi secundùm verbum tuum: effecerunt, ut humanitas Christi verbo uniretur; cur tu eadē verba dicere efficaciter non studes, ut cum tota SS. Trinitate per voluntatis tuæ cum divina unionem uniaris?

4. Si illi, qui in nuptijs Canæ Galileæ vinum per B. V. obtinere voluerunt, priùs debuerunt, quiquid Christus dicebat, servare, & facere, cur non & tu, quidquid dixerit Deus, libenter facis, ut veræ lætitiæ vinum obtineas?

5. Eadem voluntas est, quâ Deus pro te incarnari & mori, & esse in Sacramento, & te prædestinare voluit, cum eâ quâ te hanc afflictionem pati vult; cur ergo illam ut bonam amplecteris, hanc ut malam rejicis?

6. Quidquid tibi evenit, Deus infinitè bonus, sapiens & potens permittit, aut ordinat; cur ergo tu reprobas id, quod approbant, & in quo divina attributa occupantur?

7. Qui vehitur navi, totum se Naucleri arbitrio permittit, ut eum in terram deponat; cur ergo tu Deo te non permittes, ut in cœlum te viâ, quæ ipsi placuerit, ducat?

8. Vel adversa tibi immittit propitius Deus, vel iratus. Si propitius, cur non consenties tuo bono, & gratias agis? si iratus, cur non cedis, ut mitigetur?

9. An non factus es ad gloriam DEI? cur ergo ob labores & dolores conquereris? an non in his æquè, imò melius fortè finem tuum obtinebis, quàm in prosperis?

10. Si cœlum in altera vita tantopere appetis, cur non & in ista? cur ergo non unum vis cum Deo, ut, quod vis, semper habeas, atque adeò beatus sis?

11. [illegible]

11. Si optio daretur intellectum tuum cum Angelico intellectu permutandi; promptè id faceres; cur tergiversaris voluntatem tuam cum divina permutare?

CONSIDERATIO
DE VOLUNTATE PROPRIA.

1. VOluntas propria si cesset, infernus non erit, teste S. Bernardo, cur ergo tu clavem ad infernum non ultro abjicis?

2. Si facere voluntatem tuam malam tam dulce tibi videtur, quàm dulce erit illam relinquere, & voluntatem Dei facere, quæ optima est, & non nisi optima velle potest?

3. Beati in cœlis sine ullo vestigio proprij velle, aut nolle vivunt, & tamen summam lætitiam habent; quis ergo durum dicat, voluntatem propriam abnegare?

4. Si in eo, in quo quis deliquit, justè punitur, cur te, qui per voluntatem peccâsti, non in voluntate quoque per abnegationem illius insigniter castigas?

5. Unusquisque fugientem Famulum sectatur, & in Jus suum asserit; cur tu fugientem voluntatem non insequeris, & ad Deum reducis, maximè cùm pluris interfit Dei, quàm tuâ, eam reduci?

6. Si Deus tibi omnipotentiam suam communicare vellet, an non odio haberes illum, qui te ab hoc beneficio impediret? cur ergo voluntatem tuam amas, quæ impedit, ne idem cum Deo velle & posse habeas?

7. Si ad publicum rogum damnatus, privatim capite plecteris, an non hanc gratiam magni beneficij loco duceres, promptéque acceptares? cur ergo ob peccata tua ad æternos ignes damnatus, non libenter caput, id est, propriam voluntatem amittis, maximè cùm ob tale factum mereatis æternùm & beatè vivere?

8. Si Filium aut alium hominẽ, quem in tua potestate haberes, à Directore ipsi dato malè regi videres, mox hoc remoto alium ei constitueres; cur ergo non & te ipsum advertens pessimè à propria voluntate regi, meliorem tibi Directorem, nempe divinam voluntatem constituis?

CONSIDERATIO.

DE VOTIS RELIGIONIS.

1. Qui pretiosum thesaurum habet, non patitur in eo vas luteum; cur tu Deum in corde gestans, res vilissimas per amorem immiscere cupis?

2. Philosophi olim omnia reliquerunt, ut cœlum speculari possent; tu ut cœlum omnino possideas, non idem libenter facies?

De Voto Paupertatis.

3. Qui æstuant, omnia, quantum honestas patitur, vestimenta abjiciunt, cur tu amore divino exæstuans, non omnem rerum creatarum amorem abjicis?

4. Si is, qui Christi Personam in Cruce repræsentaret, vestimentis optimis se ornaret, optimúmque cibum ac potum expeteret, an non stultitiam rideres? cur ergo tu Christum crucifixum imitari cupiens, omnium rerum abundantiam habere desideras?

De Voto Castitatis.

5. Dum Virginis signum in Zodiaco regnat, tota terra illius influxibus subjecta frugifera efficitur; cur ergo tu castitatem in animo tuo oriri, & regnare non facis, ut fructum copiosum virtutum, meritorum, & gratiæ apud Deum & homines referas?

6. Ne corpus langueat, cœnosam & humidam terram, quanto potes studio devitas, cur ergo animam tuam non perinde ab immundi corporis habitatione abstrahis, ne noxios peccatorum & imperfectionum humores contrahat?

7. Si turpe & sacrilegum putas, imaginem alicujus Sancti veste maculata induere, cur animam tuam, quæ est imago Dei, maculato, & per luxuriam conspurcato corpore tegere non erubescis?

De Voto Obedientiæ.

8. Totum te mille titulis debes Deo, cur ergo solam animam, & non etiam corpus purificas, ut totus mundus offeraris?

9. Si Viatori in itinere periculoso se offerret Comes errare nescius, an non prompte ei se jungeret, & pareret? Cur ergo non

go non & tu obedientiam fallere nesciam pro duce itineris ad perfectionem & cœlum assumis?

10. Si in omnibus actionibus appareret Angelus, & quid, ac quo modo agendum, aut omittendum sit, dictaret, quàm felicem te putares? atqui certior es de voluntate Dei, si superior præcipiat, cur ergo non beatum te putas, quòd eum sequi & audire possis?

11. Si in fide suspectus censeretur, qui auream tantùm crucem adorare vellet; cur non & tu suspectam habeas obedientiam tuam, si doctos tantùm, & virtuti deditos superiores colere, illisque obedire velis?

12. Si iter asperum acturus mavis equo, quàm pedibus incedere, cur non & alienis magis pedibus, id est, judicio & voluntate Superioris nixus iter salutis difficillimum perage-re cupis?

CONSIDERATIO.

DE REGULARUM OBSERVATIONE.

1. SI milites suas leges (die Artickl Brieff) etiam sub pœna capitis observare coguntur; an tu, qui militem Christi te profiteris, regulas tuas minori cum diligentia observabis?

2. Si Artifices pretiosum opus facturi, gaudent bonam sibi Ideam aut Protopypon offerri; cur tu Christum expressurus non gaudeas, quòd perfectissima illius Idea aut Forma (ein Modl) per regulas tuas tibi offeratur? cur ergo animum tuum amore Christi liquefactum non totum transfundis in hanc formam?

3. Si servus, qui super pauca fuit fidelis, super multa constitui meruit; an non & tu multa & magna sperare præmia poteris, si paucas regulas tuas fideliter custodiveris?

4. An non felices se æstimarent Discipuli examen subituri, si quæstiones in eo proponendas priùs nôssent? an non toto animi conatu ad eas optimè resolvendas se præparatent? cur ergo non & tu summam in regulis observandis adhibes diligentiam, cùm scias, de his potissimùm te in extremo judicio rationem redditurum?

5. Si Superiorem insigni sanctitate, prudentia, & suavitate præditum omnes subditi amant, & reverentur, cur tu non similem amorem & observantiam Regulis tuis exhibere

ſtudes, quæ ſummam ſanctitatem, prudentiam, ac ſuavitatem continentes, voluntatem Dei æquè ac ſuperior indicant?

6. Si Actor in Comœdia omnes regulas à Comico datas tam diligenter obſervat, ut paucis hominibus placeat curru, ut Deo & Angelis jucundum ſpectaculum exhibeas, non perinde ſingularem omnium regularum à Fundatore tuo relictarum rationem habeas?

7. Si ad Patriam proficiſci velles, & multi, qui ad eam feliciter perveniſſent, veſtigia certa tibi reliquiſſent, an non libenter ea, & promptè calcares? cur ergo veſtigia Regulis à tot, támque Sanctis viris impreſſa non ſequeris.

8. Si Deus digito tibi viam ad cœlum monſtraret, an non beatum te diceres? an à tali via vel latum unguem declinares? cur ergo à Regulis tuis tam facilè diſcedis? an non & hæ ſunt digitus Dei, ut olim Pontifex quidam de Regulis Societatis JESV dixit?

CONSIDERATIO
DE AMORE DEI.

1. SI ideo amas, ut benè per amorem ſit tibi, cur amas ea, quæ hoc ipſo quòd ames, miſer eris? cur non potiùs amas illum, qui etiam inter ipſas vitæ miſerias faciet te bonum, & olim ſui fruitione beatum? cur amas bonum, quod indiget bono, & non potiùs, quod affluit bonis? cur oculis pulchrius, & palato jucundius quæris, & non perindè quod voluntati eſt melius?

2. Triangularis figura non poteſt à globo impleri; quomodo tu ſperare audes, cor tuum triangulare ad SS. Triadis imaginem factum, à rotundo mundo ſatiatum iri?

3. Si amantibus Deum ſupplicia eſſent propoſita, adhuc tamen toto corde amare Deum deberemus ob infinitam ejus bonitatem, & tantum erga nos amorem; quàm ſtultum erat, nunc eum non amare, quando non amantibus æterna ſupplicia, & amantibus æterna gaudia ſunt propoſita?

4. Si hodie tibi daretur facultas, ut in Angelicam naturam tranſire poſſes, cum gaudio conditionem acceptares; cur ergo non potiùs per amorem in Deum transformari ſtudes juxta notum illud S. Auguſtini: *Si terram amas, terra es: ſi Deum amas, quid vis, ut dicam, Deus es.*

5. Deus

5. Deus amore tui assumpsit humanitatem, cum qua omnis generis miseriæ eidem communicatæ sunt; cur tu amore illius unire tibi non studes Divinitatem, cum qua omnia tibi bona evenient?

6. Si Aulici supremi ob unicum peccatum ex Regis mandato suspenderentur, & stabularius post mille gravissima delicta liber ab eodem Rege dimitteretur, an non summè obligatum ad amandum diceres? & quid tu facies, si memineris, damnato ob unicum peccatum Lucifero, & socijs ejus, te post tam gravia crimina non modò liberum dimissum, sed etiam inter intimos Amicos adscitum esse.

CONSIDERATIO
DE AMORE PROXIMI.

1. SI optares, Christo in terris degenti convivere, & inservire potuisse; cur modò non eadem servitia & obsequia charitatis proximo exhibes, cùm scias, dixisse Christum, quamdiu uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

2. Si vestem insignia Domini referentem, aut imaginem Domini sui laceraret, & inhonorarer, gravem culpam diceres; cur tu charitatem Proximi, ex qua cognoscuntur veri Discipuli Christi, lædere non horres? aut proximum tuum, qui imago Dei est, violare?

3. Qui diligit domum aut vestem, etiam materiam, ex qua domus aut vestis fieri solet, amat; cur ergo tu homines malos, ex quibus Sancti fieri possunt, non diligis?

4. Si Virgo nupta Marito Filios habenti, Matrem se horum factam credit, atque adeò materno affectu diligit; cur tu, cujus anima Christo desponsata est, non omnes homines, quos Christus in cruce genuit, ut tuos Filios agnoscis, atque ut Mater diligis?

5. Si spinas in horto toleras, & amas, ut vel semel in anno ferant rosas; cur non & proximum tuum magna cum charitate supportas, ut suo tempore optatum virtutis fructum ferat?

6. Si ad vitandum dolorem tam studiosè caves omnem vel minimam membrorum divisionem; cur à Proximo tuo, qui tecum spirituale est membrum ejusdem corporis, tam facilè te per odium, aut aliud dilectioni contrarium vitium dividi, & separari permittis?

INDEX

Materiarum potiorum in hoc libro contentarum.

A.

Actiones ad DEVM pertinentes. Fol. 307
Actiones ad Proximum pertinentes. 331
Actiones ad seipsum pertinentes. 356
Actiones quotidianæ cur & quomodo perfectè perficiendæ. 243. 295
Additiones ad Exercitia. 121
Æternitatis consideratio quanti momenti. 597
Amor DEI in quo consistat. 257
Ejus Officia. 260
Motiva. 259. 458
Fructus. 261
Amor inordinatus cur & quomodo extirpandus. 405
Animabus purgatorij cur & quomodo succurrendum. 617
Annotationes ad Exercitia. 116
Apostolorum vocatio quomodo consideranda. 318
Ars patiendi in quo consistat. 351
Cur addiscenda. 352
Quibus medijs comparanda. ibid.
Axiomata vitæ Spiritualis. 199

B

Beatitudo Sanctorum quàm magna. 451
Quibus medijs obtinenda. 251
Beneficia à DEO accepta cur & quomodo annotanda. 161
Beneficium Redemptionis quanti æstimandum. 431

C.

Caritas DEI duplex affectiva & effectiva. 2
Caritas erga proximum quomodo exercenda. 214. 622
Illius motiva. 215
Media. ibid.
Castitas cur exercenda. 425
Catechismi traditio quanti facienda. 510
Quomodo instituenda. 521. 531

Chri-

Christi Incarnatio, Nativitas, Circumcisio considerata. 178. 316
Ejus vita privata. 178. 322
Vita publica. 193
Baptismus. 196
Jejunium. ibid.
Tentatio. ibid.
Triennium ultimum. 336
Lotio pedum. 205. 339
Agonia. 211. 348
Passio. 351. 444
Crucifixio. 354
Mors. ibid.
Sepultura. 360
Descensus ad inferos. ibid.
Resurrectio. 234. 363
Ascensio. 238. 366
Tres Christi comites. 219
Classes tres hominum. 190
Classes tres Sacerdotum. 191
Collationis Spiritualis natura. 31
Æstimatio. ibid.
Praxis. ibid.
Collocutores in exercitijs quales esse debeant. 41
Concupiscentia inordinata cur & quomodo extirpanda. 388
Confessionis generalis natura. 29
Æstimatio. ibid.
Praxis. 30
Conscientiæ puritas in quo consistat. 471
Cur procuranda. 472
Quibus medijs obtinende. 474
Considerationis natura. 17
Æstimatio. ibid.
Praxis. 19
Constantia inter adversa cur tenenda. 49
Conversatio cum proximo quomodo instituenda. 534
Cordis cura cur habenda. 55

Cor novum quomodo procurandum. 537
Cor mundum. 540
Cor rectum. 544
Cor ardens. 548
Cor carneum. 553
Cor altum. 555
Cura animarum in quo consistat 194
Cur libenter suscipienda. ibid.
Quibus medijs. 195
Cura suiipsius quid requirat. 175
Cur habenda. ibid.
Illius impedimenta. 177

D.

Devotio Spiritualis quomodo procuranda & conservanda. 265
Directoris dotes. 31

E.

Electionis Statûs natura. 93.476
Æstimatio & praxis. 55.497
Eucharistia cur instituta. 209.348
Quantum beneficium. ibid.
Examen circa propriam personam quomodo instituendum. 548
Examen circa proximum quomodo instituendum. 593
Examinis generalis natura. 23
Æstimatio. 24
Praxis. 25
Examinis particularis natura. 26
Æstimatio. 27
Praxis. ibid.
Exercitiorum spiritualium natura & Scopus. 1.4
Causa finalis. 3
Materialis. 6
Formalis. 8
Efficiens. 37
Necessitas. 42
Utilitas. 44
Jucunditas. 61

Quæ-

Quanti ea fecerit Deus. 66
Christus. 67
B. Virgo. 68
Sancti Patres. 70
Summi Pontifices. 73
Cardinales. 74
Episcopi. 75
Doctores Theologiæ. 76
S. Ignatius & Socij. 79
Sæculares. 80
Hæretici. 81
Ethnici. ibid.
Cum magno fervore peragenda. 272. 379. 579
Media positiva pro ijsdem fructuosè peragendis. 83
Media negativa. 88

F.

Fervor in perfectionis studio cur procurandus. 410. 562
In quo consistat. 549
Fidei Virtus quanti facienda. 600
Ejus fructus & media. 601
Finis hominis quis, & quanti faciendus. 128. 275. 382. 465. 581

G.

Gratiarum actio post exercitia quomodo peragenda. 267. 375. 461

H.

Hebdomadæ quotuplices. 4
Hebdomadis primæ Scopus. 127. 275
Hebdomadis secundæ Scopus. 164. 313
Hebdomadis tertiæ Scopus. 203
Hebdomadis quartæ Scopus. 233
Horæ Canonicæ quomodo recitandæ. 524
Humilitatis gradus. 198
Motiva. 424

I.

Imitatio Christi in quo consistat. 169
Illius æstimatio. 164

Indifferentia ad officia cur procuranda. 435. 436
Indifferentia in usu creatarum rerum quàm necessaria. 286. 435
Infernus cur metuendus. 158. 304
Quomodo effugiendus. 160. 305. 400
Infirmi quomodo visitandi. 534
Intentio pura quid requirat. 430
Cur procuranda. 612
Quibus medijs. 431
Judicium extremum cur metuendum. 150. 393

L.

Lectionis spiritualis natura. 21
Æstimatio. 22
Praxis. ibid.
Materia. 115
Linguæ custodia quanti momenti. 153. 407. 595.
Quomodo obtinenda. 154. 408. 596
Locus pro Exercitijs qualis eligendus. 41

M.

Mater Christi cur & quomodo colenda. 254
Meditationis natura. 10
Æstimatio. 12
Praxis. ibid.
Modus ad eam facilis. 109
Minister in Exercitijs qualis esse debeat. 40
Missæ Sacrificium quanti faciendum. 508
Quomodo offerendum. 509
Mors quid sit. 302
Mors bona quomodo obtinenda. 589
Mors Sacerdotum bonorum quàm pretiosa. 303
Mors justorum & peccatorum quàm diversa. 390
Mortis conditiones. 147
Ad eandem qualis præparatio facienda. 149. 304
Mortificatio quid & quotuplex. 228
Motiva. 229
Media. ibid.

N.

Negotiatio spiritualis in quo consistat. 569

O.

Obedientia cur exercenda. 417
Officia cur sedulò administranda. 437
Operario cautela cur necessaria. 439
Oratio cur frequentanda. 421
Orationes jaculatoriæ quales & cur usurpandæ. 248. 249
Orationis vocalis natura. 20
Æstimatio & praxis. 21
Ordo diurnus in exercitijs cur & quomodo observandus. 92. 456
Ordo triplex in Exercitijs observandus. 8

P.

Parabolarum consideratarum utilitas. 378
Parabolæ Exercitijs accommodatæ. 379
Patroni à Sacerdote quales eligendi. 550
Paupertas cur amanda. 413
Pax animi quomodo procuranda. 604
Peccata cur detestanda. 385
Peccata aliena quomodo consideranda. 132
Peccata propria quomodo consideranda. 138
Peccatorum mortalium gravitas. 298
Peccatorum venialium gravitas. 292. 583
Perfectio in quo consistat. 2. 576
Tres viæ ejusdem. 4. Motiva & Media. 577
Perseverantia cur & quomodo procuranda. 569
Pœnitentia in quo consistat. 298
Quomodo peragenda. 560. 561. Adjumenta ad illā. 563
Impedimenta. 565. Fructus. 567
Propositorum executio cur & quomodo procuranda. 262
Prudentiæ dictamina. 231
Purgatorij pœna quàm gravis. 310. 396. 593

R.

Recollectio quomodo instituenda. 464
Reformatio hominis in quo consistat. 5
Triplex statuitur. ibid.
Regnum Christi quid sit, & cur quærendum. 166. 169. 403
Regulæ cur observandæ. 417. 625
Regulæ ad rectè sentiendum cum Ecclesia. 247

Regulæ de victu temperando.
Regulæ discernendorum Spirituum priores explicatæ. 141
Regulæ posteriores. 216
Renovatio hominis in quo consistat. 111
Quomodo peragenda. 113
Quibus medijs. ibid.

S.

Sacerdotis dignitas. 183. 305. Dotes. 476
Sacerdotalis Status commoda. 479
Incommoda. 489. Pericula. 491. Media. 518
Sacramentorum administratio quanti sit facienda. 518
Quomodo suscipienda. 531
Sancti qui, cur, & quomodo colendi. 253. 319. 453
Scriptionis materia pro exercitijs. 163
Sensuum custodia quantopere necessaria. 398. 586
Sententiæ SS. Patrum selectæ memoriæ insculpendæ. 218
Spes Religiosi in quo consistat. 607
Spiritus Sanctus cur missus. 240. 378
Est anima hominis. ibid.
Status inspectio quomodo peragenda. 136

T.

Tribulationum utilitas. 446

V.

Verbum divinum quomodo prædicandum. 518. 533
Vexillum Christi cur sequendum, & quomodo. 184. 314
Victoria sui cur & quomodo procuranda. 615
Virtutes quales Sacerdoti necessariæ. 481
Virtutum moralium necessitas. 1
Virtus solida quid requirat. 482. 599
Ejus æstimatio. 488. 600. Media. ibid.
Vocatio quomodo inquirenda. 468
Quomodo exequenda. 491
Voluntas Dei cur divinæ conformanda. 619
Vulnerum Stigmata cur Christus retinuerit. 237

Z.

Zelus in quo consistat. 524. 622
Triplex Sacerdoti necessarius. 525
Igni comparatus. 336. Quomodo accendendus. 491

Omnia ad majorem DEI Gloriam.


ERRATA.


Fol. 8. lin. 18. lectio *adde* Examen conscientiæ
f. 10. lin. 6. le. easdem
f. 16. lin. 18 le. iterandam. ibid. lin. 32. le. semetipsam
f. 27. lin. 20. pugnantis, *adde* factum glorioſum
f. 29. lin. 3. le. accuratè
f. 36. lin. 6. le. si
f. 40. lin 15. le. mulieribus
f. 41. lin. 2. le ad ministerium
f. 44. lin 6 lin. 6. le. obfuscata
f. 45. lin. antep. le. demissa
f. 46. lin. 2 le. videntur
f. 48. lin. 5 le. eandem ib. lin. 22. constituto ib lin. 24 le ad trutinam. ib. lin pen. le nō vacare
f. 49. lin. 10. le. gratiis. lin. ib. le. liberati
f. 50 lin. 18. le. imitationem ibid. lin. 30. le promovent
f. 57. lin. 27 le. amplectuntur
f. 59. lin. 26. le. secessi
f. 65. lin. antep le. cognosci posset
f. 66. lin. 5. le. Ethnicos. ib lin. ult. le. vade
f. 67. lin. 27 le. desertum
f. 69. lin. 3. le. & mane
f. 80. lin. 25. le. insigni
f. 81. lin. 22. expectus. lē. expertus
f. 85. lin. 5. cognoscat *adde* orationem propriam. lin. 21. le. consequetur
f. 99. lin. 10. le. recreatione
f. 100. lin. ult. le. te
f. 107. lin. 14. le. obtigit
f. 176. lin. 4. le ipsam
f. 178. lin. 12. le. desiderant
f. 179. lin. 9. le. meditatione. lin. 21. voco) *adde* examinemus
f. 184. lin. 20. le. connstituti. lin. antep. nunc. *adde* ad
f. 191. lin. 32. le. velint
f. 192. lin. 27. le. præscribuht. lin. 29. le. famam.
f. 194. lin. 15. le. sanes
Fol. 195. lin. 8. rogatus *adde* esset
f. 207. lin. 9. le. Ench.
f. 202. lin. 7. le. qui. lin. 8. le. impugnat
f. 210. lin. 9. le. præscripto
f. 211 lin. 1. le. Elias
f. 212. lin. 24. le. possunt
f. 213. lin. 3. le. esse
f. 217. lin. 2 le. fovere
f. 223. lin. 6. le. queas
f. 226. lin. 21. le. postpositionem
f. 227. lin. penult. le. B. Virginem
f. 228. lin 13. le. creaturarum. lin. 17. le. habere
f. 231 lin. antep. le. es
f. 235. lin. 21. le. debebat
f. 237. lin. 24. le. gratiarum. lin. 22. le. tuta
f. 238. lin. 1. le. tueatur
f. 239. lin. 27. le. reseravlt
f. 240. lin. 1. le. triumpho. lin. 22. le. Spiritus.
f. 248. lin. 18. le. restaurare quis possit. lin. 28. le. Probam.
f. 257. lin. 11. le. assecures
f. 259. lin. ult. le. nulla
f. 272. lin. 6. le. historicus
f. 274. lin. 6. le. solitudine. lin. 8. le. loliis
f. 276. lin. 7. le. seipsam.
f. 279 lin. 19. le. Cassiodorus in catal glor. Mundi. c. 4.
f. 280. lin. 1. le. sis
f. 287. lin. ult. le. ejus
f. 291. lin. 15. le. oblaturus
f. 299 lin. 2 le. indicantur
f. 300. lin 8. l. calefacientibus
f. 303. lin. 16. le media.
f. 310. lin. 26 le. ligno.
f. 311. lin. ult. le molestiam
f 315. lin. 17. le potes
f. 335. lin 18. le. quamdiu
f. 340 lin. 20. fas. le. vas.
f. 351. lin 16. quod. le. quia
f. 357. lin. 9. le. vita. li. ult. le Lassa
f. 359. lin. 18. le. promanare. lin. 33. le degusta.

Fol. 375.


Vol.375.lin.6.le. fertile. lin.28. le.quàm ut
f.376.lin.31.ld.le.in
f.377.l.30. Discipulis *adde* dixit
f.380.lin.23.le.expugnandum
f.392.lin.33.qui.le.quantò
f.408.lin.6.le.ferrent. lin. 12. le. equo.lin.16.le refrænare
f.409.lin.4. minùs. le.magìs. lin. 16.le.peragat
f.411.lin.antep. le. exantlandos
f.415.lin.7.quia.l.quin
f.419.lin.20.le.aptius
f.420.lin.10.regno. le.in regno
f.425.lin.18.Ep.Kemp.le.ad
f.427.lin.22.le.everrit
f.428.lin.27.le.peccatore
f.454. lin. 23. le. quâ. lb lin.35. Quàm.le.Considera III.Quàm
f.455.lin.15.le.interceſſio,ib.lin. 34,le,reſtaura
f.458.lin.18.le.autem
f.459.lin.6. le. cor Dei facti. ib. lin.20.le. cùm quantò. ib. lin. 25. le. decear.
f.460.lin.17.ſummo *adde* bono
f.469. lin. 18. eatis *adde* & fructum afferatis. ib. lin. 24. le. Cſmacus. ib.lin.31. inſervire *adde* cupiunt
f.470.lin.11.ſeque.le.ſed
f.483. li.5.S.Paulus *adde* monet ib. lin. 32. le. tendendum. ib. lin.pen.ſinat.le.ſe ſinat
f.486.lin.6 quando.le.quantò
f.492.lin.23.le.perdendæ.ib.lin. 35.offerat,ut.le.offeratur
f.497.lin.17.le.verè
f.498.lin.31.le.lectionis
f.504.lin.19.le.collectionis
f.514.lin.23.iſto.le.Chriſto
f.520.lin.29.le.ſummus
f.526.li.30.ipſum *adde* præcipit
f.527.lin.15.maius.le.magìs
f.533.lin.27 le. occurrerit, ibid. lin.32.perfecta. le.perfecta ſit
f.534.lin.17.le.ſancta,ib.le.ſinceritatem
f.536.lin.20.erant.le.errant
f.537.lin.13.ſic le.ſi
f.538. lin.15. congreſſi *adde* victores.ib.lin.17.eos.le.es.
f.544.lin.17.le.Sacerdotum.
f.553. poſt punctum 2. omiſſum eſt totum punctum 3.
f.561.lin.20.le Ioanne,ib.czlorum. *adde* Item illud.*Dele* ſin autem, venio tibi.
f.564 lin.4.Paulus.le.Populus
f.576.lin.3.faciunt le.ſint.ib.lin. 22. le. quodlibet.
f.584.lin. maxima.le.minima
f.588.lin.15. competens. le. amplexus.
f.590.lin.26.vel,le.velut
f.592.lin.9.le. actiones
f.596.lin.1.le.patens. ib. lin.23. le. ſecurè
f.600.lin.15.le.exercentur
f.602.lin.6.à Deo.le. ab eo
f.605.lin.22.ſemel.le.ſemet
f.606.lin.31.le.agéſque
f.610.lin.32 le. intueamur
f 615.lin.pen.le.quoque.
f.624.lin.13. *dele* ſiquidem
f 628.lin.32.le.eum item lin.ult. le.adeptionem
f.630 lin.15.le.ipſi
f.644.lin.7.le.remuneretur.ibid. lin 28.jactura.le. ſtabilitate
f.647.lin.12. le.obturata. ib. lin. 19 nacti.le nacti ſunt
f.648.lin.16.le.conſueriſti
f.655.lin.33.quàmque *dele* quæ ſequuntur uſq; ad verbũ adeò
f.658.lin.23.ci.le. cibo
f.659.lin.5.ea.le.eo
f.664.lin.41 le.privatur. ibid.lin. penult.le.propoſitam
f 668.lin.30.le.ſolicitus
f.670.lin.25. le. ſibi
f.672.lin.21.le.tibi


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN